BRESLAUER

PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN.

Sp. D I b.
11.

ZWEITER BAND.

GYMNASIAL BIBLIOTHEK
ZU
PATSCHKAU

BRESLAU.
VERLAG VON WILHELM KOEBNER.
1888.

Miejew. i Miej. Bibl. Publ.
CZYTELNIA
w Opolu
2339 Ś
~~1907~~

ZBIORY ŚLĄSKIE
2338/II

L. B.
1675

Akc. IV Nr 304/14/68/C

INHALT.

Wilhelm, F., De Minucii Felicis Octavio et Tertulliani apologetico.

Cohn, L., Zu den Paroemiographen.

Rossbach, O., De Senecae philosophi librorum recensione et emendatione. Insunt Senecae fragmenta Palatina edita a Guilelmo Studemund.

Lichtenfeldt, C., De Q. Asconii Pediani fontibus ac fide.

BRESLAUER
PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN.

ZWEITER BAND.

ERSTES HEFT.

DE MINUCII FELICIS OCTAVIO ET TERTULLIANI APOLOGETICO

SCRIPSIT

FRIDERICUS WILHELM
DR. PHIL.

BRESLAU.
VERLAG VON WILHELM KOEBNER.
1887.

DE MINUCII FELICIS OCTAVIO ET TERTULLIANI APOLOGETICO

SCRIPSIT

FRIDERICUS WILHELM
DR. PHIL.

VRATISLAVIAE
APUD GUILELMUM KOEBNER
1887.

Uter apud Romanos in acie eorum antesignanus fuerit, qui pro 'cohibenda superstitione ac vera religione reservanda' apologiis, quae vocantur, compositis decertaverunt, Minucius Felix an Septimius Tertullianus, cum multi dudum quaesiverint homines docti, nullus ante A. Ebertum certa via ac ratione quaestionem persecutus est; ac ne Eduardum quidem Muraltium [1]) controversiam diremisse hodie consentiunt omnes. Sollerti autem disputatione *Ebertus* [2]) haud paucis probavit Apologeticum Tertulliani ex Minucii libello, qui inscribitur Octavius, ita defluxisse, ut Minucii verba non pauca prave intellegerentur aut subobscura expositione turbarentur.

Quamvis autem multi Eberto assensi sint, E. Ludwigius,[3]) N. Bonwetschius,[4]) B. Dombartus,[5]) R. Kuehnius,[6]) alii, dubium tamen non est quin felicissime et acutissime demonstraverit *G. Hartelius* [7]) nec certaminis finem fecisse Ebertum et satis dilucidam esse Tertulliani orationem atque etiam Minucii orationi saepius praeferendam nec deesse in Apologetico locos, quos Minucium in usum suum convertisse proclivis esset suspicio. Nec vero hunc ex illo pendere Hartelius contendit, sed utrumque ex una eademque defensione Latine scripta et hodie deperdita sua hausisse. Quam sententiam plerique omnes propterea videntur sprevisse, quod probabilioribus argumentis eam fulcire ex industria, opinor, Har-

---

[1]) Commentatio de M. Minucii Felicis aetate in ed. M. Minucii Felicis Octavii. Turici 1836.

[2]) Abh. d. Kgl. Sächs. Ges. d. Wiss. Philol.-hist. Cl. XII 1870 p. 319. — Vide eiusdem librum, qui inscribitur Allgemeine Gesch. d. Litt. d. Mittelalters im Abendlande. Lips. 1874 I p. 24.

[3]) Burs. Jahresber. XIV 1878 p. 117.

[4]) Die Schriften Tertullians nach der Zeit ihrer Abfassung. Bonnae 1878 p. 21 sq.

[5]) Octavius. Ein Dialog des M. Minucius Felix. Erlang. 1881 p. XIII adn. 2.

[6]) Der Octavius des Minucius Felix. Lips. 1882 praef. p. 5.

[7]) Zeitschr. für die österr. Gymn. XX 1869 p. 348.

telius neglexit, quippe cuius nihil interesset, nisi ut Ebertum refutaret, quod ei contigisse cum alii concesserunt tum H. Dessau[1]) et V. Schultzius;[2]) nec secus E. Klussmannus[3]) et H. Roenschius[4]) professi sunt Ebertum quod voluisset minime demonstravisse.

Iam vero, postquam Schultzius frustra conatus est evincere Minucium Tertulliani vestigiis ingressum esse, editus est *P. Schwenkii*[5]) commentariolus, quem qui legerint valde vereor ne plerique K. I. Neumanno[6]) adsensi sint Schwenkium ad exitum adduxisse quaestionem censenti atque exploratum esse Minucium Tertulliani auctorem fuisse. Atque nuperrime Schwenkii sententiae patronus ita exstitit Reckius,[7]) ut nova argumenta adderet perpauca. Attamen ut quaestionem denuo aggrederer, movit me Augusti Reifferscheidii auctoritas, qui mihi probavit Schwenkium quaestionem non profligavisse, sed Hartelii iudicium veri longe simillimum videri. Quod si hac commentatione demonstravisse videbor, A. Reifferscheidii et Georgii Wissowa ac maxime quidem Guilelmi Studemundi consiliis permulta me debere aperto animo profiteor.

Quid igitur improbandum sit in Schwenkii disputatione deinceps videndum est, nunc quid laudandum sit nolumus reticere. Schwenkius sane non solum Schultzii opinationem refellit, sed etiam quae ratio intercederet inter Minucium et apologetas quosdam Graecos primus eruit et qua via tota quaestio tractanda esset intellexit.[8]) Hanc viam nos quoque ineuntes primo capite

[1]) Herm. XV 1880 p. 473.
[2]) Jahrb. f. protest. Theol. VII 1881 p. 485.
[3]) Jen. Litt.-Zeit. V 1878 p. 56.
[4]) Berl. Philol. Wochenschr. 1884 p. 333.
[5]) Jahrb. f. protest. Theol. IX 1883 p. 263.
[6]) Götting. Gel.-Anz. 1884 p. 358.
[7]) Theol. Quartalschr. LXVIII 1886 p. 64.
[8]) Schwenkii verba haec sunt: 'Dass . . . zwei scharfsinnige Gelehrte, wie Ebert und Hartel auf Grund desselben Materials zu so entgegengesetzten Ergebnissen kommen konnten, beweist nur, wie wenig objektiv überzeugend ihre Art der Untersuchung ist, durch absolute Vergleichung der correspondirenden Partien zu ermitteln, welche Fassung durch correkten Gedankengang in sich und im Zusammenhange des Werkes den grösseren Eindruck der Ursprünglichkeit macht . . . Auf diese Weise kommen wir ebensowenig vorwärts, wie durch die früher gebrauchten Argumente aus Sprache und Stil, Mangel oder Vorhandensein von Bibelcitaten u. s. w. Die Betrachtung beider Schriftsteller aus diesen Gesichtspunkten ist von Interesse, wenn ihr durch schlagendere Beweisgründe eine feste Directive gegeben ist; eine Grundlage

eos Minucii et Tertulliani similes locos contemplabimur, quibus alter uter scriptorem quendam Latinum videtur secutus esse; altero eos, quibus Minucium vel Tertullianum ex auctore quodam Graeco pendere putes; tertio denique demonstrabimus nihil obstare, quominus arbitremur Minucium eodem tempore, quo Tertullianus Apologeticum componeret, vel etiam posteriore scripsisse. Haec enim quaestio, quando scripserit Minucius, ex illa maxime pendet, ususne sit hic Tertulliani Apologetico an Tertullianus Octavio.

CAPUT PRIMUM.

§. 1.

Constat ex M. Tullii Ciceronis libris maxime Minucium Felicem hortulum suum irrigavisse et inde natum esse elegans illud scribendi genus, quod inter scriptores ecclesiasticos cum unius Firmiani Lactantii sermone puro comparare licet. Nec tamen ipsa Tullii verba inspicere solitus est Minucius; multa certe profecta sunt ex pristinae lectionis memoria, neque evolvit Minucius ad Octavium componendum alia Ciceronis scripta ulla praeter tres de natura deorum et duos de divinatione libros, unde haud pauca sumpsit, quae quidem ad rem propositam idonea esse viderentur, et ad verbum plerumque descripta orationibus eorum, quos in Octavio inter se colloquentes fecit, scite intexuit. Atque quomodo libri de natura deorum a Minucio expilati essent, exposuit Ernestus Behrius,[1]) qui quod libros de divinatione pariter examinare noluit dolendum est. Ad alterum utrum autem Ciceronis

für die Beurtheilung des Prioritätsverhältnisses vermag sie nicht abzugeben. — Mir scheint daher eine andere Art der Vergleichung geboten . . . Es steht ausser Zweifel, dass Minucius sowohl als Tertullian andere Schriftsteller benutzt, wenn auch nur zum Theil genannt haben. Finden sich nun in den Partien, welche der eine vom andern entlehnt zu haben scheint, Stellen, welche auf eine solche dritte Quelle zurückgeführt werden können, so muss an ihnen erkennbar sein, welche von beiden Versionen dem Original am nächsten steht und ob sie der andern zu Grunde liegen kann oder muss' (l. c. p. 265 sq.).

[1]) Der Octavius des M. Minucius Felix in seinem Verhältnisse zu Ciceros Büchern de natura deorum. Gerae 1870.

scriptum multos Octavii locos revocavit B. Dombartus.[1]) En conspectum omnium, qui huc referendi esse mihi videntur, locorum:

Cic. de nat. deor.	Min.	Cic. de nat. deor.	Min.
I 1, 1	5, 4; 13, 2 sq.	II 3, 10	7, 3
5, 11	13, 3	5, 15	18, 4
5, 12	5, 2	7, 20	16, 1
6, 14	5, 4	23, 60	21, 2
8, 19	34, 12	24, 62[7])	22, 7[8])
10, 25—16, 42	19, 4 sqq.	28, 71	32, 2
15, 38	21, 2	39, 98. 100[9])	17, 9
16, 42[2])	23, 1 sqq.	40, 104	17, 6
18, 47	18, 1	44, 115	17, 6
20, 52. 54	10, 5	46, 118	34, 2
22, 60	13, 4	47, 121	17, 10
23, 63[3])	8, 2	51, 128	18, 2
24, 66	5, 7	52, 130	18, 3
29, 82[4])	28, 8	53, 132	17, 6
30, 83	22, 5 sq.	56, 140	17, 2. 11
34, 93	38, 5	59, 147	17, 3
38, 108[5])	20, 3	65, 164	18, 3
42, 118 sq.	21, 1 sq.	66, 167	13, 1
II 2, 4	17, 4; 19, 1	III 2, 5	6.
2, 6[6])	7, 3	21, 53[10])	21, 80
3, 7	7, 4	32, 80; 33, 81 sq.	5, 12
3, 8	7, 4	40, 95	40, 3 sq.

Cic. de div.	Min.	Cic. de div.	Min.
I 4, 7	13, 5	II 8, 20 sq. 9, 22	7, 3 sq.
16, 29	7, 4	21, 49	26, 7

[1]) in adnott. l. c.
[2]) cf. de nat. deor. II 28, 70.
[3]) cf. de nat. deor. I 1, 2; 42, 117.
[4]) cf. de nat. deor. I 36, 101.
[5]) cf. de nat. deor. II 2, 5.
[6]) cf. de nat. deor. III 5, 11.
[7]) cf. de nat. deor. III 15, 39; 16, 41; 18, 45.
[8]) cf. Min. 20, 5 sq.
[9]) cf. de nat. deor. II 53, 132.
[10]) Lacunam, quae in codicibus post Cic. de nat. deor. III 25, 65 nunc hiat, a Minucio (5, 7—10) Ciceronem secuto expletam esse docuit K. I. Neumannus Mus. Rhen. XXXVI p. 155 sq.

Cic. de div.	Min.	Cic. de div.	Min.
I 24, 51	7, 3	II 22, 49[1])	20, 4
35, 77	7, 4	24, 52	26, 4
54, 122	26, 9	33, 71	26, 2 sq.
		34, 72; 35, 73	25, 12; 26, 2
		56, 116	26, 6
		57, 118	26, 6

Quorum locorum longe plurimis quin Minucius Ciceronem secutus sit ut nulla est dubitatio, ita Tertullianus hos Ciceronis libros ad Apologeticum scribendum certe non inspexit. Nihilominus locis quibusdam inter Ciceronem et Tertullianum similitudo quaedam ita intercedit, ut Tertullianus cum Minucio congruat. Itaque fieri non potuit, quin Tertullianus in suspicionem veniret Minucio intercedente Tulliana recepisse. Quam suspicionem falsam esse nunc docebo.

Ac primum quidem inter se conferas Cic. de nat. deor. II 2, 5 sq.; Oct. 7. 27, 4; Apol. 22 p. 106, 20.[2]) Prior Minucii locus continet argumenta Caecilii pagani Christianorum religionem impugnantis, quibus Octavii Christiani verba (27, 4) accurate, ut fere solent, respondent:

Cic.	Min.[3])
Itaque et in nostro populo et in ceteris deorum cultus religionumque sanctitates exsistunt in dies maiores atque meliores, idque evenit non temere nec casu, sed quod et praesentes saepe di vim suam declarant, ut et apud Regillum bello Latinorum, cum A. Postumius dictator cum Octavio Mamilio Tusculano proelio dimicaret, in nostra acie Castor et Pollux ex equis pugnare visi sunt, et recentiore memoria iidem Tyndaridae Persem victum nuntiaverunt. P. enim Vatinius, avus	7, 1 sqq.: Nec tamen temere . . . maiores nostri aut observandis auguriis aut extis consulendis aut instituendis sacris aut delubris dedicandis operam navaverunt. specta de libris memoriam: iam eos deprehendes initiasse ritus omnium religionum, vel ut remuneraretur divina indulgentia, vel ut averteretur imminens ira aut iam tumens et saeviens placaretur. testis *mater Idaea, quae adventu suo et probavit matronae castitatem et urbem metu hostili liberavit:* testes equestrium fra-

[1]) cf. de div. II 28, 61.
[2]) Tert. opera omnia rec. F. Ochler. ed. min. Lips. 1854.
[3]) Usus sum editione C. Halmii Vindob. 1867 (corp. script. eccl. Lat. II).

huius adulescentis, cum e praefectura Reatina Romam venienti noctu duo iuvenes cum equis albis dixissent regem Persem illo die captum, senatui nuntiavit . . . 3, 7: Nihil nos P. Claudii bello Punico primo temeritas movebit? qui etiam per iocum deos inridens cum cavea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam iussit, ut biberent, quoniam esse nollent. Qui risus classe devicta multas ipsi lacrimas, magnam populo Romano cladem attulit. Quid? collega eius Iunius eodem bello nonne tempestate classem amisit, cum auspiciis non paruisset? . . . C. Flaminium Coelius religione neglecta cecidisse apud Trasumenum scribit cum magno rei publicae vulnere . . . 3, 10: At vero apud maiores tanta religionis vis fuit, ut quidam imperatores etiam se ipsos dis inmortalibus capite velato verbis certis pro re publica devoverent.

trum in lacu, sicut se ostenderant, statuae consecratae, qui anheli spumantibus equis atque fumantibus de Perse victoriam eadem die qua fecerant nuntiaverunt: *testis ludorum offensi Iovis de somnio plebei hominis iteratio;* et Deciorum devotio rata testis est: testis et Curtius, qui equitis sui mole vel honore hiatum profundae voraginis coaequavit. frequentius etiam quam volebamus deorum praesentiam contempta auspicia contestata sunt. sic Allia nomen infaustum, sic Claudi et Iuni non proelium in Poenos, sed ferale naufragium est, et ut Trasymenus Romanorum sanguine et maior esset et decolor, sprevit auguria Flaminius, et ut Parthos signa repeteremus, dirarum inprecationes Crassus et meruit et inrisit.

27, 4: de ipsis (sc. daemonibus) etiam illa, quae paulo ante tibi dicta sunt, ut *Iuppiter ludos repeteret ex somnio*, ut cum equis Castores viderentur, ut *cingulum matronae navicula sequeretur.*

Tertulliani verba haec sunt: 'Quid ergo de ceteris ingeniis vel etiam viribus fallaciae spiritalis edisseram? phantasmata Castorum, et aquam cribro gestatam, et *navem cingulo promotam*, et barbam tactu inrufatam, ut numina lapides crederentur, ut deus verus non quaereretur?'

Octavius igitur de daemonibus explicans respicit ad *Iovis ludos ex somnio repetentis,* Tyndaridarum, *matris Idaeae* exempla a Caecilio allata; Tertullianus similiter de daemonibus

disserens ad Tyndaridarum et *matris Idaeae* exempla. Minucium vero capite septimo rationem habuisse eius loci Ciceronis, quem supra exscripsimus, auctore Eberto (l. c. p. 367) Schwenkius contendit (l. c. p. 272).[1]) Commemorat autem Balbus Stoicus loco illo Tulliano cum alia exempla tum id, quod ad Tyndaridas pertinet. Sunt igitur, qui putent hoc exemplum ex libris de natura deorum intercedente Octavio (27, 4) in Apologeticum manavisse; indidem Tertullianum *matris Idaeae* exemplum sumpsisse.

At primum exemplis *matris Idaeae* et *plebei hominis,* cuius de somnio ludi Iovis offensi iterum instaurati sunt (Oct. 7, 3), caret locus ille Ciceronis; et parum credibile est Minucium hoc exemplum excerpsisse ex libris de divinatione (I 26, 55), ubi nec Iuppiter nominatur, id quod cum ab aliis tum a Livio factum est (II 36, 2), nec somniat de plebe homo, sicut eodem illo loco Livii, sed 'quidam rusticus Romanus'; nec vero deflexit Minucius ab ecclesiasticorum scriptorum consuetudine ipsa auctorum verba describendi. Non dico Livium Minucio suppeditavisse hanc narratiunculam, quae identidem in litteris Latinis occurrit; Ciceroni Minucium hoc exemplum debere nego. Ac ne ea quidem, quae de Tyndaridis a Caecilio referuntur, a Cicerone profecta sunt. Nam nec Caecilius proelium ad Regillum lacum et P. Vatinium commemoravit nec Balbus statuas fratrum in lacu consecratas aut decertavisse ad Pydnam in acie Tyndaridas, id quod Caecilius disertim praedicavit ('victoriam eadem die, qua fecerant, nuntiaverunt'). Adde, quod propius quam ad Ciceronis verba Minucius accedit ad haec, quae apud Iulium Florum scriptorem rerum (I 28 p. 48, 5 ed. O. Jahn.) leguntur: 'eodem die, quo victus est Perses in Macedonia, Romae cognitum est, cum duo iuvenes candidis equis apud Iuturnae lacum[2]) pulverem et cruorem abluebant. hi nuntiavere. Castorem et Pollucem fuisse creditum volgo, quod gemini fuissent;

[1]) Exempla Deciorum, Curtii, proelii Alliensis, Crassi hoc loco Tulliano desunt. Contra Deciorum exempli mentionem fecit Cicero de div. I 24, 51. Sed Deciorum et Curtii exempla Minucius his quae supra attulimus verbis 'At vero apud maiores e. q. s.' (de nat. deor. II 3, 10) adductus commemorare potuit. Crassi exemplum in libris de divinatione semel atque iterum occurrit: v. de div. I 16, 29 II 9, 22, quo loco Iunii et Claudii atque Flaminii exempla antecedunt (II 8, 20. 21). Proelii Alliensis exemplum et in libris de natura deorum et in libris de divinatione frustra quaeras.

[2]) Ad hunc spectant verba 'fratrum in lacu, sicut se ostenderant, statuae consecratae' (Min. 7, 3).

interfuisse bello,[1]) quod sanguine maderent; a Macedonia venire, quod adhuc anhelarent'.[2]) Quo loco num usus sit Minucius, dubito, siquidem neque statuae a Floro commemorantur neque alii loci in Octavio sunt, unde efficiatur Minucio innotuisse Flori libellum.[3]) Porro huius miraculi persaepe in litteris Latinis mentio fit neque exploratum est a Livio, Flori auctore, non factam esse mentionem,[4]) quocum Minucius aliquotiens congruit.[5]) Illud certe apparet, a Cicerone Minucium hoc exemplum non derivasse.

Accedit, quod apud Tertullianum praeter illa miracula exempla cribri et barbae[6]) leguntur, quae apud Minucium desunt. Quid igitur obstat, quominus censeamus Tertullianum Tyndaridarum et *matris Idaeae* exempla indidem deprompsisse, unde reliqua? Eam sane fabellam, qua de cribro agitur, Augustinus C. D. XXII 11 narravit auctore Varrone, cuius rerum divinarum libros legisse Tertullianum infra videbimus.[7]) Alibi vero Augustinus (C. D. X 16) eandem fabulam isdem fere quibus illo loco verbis usus tradidit, quare probabile est altero quoque loco Varronem Augustino auctorem fuisse. Ubi cum praeter cribri miraculum exemplum

[1]) Min. 'victoriam eadem die, qua fecerant, nuntiaverunt'.

[2]) Min. anheli.

[3]) E. Westerburgius Mus. Rhen. XXXVII 1882 p. 37 putat haec Minucii verba: et tam magni imperii duos fortuna non cepit (18, 6) referenda esse ad hunc Flori locum: tamquam duos tanti imperii fortuna non caperet (II 13 l. c. p. 96, 2). Verum similia leguntur apud Lucanum (populique potentis Non cepit fortuna duos, I 111), quem cum Livio praecipue fecisse ostendit G. Baierus De Livio Lucani in carmine de bello civili auctore. Vratisl. 1874. Quodsi in deperdita parte operis Liviani, qua continebatur Caesaris et Pompei bellum civile (ad hoc enim spectant illi loci), Lucani verbis similia inerant, quidni Minucius a Livio sua sumere potuit, ad quem interdum prope accedit? v. adn. 5. Scripsisse autem Livium similia ne tum quidem negari posset, si vere dixisset Westerburgius Florum Caesaris et Pompei bellum civile narravisse non ad Livii sed ad Lucani exemplum. A Lucano Minucium verba illa mutuatum non esse iure monuit.

[4]) Exspectes enim hoc miraculum eo Livii loco legi, ubi pugna ad Pydnam commissa narratur. Desunt autem post Liv. XXXXIV 40 in codice Vindobonens iduo folia.

[5]) Min. 6, 2 (et per Gallorum acies mirantium superstitionis audaciam pergunt); Liv. V 46, 3 (seu attonitis Gallis miraculo audaciae, seu religione etiam motis). — Nec Graeci et Graecae, Galli et Gallae exempla Minucius (30, 4) Livio (XXII 57, 6) non videtur debere.

[6]) Etiam hoc exemplum ad Tyndaridas pertinet: cf. Plut. Aem. Paul. 25; Sueton. Ner. 1.

[7]) Nunc v. Tert. ad nat. II 1.

matris Idaeae aliaque huius generis commemorentur, Franckenius[1]) totum illum locum suo iure tribuit Varroni. Neque haec Augustini vel potius Varronis verba 'navem . . . una muliercula zona alligatam . . . movit' dissimilia sunt his Tertullianeis 'navem cingulo promotam'. Tyndaridarum porro exemplo non dubito quin usus sit Varro, etsi Augustinus caret, quem pauca ex Varronianis miracula delibasse, nonnulla silentio praeterisse persuasum habeo. Alios certe praeter Minucium et Tertullianum scriptores Tyndaridarum exemplum una cum similibus attulisse, quo ex numero *matris Idaeae* exemplum commemoravisse satis erit, testis est Lactantius I. D. II 7, 9 sqq., qui eo loco neque Octavio neque Apologetico usus est. Cur igitur Varro illud miraculum praetermitteret?

Sed ab ipso Varrone Tertullianum exempla sua mutuatum esse nego. Disputat enim Tertullianus inde a capitis 22 initio de daemonibus ita quidem, ut iis, qui apologetarum, qui vocantur, scripta legerunt, dubium futurum non sit, quin vetustioris cuiusdam scriptoris ecclesiastici verba in usum suum converterit. A Minucio vero hanc Tertulliani de daemonibus explicationem non necessario manavisse Hartelius (l. c. p. 358 sq.) luculenter demonstravit. Scriptores ecclesiastici, ubi de diabolo et de daemonibus exponunt, saepius provocant ad talia miracula, qualia supra commemoravimus (cf. Lact. I. D. II 16, 11; Aug. C. D. XXII 11),[2]) neque alienum videtur statuere apologetam illum, quem Tertullianus de daemonibus disserens secutus est, etiam illa exempla ei dedisse eaque exempla mutuatum esse a Varrone.[3])

[1]) Fragm. Varr. in libr. Aug. de civ. dei, Lugd. Bat. 1836 p. 121.

[2]) Etiam Apuleius Madaurensis haec miracula daemonibus tribuit (de deo Socr. 7).

[3]) Parum recte Schwenkius opinatus est (l. c. p. 273) Tertullianum (Apol. 22 l. c. p. 106, 11 sqq.), ut fallaces esse daemones exemplis comprobaret, Croesi oraculo commemorato, cuius alibi quoque mentionem fecisset (ad nat. II 17), Pyrrhi exemplum addidisse apud Minucium (26, 6) repertum. Quo loco Minucius Ciceronem secutus est (de div. II 56, 115. 116):

Cic.	Min.	Tert.
Nam cum illa sors edita est opulentissumo regi Asiae: Croesus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim, hostium vim se perversu-	De Pyrrho Ennius Apollinis Pythi responsa confinxit, cum iam Apollo versus facere desisset.	In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus (sc. daemones) sciunt Croesi, sciunt Pyrrhi. Ceterum testudinem decoqui

Quis igitur Minucio, quem Deciorum, Curtii, Claudii et Iunii, Flaminii, Crassi exempla Cicerone auctore attulisse puto, *matris Idaeae,* Tyndaridarum, *plebei hominis* miracula suppeditavit? An Varro? At huius scripta Minucium inspexisse indicia sunt nulla. An Tertullianus? At apud hunc *plebei hominis* exemplum non

rum putavit, pervertit autem suam. Utrum igitur eorum accidisset, verum oraculum fuisset. Cur autem hoc credam umquam editum Croeso? aut Herodotum cur veraciorem ducam Ennio? Num minus ille potuit de Croeso quam de Pyrrho fingere Ennius? Quis enim est, qui credat Apollinis ex oraculo Pyrrho esse responsum: Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse? Primum Latine Apollo numquam locutus est; deinde ista sors inaudita Graecis est; praeterea Pyrrhi temporibus iam Apollo versus facere desierat.

cum carnibus pecudis Pythius eo modo renuntiavit quo supra diximus; momento apud Lydiam fuerat.

Vere Hartelius (l. c. p. 359) monuit Tertullianum, si Minucium imitatus esset, existimaturum non fuisse re vera Pyrrho oraculum illud editum esse. Minucius enim auctore Cicerone fictum esse ab Ennio Pyrrhi oraculum scripsit. Deinde Pyrrhi oraculum iam apud veteres vix minus pervulgatum erat et decantatum quam Croesi, quod Minucius praetermisit (cf. Quintil. VII 9, 7; Aug. C. D. III 17; Hier. ep. 41 ad Pamm. et Ocean. ed. Ben. IV 2 p. 344). Tum Tertullianus eis ipsis, quae de daemonibus exposuit, adductus est, ut oraculorum illorum mentionem faceret; contra Minucius de oraculis disputans ad daemones transiit (26, 7), quippe qui auctores essent oraculorum ambiguorum. Meo igitur iudicio Tertullianus e Minucio non pendet. A Tertulliano autem Ciceronis locum inspectum Schwenkius propterea iure negavit, quod neque alibi Ciceronis de natura deorum aut de divinatione libris usus est neque apud Cicero nem similiabis leguntur: 'Ceterum testudinem decoqui . . .'. Itaque in dubio relinquendum est, utrum Tertullianus exempla illa omnibus nota ipse addiderit, an mutuatus sit ab apologeta illo, ad quem reliqua pars eorum, quae de daemonibus exposuit, referenda est. Quod si fecit, non ideo statuendum est apologetam illum usum esse loco illo Tulliano. Quis enim de oraculis verba faciens Croesi et Pyrrhi exemplorum obliviscitur?

exstat. Itaque veri simile est Minucio et ea capitis septimi parte, quae continet tria illa exempla,[1]) et iis capitibus, ubi de daemonibus disputans (26, 7 sqq.; 27) cum Tertulliano (Apol. 22. 23) congruit, eundem fontem praesto fuisse ac Tertulliano. Quos locos quoniam Reckius composuit (l. c. p. 101), ego nolui denuo exscribere. Atque idem concessit (p. 105) nihil obstare, quominus de communi Tertulliani et Minucii auctore cogitetur.

De reliquis locis, quibus inter Minucium, Tertullianum, Ciceronis de natura deorum libros similitudo quaedam intercedit, dicam brevissime.

Ubi de Thalete et Croeso agitur (ad nat. II 2; Apol. 46), neque Minucio (13, 4; 38, 5) neque Cicerone (de nat. deor. I 22, 60), quem Minucius secutus est, usum esse Tertullianum Hartelius docuit (l. c. p. 359), immo Varroni illa tribuenda esse Schwenkius haud inepte coniecit (l. c. p. 268). — Min. 6, 1[2]) (cf. Cic. de nat. deor. III 2, 5) et Tert. ad nat. I 10 in.; Apol. 6 in. vix huc pertinent. Etenim Christianos a maiorum religione descivisse tam saepe obiciebant pagani, ut Tertulliano opus non esset Octavium compilare. — Ubi in numerum deorum relatos esse monet Tertullianus, qui fruges invenissent (Apol. 11 p. 82, 23 sqq.), non Minucium (21, 2; cf. Cic. de nat. deor. I 42, 118) fuisse auctorem infra apparebit. — Nec magis ex Oct. 19, 8 (de Epicuro), Tert. ad nat. II 2 p. 183, 15; Apol. 47 p. 144, 10 colligi posse Minucium Tertulliani imitatorem fuisse aut hunc illius, immo Minucii auctorem fuisse Ciceronem (de nat. deor. I 24, 67; 44, 123; 20, 53), Varronem Tertulliani Schwenkius (l. c. p. 267 sq.) perspexit. Etsi enim Velleius Epicureus philosophorum opiniones recensens eo loco, ad quem spectat Oct. 19 (Cic. de nat. deor. I 10, 25—16, 42), Epicuri mentionem non fecit, tamen Minucius, quippe qui eorum sententias exponere vellet, 'quibus inlustrior gloria esset' (Oct. 20,

[1]) Etiam *plebei hominis* exemplum, quod cum reliquis miraculis coniungi solitum esse docet Lact. I. D. II 7, 20; 16, 11, a Varrone commemoratum esse puto; ab hoc intercedente apologeta illo, cuius vestigia etiam Tertullianus pressit, ad Minucium profectum esse. — Septimo capite praeter Ciceronem alterum a Minucio auctorem adhibitum esse ne Schwenkium quidem fugit; quem Valerium Maximum fuisse, quod illi visum est (l. c. p. 272), frustra studui mihi persuadere. Ceterum *matris Idaeae* exemplum Valerius non habet.

[2]) cf. 20, 2; 24, 2.

1), clarum illum philosophum omittere vix potuit; neque quisquam negaverit locos illos Tullianos (de nat. deor. I 24, 67; 44, 123; 20, 53), quibus de Epicuro agitur, usurpare eum potuisse. Praeterea vide Cic. de nat. deor. I 16, 43.

Iam vero examinandum est, num vere dixerit Schwenkius Minucium ad Octavium componendum Ciceronis de re publica libros in usum suum convertisse et ex his Tulliana intercedente Minucio ad Tertullianum manavisse.

Ac primum quidem inter se conferendi sunt Min. 30, 3 sqq. et Tert. Apol. 9, quibus locis uterque scriptor id agit, ut Christianos iniuria infanticidii insimulari appareat:

Min.

Et haec utique de deorum vestrorum disciplina descendunt: nam Saturnus filios suos non exposuit, sed voravit. merito ei in nonnullis Africae partibus a parentibus infantes immolabantur, blanditiis et osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immolaretur. Tauris etiam Ponticis et *Aegyptio Busiridi* ritus fuit hospites immolare, et Mercurio Gallis humanas vel inhumanas victimas caedere, Romanis Graecum et Graecam, Gallum et Gallam sacrificii loco viventes obruere, hodieque ab ipsis Latiaris Iuppiter homicidio colitur, et quod Saturni filio dignum est, mali et noxii hominis sanguine saginatur.

Tert.

Haec quo magis refutaverim, a vobis fieri ostendam partim in aperto, partim in occulto, per quod forsitan et de nobis credidistis. Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconsulatum Tiberii, qui eosdem sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum votivis crucibus exposuit, teste militia patriae nostrae, quae id ipsum munus illi proconsuli functa est. Sed et nunc in occulto perseveratur hoc sacrum facinus. Non soli vos contemnunt Christiani, nec ullum scelus in perpetuum eradicatur aut mores suos aliqui deus mutat. Cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis utique non parcendo perseverabat, quos quidem ipsi parentes sui offerebant et libentes respondebant et infantibus blandiebantur, ne lacrimantes immolarentur. Et tamen multum homicidio parricidium differt. Maior aetas apud Gallos Mercurio prosecatur. Remitto fabulas Tauricas theatris suis. Ecce in illa religiosissima urbe Aeneadarum piorum est Iuppiter quidam quem ludis suis humano sanguine proluunt. Sed bestiarii, inquitis. Hoc, opinor, minus quam hominis? An hoc turpius, quod mali hominis? certe tamen de homicidio funditur.

Ciceronis igitur loco de re publ. III 9, 15 ('Quam multi, ut Tauri in Axino, ut *rex Aegypti Busiris*, ut Galli, ut Poeni, homines immolare et pium et dis immortalibus gratissimum esse duxerunt!') [1] usum Minucium Tertulliano homicidii exempla suppeditavisse arbitratur Schwenkius.

Et profecto locus Minucianus Ciceronis verbis similior est quam Tertullianeus. *Busiridis* enim exemplum omisit Tertullianus. Quem de re publica libros inspexisse cum aliis locis nullis comprobetur, certo videtur constare locum illum Tullianum Tertulliano ignotum fuisse. Minucium vero, etsi aliis locis nullis efficiatur de re publica libros evolvisse, locum illum videri novisse ideo concedo, quod *Busiridem* commemoravit, quod exemplum cum reliquis coniunctum nusquam deprehendi nisi apud Ciceronem et Minucium. Eo autem, quod hoc exemplo caret Tertullianus, diluitur Schwenkii sententia de Tertulliano e Minucio pendente prolata, siquidem Poenorum, Gallorum, Taurorum exempla praeter Ciceronem et Minucium apud alios quoque scriptores leguntur.[2]

[1]) Ratio, qua sententiae inter se excipiunt, apud Ciceronem longe alia est atque apud Minucium.

[2]) Veluti apud Plutarchum de superst. 13: *Οὐκ ἄμεινον οὖν ἦν Γαλάταις ἐκείνοις καὶ Σκύθαις, τοπαράπαν μήτε ἔννοιαν ἔχειν θεῶν, μήτε φαντασίαν, μήτε ἱστορίαν, ἢ θεοὺς εἶναι νομίζειν χαίροντας ἀνθρώπων σφαττομένων αἵμασι, καὶ τελεωτάτην θυσίαν καὶ ἱερουργίαν ταύτην νομίζοντας; Τί δὲ Καρχηδονίοις οὐκ ἐλυσιτέλει Κριτίαν λαβοῖσιν ἢ Διαγόραν νομοθέτην ἀπ' ἀρχῆς, μήτε τινὰ θεῶν μήτε δαιμόνων νομίζειν, ἢ τοιαῦτα θύειν, οἷα τῷ*

Deinde Schwenkius ipse nos revocavit ad hunc locum Varronianum (Aug. C. D. VII 19): 'Deinde ideo dicit (sc. Varro) a quibusdam pueros ei (sc. Saturno) solitos immolari, sicut a Poenis, et a quibusdam etiam maiores,[1]) sicut a Gallis, quia omnium seminum optimum est genus humanum'. Re vera prima quidem specie ad hunc locum similia Tertulliani verba videntur referri non posse, siquidem Varro teste Augustino non Mercurio, sed Saturno Gallos 'maiorem aetatem' immolavisse tradidit. Sed vere me monuit Georgius Wissowa Augustinum videri a Varrone relata confudisse. Saturnum enim inter Gallorum deos fuisse nusquam scriptum esse nisi illo loco Augustini, a quo pro Mercurio Saturnum substitutum esse. Potuit igitur Tertullianus a Varrone sua sumere, non a Minucio, qui maiorem aetatem apud Gallos Mercurio immolatam esse omnino non commemoravit.[2])

Κρόνῳ ἔθυον; οὐχ ὥσπερ Ἐμπεδοκλῆς φησι τῶν τὰ ζῷα θυόντων καθαπτόμενος,

Μορφὴν δ' ἀλλάξαντα πατὴρ φίλον υἱὸν ἀείρας,
Σφάξει, ἐπευχόμενος μέγα νήπιος·

ἀλλ' εἰδότες καὶ γινώσκοντες αὐτοὶ τὰ αὐτῶν τέκνα καθιέρευον· οἱ δὲ ἄτεκνοι παρὰ τῶν πενήτων ὠνούμενοι παιδία κατέσφαζον, καθάπερ ἄρνας ἢ νεοσσούς· παρειστήκει δὲ ἡ μήτηρ ἄτεγκτος καὶ ἀστένακτος· εἰ δὲ στενάξειεν ἢ δακρύσειεν, ἔδει τῆς τιμῆς στέρεσθαι, τὸ δὲ παιδίον οὐδὲν ἧττον ἐθύετο· κρότον δὲ κατεπίμπλατο πάντα πρὸ τοῦ ἀγάλματος ἐπαυλούντων καὶ τυμπανιζόντων, ἕνεκα τοῦ μὴ γενέσθαι τὴν βόησιν τῶν θρήνων ἐξάκουστον. At Plutarchi scripta a Tertulliano usurpata esse nihil documento est. Adeo autem congruunt inter se nonnullis locis libellus ille Plutarcheus et Senecae de superstitione libri reliquiae ab Augustino servatae, ut ex uno fonte Plutarchum et Senecam sua hausisse veri simillimum sit. Quodsi Seneca in libello de superstitione loco illi Plutarcheo similia scripsit, habes auctorem, a quo Tertullianus exempla illa sumere potuerit. Legisse enim Tertullianum Senecae scripta testimonio sunt hi loci: de anim. 20. 42; de resurr. carn. 1; Apol. 50. 12, quo loco dialogum de superstitione aperte significavit. Nihilominus cur Senecam Tertulliani auctorem non fuisse credam, infra apparebit.

[1]) 'Maior aetas apud Gallos Mercurio prosecatur' scripsit Tertullianus.

[2]) De Iove Latiari dilucidius ita exposuit Tertullianus, ut diceret Iovis statuam ludis Iovis sanguine bestiarii, scelerati scilicet hominis propter scelus ad bestias missi, conspersam esse. Contra Minucius eandem rem ita explanavit, quasi ob id ipsum, ut Iovi sacrificaretur, homo 'malus et noxius' mactatus esset, nec bestiarium hominem illum fuisse aut Romae sacra facta esse aut 'ludis Iovis' addidit. Itaque factum est, ut quibusdam Minucio Tertullianus auctor fuisse videretur: cf. Bonwetsch. l. c. p. 22 adn. 36: 'Fehlt es doch auch nicht an Stellen, in welchen der Eindruck der Originalität bei Tert. ist z. B. die Angabe über dem Saturn in Africa dargebrachte Kinderopfer apol. 9 und Oct. 30, 3, wobei sich Tertullian auf ein bestimmtes Zeugniss beruft, während Octav. nur allgemein redet; ferner apol. 9 wird der dem Juppiter dargebrachte bestiarius von den Heiden zur Entschuldigung als malus homo bezeichnet, und fast nur so könnte Octav. 30, 4 desselben Bezeichnung als malus und noxius homo sich zu erklären scheinen.' — Quamquam Schwenkius coniecit Tertullianum Minucii vestigiis ingressum exempla Graeci et Graecae, Galli et Gallae (cf. hui. comm. p. 8 adn. 5) et Busiridis propterea omisisse, quod ea sacrificia sola enumerare voluisset, quae ipsius aetate coli nondum desita essent. Quod si voluisset, ne Taurorum quidem et Gallorum mentionem facere poterat, quia Minucius dilucide scripsit: 'Tauris etiam Ponticis et Aegyptio Busiridi ritus fuit hospites immolare, et Mercurio Gallis humanas ... victimas caedere.' Quem ritum etiam Tertulliani aetate gentes illae repudiaverunt. Apud Gallos enim teste Suetonio (Claud. 25) sacra illa imperante Claudio abolita sunt. Itaque de Tertulliani verbo 'prosecatur' — in codice Fuldensi, 'qui praestantissimus existimari solet', 'prosecabatur' scriptum est — F. Oehlerus (Tert. Apol. et ad nat. libr. II Hal. Sax. 1849 p. 48) recte iudicavit: 'bene stat prosecatur, quod non opus est pro praesenti accipiatur'. Tauricas vero fabulas 'remittens theatris suis' ipse Tertullianus significare videtur nisi antiquis temporibus haec sacra facta non esse, cum imprimis historia fabularis et vetus memoria poetis ad tragoedias componendas materiem praebere solerent. Atque ex Scorp. 7, ubi Tertullianus Apologeticum videtur adhibuisse, apparet Tertullianum locum illum Apologetici sic intellegi voluisse, ut apud Gallos et Tauros sua ipsius aetate haec sacra iam sublata essent. Scripsit enim illo loco: 'Sed enim Scytharum Dianam aut Gallorum Mercurium aut Afrorum Saturnum hominum victima placari apud saeculum licuit, et Latio ad hodiernum Iovi media in urbe humanus sanguis ingustatur'.

Nec tamen ipsum Varronem exscriptum esse a Tertulliano crediderim. Eis enim similia, quae de Iove Latiari apud hunc scripta sunt, cum excepto Porphyrio (de abst. II 56) nulli scriptores tradiderint nisi ecclesiastici,[1]) probabile est Tertullianum Iovis Latiaris memoriam ab apologeta quodam Christiano sumpsisse. Nam non primum Tertullianum de Iove Latiari scripsisse apparet ex Iust. Apol. II 12, Tat. or. ad Graec. 29, Theophil. ad Autol. III 8. Unde illud exemplum sumpsit, indidem reliqua credo eum petivisse. Ita Saturni exemplum cum Iove Latiari coniunctum est ab Iustino Apol. II 12.[2]) Item Taurorum exem-

---

[1]) Quorum testimonia composuit Th. Roeperus Lucubr. Pontif. prim. Gedani 1849 p. 38.

[2]) *Τίνος γὰρ χάριν οὐχὶ καὶ ταῦτα δημοσίᾳ ὡμολογοῦμεν ἀγαθὰ καὶ φιλοσοφίαν θείαν αὐτὰ ἀπεδείκνυμεν, φάσκοντες Κρόνου μὲν μυστήρια τελεῖν ἐν τῷ ἀνδροφονεῖν, καὶ ἐν τῷ αἵματος ἐμπίπλασθαι, ὡς λέγεται, τὰ ἴσα τῷ*

plum apologetam Christianum redolet. cf. Clem. Alex. Protr. 3, 42.[1]) Hunc vero auctorem ecclesiasticum Varronem imitatum esse puto.

Unde igitur Minucius ea hausit, quae apud Ciceronem invenire non potuit? In his cum sit Iovis Latiaris exemplum, concludendum est etiam a Minucio scriptorem quendam ecclesiasticum inspectum esse. Quem fuisse Tertullianum Schultzius mihi non persuasit.[2])

Etenim 'Saturnus filios suos non exposuit, sed *voravit*' teste Minucio. Quocum testimonio componenda sunt haec verba Varronis, quae leguntur eodem illo Augustini loco (C. D. VII 19), ad quem supra provocavimus: 'Saturnum, inquit (sc. Varro), dixerunt, quae nata ex eo essent, solitum *devorare*'.[3]) Ad

---

παρ' ὑμῖν τιμωμένῳ εἰδώλῳ, ᾧ οὐ μόνον ἀλόγων ζῴων αἵματα προσραίνετε ἀλλὰ καὶ ἀνθρώπεια, διὰ τοῦ παρ' ὑμῖν ἐπισημοτάτου καὶ εὐγενεστάτου ἀνδρὸς τὴν πρόσχυσιν τοῦ τῶν φονευθέντων αἵματος ποιούμενοι. . . — Lactantius I. D. I 21, 1 sqq. (de Cypriis — Tauris — Gallis — Latiari Iove — Saturno) aut Tertullianum aut Minucium videtur imitatus esse: v. Lact. I. D. I 11, 55 V 1, 22. 23; 4, 3.

[1]) Ταῦροι δὲ τὸ ἔθνος, οἱ περὶ τὴν Ταυρικὴν χερρόνησον κατοικοῦντες, οἷς ἂν τῶν ξένων παρ' αὐτοῖς ἕλωσι, τούτων δὴ τῶν κατὰ θάλατταν ἐπταικότων, αὐτίκα μάλα τῇ Ταυρικῇ καταθύουσιν Ἀρτέμιδι· ταύτας σοι τὰς θυσίας Εὐριπίδης ἐπὶ σκηνῆς τραγῳδεῖ. Quem locum ubi cum similibus verbis Tertulliani et Minucii contuleris, intelleges hunc ad theatra minime provocavisse. Quo veri similius est Tertullianum Minucii vestigia non pressisse.

[2]) Imprudens sit, si quis ex eo, quod Tertullianus in Poenorum exemplo persequendo copiosior est, quam Minucius, ratiocinetur hunc illius verba excerpsisse. Tertullianus enim, cuius patria Africa esset, a Minucio relata perfacile supplere potuit. — Ceterum parum probabiliter Schwenkius: 'Legt man Tertullian zu Grunde', inquit, 'so wäre . . . undenkbar . . ., dass Minucius, entgegen dem Interesse der Apologie, sämmtliche Beispiele mit Ausnahme des Iuppiter Latiaris wieder in die Vergangenheit verlegt haben sollte.' Cur, quaeso, Minucius, quoniam diximus (p. 14 sq. adn. 2) aetate illa apud Tauros et Gallos haec sacra facta non esse, a vero discederet? Atque Schultzius (l. c. p. 495) ostendit, quomodo immolabantur illud Minucii explicari posset: Minucium enim consuetudinis illius liberorum Saturno immolandorum ideo tamquam priscae mentionem fecisse, quod haec sacra, quae Tertulliani temporibus in more fuissent, Minucii aetate fieri desita essent; quae si tum facta essent, gravi illo argumento Minucium usurum fuisse. Potuit sane eodem, quo ab ipso Tertulliano factum est (Scorp. 7; v. hui. comm. p. 14 sq. adn. 2), modo Minucius locum illum Apologetici in usum suum convertere. Sed cur potius credam ex uno fonte utrumque sua hausisse, infra demonstrabitur.

[3]) cf. Aug. C. D. VI 8; Serv. ad Aen. VIII 322.

quae verba cum Minucius propius accedat, quam ad haec Tertullianea: 'Cum propriis filiis Saturnus *non pepercit*', ex Apologetico Minucium verba illa sumpsisse probabile non est.[1]) Varronem autem si secutus esset, intra brevem verborum circuitum tres auctores adhibuisset, scriptorem ecclesiasticum, Ciceronem, Varronem. Quod studiorum genus in Minucio vix deprehendas. Multo igitur veri similius est scriptorem illum ecclesiasticum, quem Minucius secutus est, Varronis vestigiis ingressum esse eumque non diversum esse ab illo, quem Tertullianus imitatus est; nam apud hunc quoque verba quaedam Varroniana agnosci supra demonstravimus. Quae non ab ipso Varrone, seda scriptore illo ecclesiastico mutuatum eum esse iam probabilius videri statuo.[2])

Sed satis de his locis actum est; transeo ad alterum locum, quo Schwenkius tertium de re publica librum a Minucio quidem adhibitum esse existimat (Oct. 25, 1 sqq.), non a Tertulliano, cuius verba similia (Apol. 25) ex Octavio videantur manavisse:[3])

---

[1]) Nec Cicero de nat. deor. II 25, 64, qui scripserit: 'ex se enim natos (Saturnus) *comesse* fingitur solitus', Minucii auctor iudicandus est.

[2]) Ad eundem auctorem haec verba (ad nat. II 12 p. 201, 2) referenda esse puto: 'Itaque filios virili sexu *devorabat*; melius ipse, quam lupi, si exponeret'. — Etiam reliqua pars noni Apologetici capitis et Oct. 30, 5 sqq.; 31, 1 sqq. ex uno fonte videntur fluxisse. Nam quod Schwenkius arbitratur Minucium Catilinae exemplum (30, 5) a Floro (II 12 l. c. p. 93, 12) mutuatum esse, lubrica admodum est coniectura. Quem etiamsi secutus esset Minucius, tamen minime efficeretur Tertullianum (Apol. 9 p. 77, 21) ex Octavio sua hausisse. Agnoscitur enim ne unum quidem Flori verbum apud Tertullianum, qui voce 'degustare' usus est, sicut Sallustius (de Cat. coni. 22,2).

[3]) Schwenkius (l. c. p. 271) probabiliter iudicavit Minucio sexto capite, ubi Caecilius exponit Romanos religione et pietate magnos factos esse, ante oculos obversatos esse hos locos Ciceronis: de nat. deor. III 2, 5; II 3, 8. Ad sextum autem illud caput respicit Oct. 25, ubi Octavius Caecilii sententiam refellit. Nec secus Tertullianus (Apol. 25 sq.) ait Romanos religione magnos factos non esse. 'Quoniam tamen', inquit (Apol. 25 p. 113, 4 sqq.), 'Romani nominis proprie mentio occurrit, non omittam congressionem, quam provocat illa praesumptio dicentium Romanos pro merito religiositatis diligentissimae in tantum sublimitatis elatos, ut orbem occuparint, et adeo deos esse, ut praeter ceteros floreant qui illis officium praeter ceteros faciant.' Quibus ex verbis elucet, quam saepe Romani Christianis obicere soliti sint deorum religione orbis terrarum imperium adeptos se esse; cum praesertim praeter Minucium et Tertullianum alii scriptores ecclesiastici 'praesumptionem' illam propulsare studeant. Veluti Augustinus (C. D. III 12; 17 sqq.) cladibus populi Romani probavit nihil deos rei publicae consuluisse; vide etiam Arnob. VII 44 (p. 278, 14 Reiff.) 49; Min. 12, 5; Orig. c. Cels. VIII 69.

Min. 25, 1 sqq.

1 At tamen ista ipsa superstitio Romanis dedit, auxit, fundavit imperium, cum non tam virtute quam religione et pietate pollerent. nimirum insignis et nobilis iustitia Romana ab ipsis imperii nascentis incunabulis auspicata est. 2 nonne in ortu suo et scelere collecti et muniti immanitatis suae terrore creverunt? nam asylo prima plebs congregata est: confluxerunt perditi, facinerosi, incesti, sicarii, proditores, et ut ipse Romulus imperator et rector populum suum facinore praecelleret, parricidium fecit. haec prima sunt auspicia religiosae civitatis. 3 mox alienas virgines iam desponsatas,

Tert. Apol. 25 l. c. p. 115, 3 sqq.

Sed quam vanum est fastigium Romani nominis religiositatis meritis deputare, cum post imperium sive adhuc regnum religio profecerit. Age iam, rebus religio profecerit? Nam etsi a Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris aut templis res divina apud Romanos constabat. Frugi religio et pauperes ritus et nulla Capitolia certantia ad caelum, sed temeraria de caespite altaria, et vasa adhuc Samia, et nidor ex illis, et deus ipse nusquam. Nondum enim tunc ingenia Graecorum atque Tuscorum fingendis simulacris urbem inundaverant. Ergo non ante re-

Omnes consentiunt Christianorum deum populis regna divisisse; atque eundem Romanis imperium dedisse. cf. Min. 25, 12; Tert. Apol. 25; Theophil. ad Autol. III 26 sq.; orac. Sibyll. III 158 sqq.; IV 49 sqq.; VIII 6 sqq. Itaque non cogimur statuere Minucio auctore Tertullianum 'praesumptionem' illam refellisse. — Ebertus (l. c. p. 353) monuit Apologetici capita 25 et 26 cum eis, quae ante Tertullianus disseruit, vix cohaerere et inepta causa Tertullianum motum se esse dixisse, ut ad caput 25 transiret; vide locum Tertulliani paulo ante exscriptum. Quae transitio quamvis parum sollers sit, venia tamen danda est Tertulliano, qui in Apologetico componendo haud multum temporis consumpserit (Ebert. l. c. p. 351); atque etiam alios similes transitus excidisse Tertulliani calamo ipse Ebertus concessit (l. c. p. 344, 348, 352). Neque oblitus est Tertullianus, ubi 'praesumptionem' illam impugnat, ante propositum sibi fuisse 'crimen laesae Romanae religionis' defendere. cf. Hartel. l. c. p. 357, 28—34; Tert. Apol. 27 in. Ceterum scite scripsit H. Roenschius Das neue Testam. Tert. Lips. 1871 p. 30 haec: 'Wenn die Übergänge bei ihm nicht so schulgerecht und elegant sein sollten, wie bei Minuc. Felix, so findet deren Kürze . . . ihre Erklärung in dem Gedankenreichthum des Schriftstellers und in seinem Bestreben, solch überströmender Fülle in der kürzesten Form Worte zu geben, ohne bei den äusseren Bindemitteln der einzelnen Theile sich länger aufzuhalten, als eben unbedingt von Nöthen war'.

iam destinatas et nonnullas de matrimonio mulierculas sine more rapuit, violavit, inlusit, et cum earum parentibus, id est cum soceris suis bellum miscuit, propinquum sanguinem fudit. quid inreligiosius, quid audacius, quid ipsa sceleris confidentia turpius? 4 iam finitimos agro pellere, civitates proximas evertere cum templis et altaribus, captos cogere, damnis alienis et suis sceleribus adolescere cum Romulo regibus ceteris et posteris ducibus disciplina communis est. 5 ita quicquid Romani tenent, colunt, possident, audaciae praeda est: templa omnia de manubiis, id est de ruinis urbium, de spoliis deorum, de caedibus sacerdotum: hoc insultare et inludere est, victis religionibus servire, captivas eas post victorias adorare. nam adorare quae manu ceperis, sacrilegium est consecrare, non numina. 7 totiens ergo Romanis impiatum est quotiens triumphatum, tot de diis spolia quot de gentibus sunt tropaea. igitur Romani non ideo tanti, quod religiosi, sed quod impune sacrilegi.

Cic. de re publ. III 15, 24 Furius, postquam non iustitia

ligiosi Romani quam magni, ideoque non ob hoc magni, quia religiosi. Atquin quomodo ob religionem magni, quibus magnitudo de inreligiositate provenit? Ni fallor enim, omne regnum vel imperium bellis quaeritur et victoriis propagatur. Porro bella et victoriae captis et eversis plurimum urbibus constant. Id negotium sine deorum iniuria non est. Eaedem strages moenium et templorum, pares caedes civium et sacerdotum, nec dissimiles rapinae sacrarum divitiarum et profanarum. Tot igitur sacrilegia Romanorum quot tropaea, tot de deis quot de gentibus triumphi, tot manubiae quot manent adhuc simulacra captivorum deorum. Et ab hostibus ergo suis sustinent adorari et illis imperium sine fine decernunt quorum magis iniurias quam adolationes remunerasse debuerant. Sed qui nihil sentiunt tam impune laeduntur quam frustra coluntur. Certe non potest fidei convenire, ut religionis meritis excrevisse videantur qui, ut suggessimus, religionem aut laedendo creverunt aut crescendo laeserunt. Etiam illi quorum regna conflata sunt in imperii Romani summam, cum ea amitterent, sine religionibus non fuerunt.

sed sapientia divitias potestates, opes honores, imperia regna vel privatis vel populis comparari explicavit, hunc in modum verba facit: 'Sed quoniam de re publica loquimur, sunt inlustriora, quae publice fiunt, quoniamque eadem est ratio iuris in utroque, de populi sapientia dicendum puto. Ut iam omittam alios, noster hic populus, quem Africanus hesterno sermone a stirpe repetivit, cuius imperio iam orbis terrae tenetur, iustitia an sapientia est e minimo omnium [maximus factus?]' Hic monet Angelus Maius [1]) desiderari minimum quattuor paginas. Locum abruptum Schwenkius arbitratur suppleri posse ope Lactantii (I. D. V 16, 3) summam disputationis Romae a Carneade habitae referentis. Carneadem quidem cum alia tum haec dixisse: 'proinde aut nullam esse iustitiam; aut, si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceret, alienis commodis consulens'. Deinde sic pergit Lactantius: „Et inferebat haec argumenta: 'Omnibus populis, qui florerent imperio, et Romanis quoque ipsis, qui totius orbis potirentur, si iusti velint esse, hoc est, si aliena restituant, ad casas esse redeundum, et in egestate ac miseriis iacendum'. Tum omissis communibus ad propria veniebat. 'Bonus vir', inquit, 'si habeat servum fugitivum e. q. s.'" — Ii quidem loci Institutionum divinarum libri sexti, quos C. F. W. Muellerus [2]) congessit, utrum Ciceroni tribuendi sint an ipsi Lactantio, diiudicari nequit; illo, quem exscripsimus, loco Ciceronem secutus est Lactantius. Qui etsi ad Carneadem provocavit, tamen M. Tullium nominavit et Furium (I. D. V 16, 13) libro de re publica tertio Carneadis exemplo disserentem: cf. Cic. de re publ. III 5, 8 sq.; Lact. I. D. V 17, 14.[3])

Quid igitur Schwenkius ex locis illis Ciceronis et Lactantii effecit? 'Die hervorgehobenen Stellen, inquit, zeigen, dass gerade an der Urgeschichte des römischen Volkes und der allmählichen Ausbreitung seiner Herrschaft seine Ungerechtigkeit nachgewiesen war. Das aber ist das Thema des Minucius (25, 1): nimirum insignis et nobilis iustitia Romana ab ipsis imperii nascentis incunabulis auspicata est. Belege dafür sind ihm die Eröffnung des Asyls, der Brudermord des Romulus, der Raub der Sabinerinnen,

[1]) Cic. de re publ. quae supersunt. Romae 1846.

[2]) M. Tull. Cic. script. rec. P. IV Vol. II p. 338 sq.

[3]) 'Adeone ergo iustitiam, o Furi, vel potius a Carneade, cuius est illa omnis oratio, tam inanem . . . tamque contemptam deo putas, ut . . .?'

alles seiner ursprünglichen Absicht, zu beweisen, dass nicht die superstitio Romana Grund der Weltherrschaft sei, nicht recht entsprechend und nur aus dem Zusammenhange seiner Quelle zu erklären. Erst weiterhin, wo in dieser von den Eroberungskriegen die Rede war, kommt er seinem Zwecke näher: iam finitimos agro pellere, civitates proximas evertere cum templis et altaribus etc. Tertullian setzt an beiden Parallelstellen Apol. 25 und ad Nat. II 17 erst an diesem Punkte ein, sehr zum Vortheil der strikteren Beweisführung. Aber eben deshalb ist nicht glaublich, dass Minucius, von ihm unbefriedigt, auf Cicero zurückgegangen wäre.'

Meo quidem iudicio ex verbis 'omnibus populis e. q. s.' non sequitur Furium exordiis rei publicae Romanae et finium imperii propagatione probavisse, quam iniuste Romani in ceteras gentes se gessissent. Quod ex Lactantii verbis: 'Tum omissis communibus ad propria veniebat' necessario certe non efficitur. Ceterum iure ac merito quaerendum est, nonne verbis: 'Omnibus populis e. q. s.' idem fere contineatur, quod his Furii apud Ciceronem: 'Ut iam omittam e. q. s.', nisi quod Furius multo cautius prudentiusque loquitur quam Lactantius, qui Ciceronis verba ad impugnandam adversariorum iniustitiam quasi acuit. Quid autem concludendum est ex his verbis Ciceronis: 'Ut iam omittam alios e. q. s.'? Verba 'noster hic populus, quem Africanus hesterno sermone a stirpe repetivit', documento sunt Ciceronem, cum altero de re publica libro Scipionem Africanum 'originem' populi Romani repetentem et sapientia Romanos summam potentiam consecutos esse copiosissime exponentem fecisset, res ab eis gestas tertio libro noluisse iterum tractare. An putamus Ciceronem patriae amantissimum rebus populi Romani, quas alibi summis laudibus extollere soleat, iniurias eius patefecisse? Etsi enim l. c. quaerit, iustitiane an sapientia populi Romani res publica ex tenui facta sit florentissima, et Laelius Ti. Gracchum vituperat, quod sociorum nominisque Latini iura ac foedera neglexerit (de re publ. III 29, 41), tamen hic ipse locus testimonio est imperium populi Romani Ciceroni iure occupatum visum esse. [1]) Nec Cicero inclutam Ro-

[1]) De off. I 10, 33 Cicero dubitat, num verum sit Q. Fabium Labeonem adversus Nolanos et Neapolitanos iniuste se gessisse. Quod Corinthum deleverint excusat Romanos (ib. 11, 35); quos iustitiam maxime coluisse; 11, 37; 13, 39 sq. iustitiae Romanae exempla cumulantur. 12, 38 haec legimus: 'cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Poenis, Pyrrho de imperio dimicabatur. Poeni foedifragi, crudelis Hannibal, reliqui iustiores.'

Wojew. Lib. CZYTELNIA Pub. w Opolu

manorum pietatem religionemque deorum non inlusisset, si scripsisset Romanos alienis gentibus bello illato templis, aris, sacerdotibus non pepercisse: cf. Oct. 25, 4 sq. Tam acri tamque ardenti oratione Furius improbitatis patrocinio suscepto (Cic. de re publ. III 5, 8) in iniustitiam Romanorum certe invectus non est. Sic loquentem Cicero ne Laelium quidem facere potuit, cui propositum est ostendere 'nihil tam inimicum quam iniustitiam civitati' (Aug. C. D. II 21). Neque magis intellego, qua re cogamur credere verba 'nimirum insignis et nobilis iustitia Romana e. q. s.' Cicerone auctore a Minucio scripta esse neque video, cur ab eius consilio ostendendi superstitionem Romanis imperium non fundavisse aliena sit asyli constituti, fratris a Romulo interfecti, virginum ex Sabinis raptarum mentio. Ut enim probaret religione Romanos imperium consecutos non esse, demonstrandum ei erat impios Romanos fuisse. Quoniam autem religio maxime cernitur in iustitia — scripsit enim haec ipse Minucius: 'apud nos religiosior est ille qui iustior' 32, 3,[1]) — quomodo, quaeso, de impietate Romanorum melius paganis persuadere potuit, quam iniustitiae Romanae exemplis prolatis? Quae ut proferret, quid Cicerone indiguit?

Itaque cum veri simile sit Minucium illo loco Ciceronem secutum non esse, ne Tertulliani quidem subtilissimam argumentationem ex illo pendere contendere licet, quam Minucianae praeferendam esse ipse Schwenkius confessus est. Nec magis his locis efficitur Tertullianum Minucii auctorem fuisse. Superest, ut statuamus etiam his locis Minucium et Tertullianum ex uno auctore pendere,[2]) qui quin ecclesiasticus fuerit scriptor vix dubium est, cum in utroque loco impressa sint vestigia irae illius ac studii, quibus apologeta Christianus adversariorum superstitionem impugnaverat. Apologetis quidem potissimum in deliciis fuit probare religionem ac pietatem Romanis imperium non dedisse. Addo locis p. 17 sq. adn. 3 allatis Aug. de cons. ev. I 18 sq., ubi num Minucium Augustinus imitatus sit, quod Schwenkio (l. c. p. 271

[1]) Lact. I. D. V 19, 30: 'Nostra vera religio et firma est et solida et immutabilis, quia iustitiam docet.' VI 25, 7: 'Nulla igitur alia religio est vera, nisi quae virtute ac iustitia constat'.

[2]) Optime quadrant in hos locos haec verba Hartelii (l. c. p. 366): 'Wenn Minucius den Tertullian oder Tertullian den Minucius als Vorlage gehabt hätte, würde die Uebereinstimmung eine weitaus grössere sein, als sie thatsächlich ist. So ohne Scheu verfahren beide im Ausschreiben fremder Quellen'.

adn. 1) visum est, valde dubito. Commendatur denique sententia nostra eo, quod Minucius (25, 7 sq.) etiam paulo post ea, de quibus nunc agitur, verba eundem apologetam ac Tertullianus secutus est, id quod infra copiosius explanabimus.

Antequam ad tertium locum transeam, quo de re publica libros Minucium inspexisse proclivis est suspicio, breviter disputabo de Min. 25, 12, quem locum a Tertulliano Apol. 26 p. 116, 9 sqq. exscriptum esse arbitratur Ebertus. Cui quamquam Hartelius iure contradixit, tamen N. Bonwetschius (l. c. p. 22) Eberto assensus est. Quare quin redintegremus quaestionem, facere non possumus. Quodsi nobis contigerit, ut hos locos ad communem auctorem ecclesiasticum revocemus, eo magis videbuntur etiam illis de quibus modo actum est locis Minucius et Tertullianus ex eodem apologeta pendere. Illi enim loci cum iis, de quibus nunc disputandum est, arto sententiarum conexu cohaerent:

Min.	Tert.
Et tamen ante eos (sc. Romanos) Deo dispensante diu regna tenuerunt Assyrii, Medi, Persae, Graeci etiam et Aegyptii, cum Pontifices et Arvales et Salios et Vestales et Augures non haberent nec pullos cavea reclusos, quorum cibo vel fastidio res publica summa regeretur.	Quid erratis? prior est quibusdam deis suis silvestris Roma, ante regnavit quam tantum ambitum Capitolii extrueret. Regnaverant et Babylonii ante Pontifices, et Medi ante Quindecimviros, et Aegyptii ante Salios, et Assyrii ante Lupercos, et Amazones ante Virgines Vestales. Postremo si Romanae religiones regna praestant, nunquam retro Iudaea regnasset despectrix communium istarum divinitatum, cuius et deum victimis et templum donis et gentem foederibus aliquamdiu Romani honorastis, numquam dominaturi eius, si deo non deliquisset ultimo in Christum.

Octavium Christianum memorem horum Caecilii verborum (6, 2): 'dum urbem muniunt sacrorum religionibus, castis virginibus, multis honoribus ac nominibus sacerdotum' castitate virginum Vestalium inlusa (25, 10) pontifices, Arvales, Salios,

Vestales, augures appellavisse Ebertus ut scite monuit, ita quam imprudenter idem negaverit Tertulliano fuisse, cur sacerdotia commemoraret, docuit Hartelius. Cur, quaeso, Tertullianus sacerdotes silentio praeteriret, qui toto capite 25 de Romanorum religione et cultu deorum verba fecerit? Accedit, quod paulo ante Capitolium nominavit et Numam Pompilium (vide locum p. 18 exscriptum), quem Cicero de re publ. II 14, 26 pontifices . . . Salios virginesque Vestales constituisse testis est. Iam vero aliud praesto est argumentum, quo comprobetur Tertullianum e Minucio non pendere. Octavius enim ad Caecilii verba respiciens (6, 2 castis virginibus) virginum Vestalium pudicitiam cavillatur (25, 10), qua cavillatione caret Tertulliani liber. Videtur igitur a Minucio satis actum esse de Vestalibus. Nihilominus paulo post una cum reliquis sacerdotiis eaedem iterum commemorantur. Cur quaeso? Putes Minucium Tertulliani vestigiis ingressum esse. Porro Eberto permirum visum est, quod Tertullianus gentibus et rebus gestis et magnitudine imperii inlustrissimis Amazones adiunxit: Octavii videlicet loco illo lecto ac facete copulatis singulis gentibus cum singulis sacerdotum collegiis, cum desideraretur nomen eius gentis, quae virginibus Vestalibus responderet, illuc, ut Amazones afferret, cum confugisse. Sane exquisitarum facetiarum specimen dedit Tertullianus, cum Vestales cum Amazonibus iungeret, nec tamen e Minucio pendet. Quoniam enim supra ostendimus satis causae fuisse Tertulliano, cur sacerdotia illa commemoraret, cur putemus Vestalium collegium a Minucio eum sumpsisse? Praeterea Tertullianus nisi eas gentes, penes quas fuisset imperium, enumerare noluit.[1]) Quod imperium utrum magnum esset necne, nihil interfuit. Si interfuisset, Iudaeos omisisset. Quidni igitur Amazones commemoraret, quas habuisse imperium veteres certe crediderunt? Vide G. Grote History of Greece I p. 286 sqq. Iniuria autem Ebertus Tertullianum vituperavit, quod Persas tacuit, Babyloniorum mentionem fecit: vide Orac. Sibyll. V 433 sqq. XI 204 sq. (ed. II Alex.); neque iustius illud reprehendit, quod augures non commemoravit Tertullianus. At enim idem potuit id reprehendere, quod Minucius quindecimviros omisit, quod collegium non tantum dignitate atque auctoritate cum pontificibus et auguribus certavit,[2]) sed etiam

[1]) Hartel. l. c. p. 356.

[2]) Vide L. Preller. Röm. Myth. I³ p. 148.

multo ante Sullae aetatem viguit, quamvis inde demum a Sullae temporibus ex quindecim viris constaret.[1]) Denique bene monuit Hartelius Minucium, ut transitum sibi pararet ad 'auspicia et auguria' Romana (Oct. 26, 1), augures praetermittere non potuisse, Tertulliano cur commemoraret nullam fuisse causam ideoque silentio praetermissos esse. Ceterum apparet Minucium capite 26 ex Ciceronis libris de divinatione (vide indicem nostrum p. 4 sq.) sua hausisse. Itaque apud Tertullianum, quippe qui Minucii libellum non adhibuerit, capiti illi respondet nihil.

Quo igitur modo explicanda est similitudo locorum illorum? Unde Tertullianus adscivit nomina Babyloniorum et Iudaeorum, quibus Minucius caret? Hic vero cui debet Persarum, et Graeorum nomina in Apologetico omissa? Utrumque scriptorem suspicor apologetae cuiusdam vestigia pressisse, cui hi versus oraculorum Sibyllinorum praesto fuerint, quibus — si ab Amazonibus recesseris, quas ipsum Tertullianum eiusve auctorem addidisse puto, — omnium gentium a Minucio et Tertulliano enumeratarum mentio fit:

III 158 sqq.

Αὐτὰρ ἔπειτα, χρόνου περιτελλομένοιο,
Αἰγύπτου βασίλειον ἐγείραιο· εἶτα τὸ Περσῶν,
Μήδων, Αἰθιόπων τε, καὶ Ἀσσυρίης Βαβυλῶνος,
Εἶτα Μακηδονίων, πάλιν Αἰγύπτου, τότε Ῥώμης.

167 sqq.

Οἶκος μὲν γὰρ πρώτιστος Σολομώνιος ἄρξει
Φοινίκης τ' Ἀσίης ἐπιβήτορας, ἠδὲ καὶ ἄλλων
Νήσων, Παμφίλων τε γένος, Περσῶν τε, Φρυγῶν τε,
Καρῶν, καὶ Μυσῶν, Λυδῶν τε γένος πολυχρύσων.
Αὐτὰρ ἔπειθ' Ἕλληνες ὑπερφίαλοι καὶ ἄναγνοι,
Ἀλλὰ Μακηδονίης ἔθνος μέγα ποικίλον ἄρξει,
Οἳ φοβερὸν πολέμοιο νέφος ἄξουσι βροτοῖσιν.[2])

Iam nullum spero Eberti et Bonwetschii sententiae patronum remansurum, cum praesertim quam falso ille iudicaverit argumen-

[1]) Post annum 367 a. Chr. decemviri erant, initio duoviri: v. Marquardt. Röm. Staatsverw. III² p. 380.

[2]) Cum his versibus cf. Orac. Sibyll. IV 49 sqq. — Eundem apologetam Tertullianus mihi videtur secutus esse ad nat. II 17 p. 213, 11 sqq., quem locum restituit M. Klussmannus Cur. Tertull. part. tres. Rudolphopoli 1886 p. 80.

tationem, quae Tertulliani capitibus 25 et 26 continetur, confusam esse perturbatamque, Hartelius (l. c. p. 350) tam egregie docuerit, ut mihi quidem persuasum sit Tertulliani scriptoris virtutes, imprimis artem componendi, brevitatem gravem sententiarumque plenam, iudicium sincerum, ingenii acumen vix unquam magis eminere.[1])

Huc digresso breviter disserendum mihi est de his locis: Cic. de re publ. IV 5, 5 (apud Nonium p. 308 M.); Min. 23, 2; Tert. ad nat. II 7 l. c. p. 192, 8:

Cic.	Min.	Tert.
Ego vero eodem, quo ille Homerum redimitum coronis et delibutum unguentis emittit ex ea urbe, quam sibi ipse fingit.	Et Plato ideo praeclare Homerum illum inclytum laudatum et coronatum de civitate, quam in sermone instituebat, eiecit.	Criminatores deorum poetas eliminari Plato censuit, ipsum Homerum sane coronatum civitate pellendum.

Num Minucius caput illud Tullianum inspexerit, ambigo, siquidem neque verbis 'praeclare laudatum' quae conferenda sunt cum verbis quibusdam eius loci Platonici, ad quem tres de quibus agitur loci spectant (de re publ. III 9 p. 398 A)[1]) — ibi enim Plato Homerum, antequam dicat unguento delibutum et lana coronatum e civitate emittendum esse, *ἱερὸν καὶ θαυμαστὸν καὶ ἡδύν* appellat — apud Ciceronem quicquam respondet, nec commemoravit Minucius 'delibutum unguentis' Homerum a Platone e civitate, quam finxit, emissum esse; nec probabile est Minucium enuntiatum illud aliunde sumpsisse atque ea, quae subinde sequuntur (usque ad Oct. 23, 8), quae ex Ciceronis de re publica libro quarto ma-

[1]) Vehementer dolendum est, quod verba 'Sed postea Romani cum indigenis suis, etiam si qui non regnaverunt?' (Apol. 25 p. 114, 22) adeo depravata et corrupta sunt, ut certo emendari vix possint.

[2]) *Ἄνδρα δή, ὡς ἔοικε, δυνάμενον ὑπὸ σοφίας παντοδαπὸν γίγνεσθαι καὶ μιμεῖσθαι πάντα χρήματα, εἰ ἡμῖν ἀφίκοιτο εἰς τὴν πόλιν αὐτός τε καὶ τὰ ποιήματα βουλόμενος ἐπιδείξασθαι, προσκυνοῖμεν ἂν αὐτὸν ὡς ἱερὸν καὶ θαυμαστὸν καὶ ἡδύν, εἴποιμεν δ' ἄν, ὅτι οὐκ ἔστι τοιοῦτος ἀνὴρ ἐν τῇ πόλει παρ' ἡμῖν οὔτε θέμις ἐγγενέσθαι, ἀποπέμποιμέν τε εἰς ἄλλην πόλιν μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχέαντες καὶ ἐρίῳ στέψαντες.* De Homero praecipue Platonem cogitasse apparet ex iis, quae ante ab eo disputata sunt. — Ipsum Platonis locum si Minucius aut Tertullianus inspexissent, propius ad illius verba accederent.

navisse incertum est (Schwenk. p. 280 sq. adn. 2.), ad scriptorem quendam ecclesiasticum referenda esse post videbimus. Iam vero quoniam ipsum illum locum Platonicum similesve Platonis locos scriptores ecclesiastici in deliciis habere videntur (cf. Iust. Apol. II 10; Ps.-Iust. coh. ad gent. 24), Minucius auctore quodam Christiano usus esse indicandus est, quem Tertullianum fuisse nemo crediderit. Etenim nec verbis Tertullianeis Minucius adduci potuit, ut voces 'praeclare laudatum' usurparet, et verbis illis alia apud Tertullianum tamquam vicinia est ac Minucianis. Exspectes enim enuntiatum illud legi ad nat. I 10 p. 169, 16 vel Apol. 14, p. 87, 10, sed deest utroque loco.

Locus igitur Tullianus non Minucio intercedente ad Tertullianum manavit. Qui toto illo capite, quo continetur is, de quo nunc agitur, locus, de deorum 'genere mythico, quod poetis deputatur', disputavit auctore Varrone, cuius vestigia Tertullianus toto libro ad nationes altero diligenter pressit, id quod ipse professus est in primo capite huius libri, ubi cum alia leguntur tum haec: 'Triplici enim genere deorum censum distinxit (sc. Varro): unum esse physicum, quod philosophi retractant, aliud mythicum, quod inter poetas volutetur, tertium gentile ...' Quodsi quaesiveris, unde orta sit similitudo illa verborum Minucii et Tertulliani, in promptu est suspicari scriptorem illum ecclesiasticum, quem Minucium secutum esse diximus, Varronis ingressum esse vestigiis, praesertim cum infra demonstraturi simus ea quoque, quae paulo post ea verba, de quibus nunc agitur, in Octavio leguntur, ad Varronis rerum divinarum libros referenda esse.

Nunc ne quid praetermisisse videar, reliquos locos afferam, ubi de re publica libris Minucium usum esse arbitreris, quamquam his similes loci apud Tertullianum desunt.

Ac primum quidem Schwenkium si audis (p. 284 adn. 1), ad Cic. de re publ. IV 1, 1 (Non. p. 234. 343 M.) confugit Minucius 17, 5—18, 2. Quamquam ad Ciceronis de natura deorum librum alterum Octavii verba proxime accedere ipse Schwenkius (p. 284, 2 sq.) concessit. Re vera verba 'quid tenebrarum e. q. s.' (Min. 17, 6) non ex Cic. de re publ. IV (Non. p. 234), sed ex Cic. de nat. deor. II 53, 132 fluxerunt. Neque secus alter Nonii locus (p. 343) brevis et depravatus similis quidem est Minucii verbis (17, 7), verum credibile non est Ciceronem illic docuisse providentiam esse, quod quidem demonstrare Minucio propositum est. Nec congruunt inter se nisi ea verba, quibus si plures scriptores similem rem tracta-

vissent, omnes ad unum usuros fuisse existimo, ac nonnulla Minucii propria sunt. Dei autem sapientiam praedicans Minucius commutationes temporum quadripartitas de suo commemorare facile potuit. Ceterum confer Cic. de nat. deor. II 39, 101; 62, 155; Tusc. I 28, 68.

Haec vero verba Ciceronis: 'deos, quorum domus esset omnis hic mundus' (de re publ. III 9, 14) inter locos communes numeranda sunt: cf. Min. 33, 1; Cic. de leg. II 10, 26; Lact. I. D. IV 29, 8.

Nec secus iudicandum est de his verbis: 'nulla [regni] sancta societas nec fides est' (Cic. de re publ. I 32, 49): cf. Min. 18, 6; Cic. de off. I 8, 26; Luc. I 92; Sen. Agam. 259.

Minime igitur certum est Minucium de re publica libros aeque studiose legisse ac libros de natura deorum et de divinatione (cf. Schwenk. p. 266 adn. 1); nec tamen negaverim illos libros ei notos fuisse, siquidem ex aliis Ciceronis scriptis nonnulla sumpsit, quae nescio an memoria tenuerit:

Cic.	Min.
de or. I 1, 1 Cogitanti mihi saepenumero et memoria vetera repetenti.	1, 1 Cogitanti mihi et cum animo meo Octavi boni et fidelissimi contubernalis memoriam recensenti.
Brut. 1, 2 vir egregius coniunctissimusque mecum consiliorum omnium societate alienissimo rei publicae tempore exstinctus et auctoritatis et prudentiae suae triste nobis desiderium reliquerat.	1, 3 nec inmerito decedens vir eximius et sanctus immensum sui desiderium nobis reliquit.
de fin. I 10, 32 Sed ut perspiciatis, unde omnis iste natus error sit ... totam rem aperiam.	26, 7 adgrediar tamen fontem ipsum erroris et pravitatis, unde omnis caligo ista manavit, et altius eruere et aperire manifestius.
de fin. II 1 3 quamquam admodum delectatus sum eius oratione perpetua.	14,3 et quamquam magnum in modum me subtili varietate tua delectarit oratio.
Parad. 1, 1, 6 Vereor, ne cui vestrum ex Socraticorum hominum disputationibus, non ex meo sensu deprompta haec videatur oratio.	5, 1 ne non tam ex nostris disputationibus nata sententia quam ex tuis sensibus prolata videatur.
Lael. 4, 15 quocum ... fuit ... voluntatum, ... summa consensio.	1, 3 ut et in ludicris et seriis pari mecum voluntate concineret eadem velle vel nolle:[1] crederes unam mentem in duobus fuisse divisam.
Lael. 25, 92 ut unus quasi animus fiat ex pluribus.	20, 5 inprovidi creduli.[2]
Lael. 26, 100 improvidorum et credulorum senum.	

Quibus locis non magis quam ceteris Ciceronianis, quorum memoria per Octavium passim dispersa est,[3] apud Tertullianum quicquam respondet. Itaque Ciceronis scriptis minime probatur Minucium Tertulliani auctorem fuisse. Ac vide modo, quam aperte Cyprianus (Quod idola dii non sint 5) cum alia tum Minucii caput 26, 3 sq. Ciceronis vestigiis ingressi (de div. II 24, 52; 33, 71) compilaverit. Cuiusmodi loci apud Tertullianum exstant nulli; quamquam ex iis, quae Minucius ex libris de natura deorum et de divinatione sumpsit, multa ad paganos impugnandos eodem modo quo Minucius in rem suam convertere poterat Tertullianus (cf. Schultzium l. c. p. 492). Accedit, quod Minucius iis locis, ubi ad illos Ciceronis libros confugere non potuit, mirum quantum cum Tertulliano congruit.

§ 2.

Transeo ad Senecam, cuius scriptis Minucium usum esse neque Ebertum (p. 383) neque Dombartum (l. c. p. 135) fugit. Schwenkius tamen contendit intercedente Minucio Annaeana ad Tertullianum manavisse. Quod num recte dixerit, quaerendum est.

Ac primum quidem his locis Octavius et Senecae de providentia libellus inter se congruunt:

---

[1]) Sall. Cat. 20, 4: 'Nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est'. Alibi Minucius cum Sallustio non congruit. At cf. Sall. Iug. 11, 3; Min. 4, 6.

[2]) Verba Minucii 'et talem esse mortalium mentem e. q. s.' (19, 1) a Ciceronis de fato libro (Aug. C. D. V 8) profecta esse non credo. cf. Hom. Od. XVIII 136.

[3]) Quamquam priore potissimum libelli parte Minucium e Cicerone pendere concedendum est.

Sen.	Min.
6, 6 nemo tam pauper vivit quam natus est.	36, 5 nemo tam pauper potest esse quam natus est.
6, 2 Democritus divitias proiecit onus illas bonae mentis existimans.	36, 6 beatior in hoc itinere vivendi, qui paupertate se sublevat, non sub divitiarum onere suspirat.
4, 12 verberat nos et lacerat fortuna. patiamur: non est saevitia, certamen est.	36, 7 et quod corporis humana vitia sentimus et patimur, non est poena, militia est.
4, 6 calamitas virtutis occasio est.	36, 8 calamitas saepius disciplina virtutis est.
5, 9 ignis aurum probat, miseria fortes viros.	36, 9 itaque ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur.
2, 9 ecce spectaculum dignum ad quod respiciat intentus operi suo deus, ecce par deo dignum, vir fortis cum fortuna mala compositus, utique si et provocavit.	37, 1 sq. Quam pulchrum spectaculum Deo, cum Christianus cum dolore congreditur, cum adversus minas et supplicia et tormenta componitur! . . . quis non miles sub oculis imperatoris audacius periculum provocet?
3, 1 potest enim miser dici, non potest esse (sc. bonus vir).	37, 3 sqq. sic Christianus miser videri potest, non potest inveniri. vos ipsi calamitosos viros fertis ad caelum, Mucium Scaevolam, qui cum errasset in regem perisset in hostibus, nisi dexteram perdidisset. et quot ex nostris, non dextram solum, sed totum corpus uri, cremari sine ullis eiulatibus pertulerunt, cum dimitti praesertim haberent in sua potestate! viros cum Mucio vel cum Aquilio aut Regulo comparo? pueri et mulierculae nostrae cruces et tormenta . . . inludunt.
3, 4 sq. fortuna . . . ignem experitur in Mucio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo . . . Infelix est Mucius, quod dextera ignes hostium premit et ipse a se exigit erroris sui poenas? quod regem quem armata manu non potuit, exusta fugat?	
3, 9 Veniamus ad Regulum: quid illi fortuna nocuit? . . . *Figunt* cutem *clavi*, et quocumque fatigatum corpus reclinavit, volneri incumbit.	

Oct. 37 simile est Apol. c. 50 (cf. ad nat. I 18), ubi cum alia tum Mucii et Reguli exempla leguntur:

Apol. 50 l. c. p. 150, 14 sqq. 'Mucius dexteram suam libens in ara reliquit: o sublimitas animi! **Empedocles . . . Carthaginis conditrix** . . . Regulus, ne unus pro multis hostibus viveret, toto corpore cruces patitur: o virum fortem et in captivitate victorem! Anaxarchus . . . **Attica meretrix** . . . Zeno Eleates . . . Certe *Laconum flagella* sub oculis etiam *hortantium* propinquorum acerbata tantum honorem tolerantiae domui conferunt quantum sanguinis fuderint'.

Tertullianus modo cum Minucio et Seneca congruit, modo cum uno Seneca. Veluti eis Tertulliani verbis, quae pertinent ad 'Laconum flagella', apud Minucium nihil respondet, contra apud Senecam (de prov. 4, 11) haec leguntur: 'numquid tu invisos esse *Lacedaemoniis* liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis? ipsi illos patres *adhortantur*, ut ictus *flagellorum* fortiter perferant et laceros ac semianimos rogant, *perseverent* volnera praebere volneribus'. Porro Sen. de prov. 4, 4 componendum est cum Tert. Apol. 50 p. 149, 27:

Sen.	Tert.
Gaudent, inquam, magni viri aliquando rebus adversis, non aliter quam fortes milites bellis.	Plane volumus pati, verum eo more, quo et bellum miles.

Nec desunt loci, qui cum uno Minucio Tertulliano communes sint, velut hi:

Min.	Tert.
37, 1. 3. vicit enim qui quod contendit obtinuit . . . at enim Dei miles nec in dolore deseritur nec morte finitur.	Apol. 50 p. 150, 4 sq. Victoria est autem pro quo certaveris obtinere. Ea victoria habet et gloriam placendi deo et praedam vivendi in aeternum.

Postremo Schwenkio auctore moneo Apol. 50. simillima esse Tertulliani ad Martyras libelli capita 3 et 4. Ita ad Mart. 4 p. 5, 9 sqq. conferendum est cum eo loco Apologetici, quem supra exscripsimus (Apol. 50. p. 150, 14 sqq.): 'Lucretia, quae vim stupri passa est, cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, ut gloriam castitati suae pareret. Mucius manum suam dexteram in ara cremavit, ut hoc factum eius fama haberet. Heraclitus . . .

Empedocles . . . Peregrinus . . . **Dido** . . . Hasdrubalis uxor . . . Regulus dux Romanorum, captus a Carthaginiensibus, cum se unum pro multis captivis Carthaginiensibus compensari noluisset, maluit hostibus reddi et in arcae genus stipatus undique extrinsecus *clavis transfixus* tot cruces sensit . . . Cleopatra . . . **meretrix Atheniensis** . . . Nam quod hodie apud *Lacedaemonas* sollemnitas maxima est *διαμαστίγωσις*, id est *flagellatio*, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adulescentes flagellis affiguntur, astantibus parentibus et propinquis et, uti *perseverent, adhortantibus*'. Etiam hoc loco Annaeana agnoscuntur, illic scilicet, ubi Tertullianus Reguli[1]) et puerorem Spartiatarum[2]) exempla persequitur.[3]) — Contra haec Tertulliani verba et ad Senecam et ad Minucium prope accedunt:

Tert. ad Mart. 3	Min. 36, 8.	Sen. de prov. 2, 2.
p. 4, 6. quodcumque hoc durum est, ad exercitationem virtutum **animi et corporis** *deputate.*	vires denique et **mentis et corporis** sine laboris exercitatione torpescunt.[4])	omnia adversa exercitationes *putat* (sc. vir fortis).

His, quos exscripsimus, locis omnibus inter se collatis quid sequitur? Schwenkium quidem si audis, et Minucium et Tertullianum Senecae de providentia libello usos esse, Tertulliano vero praeter illum ad manum fuisse Octavium. At Empedoclis, Didonis, meretricis Atticae exemplis, quae et in Apologetico et in libello ad Martyras leguntur, carent et Minucius et Seneca. Iis igitur, qui a Schwenkii partibus stant, Tertullianus iudicandus est praeter Senecae de providentia librum et Minucii Octavium suo ipsius scripto sive Apologetico sive libro ad Martyras usus esse, hoc, si Apologeticum prius compositum est, illo, si liber ad Martyras.[5]) Sed tantum operae in scriptis suis componendis eum consumpsisse,[6])

[1]) V. locum p. 30 exscriptum (Sen. de prov. 3, 9).

[2]) V. locum p. 31 exscriptum (Sen. de prov. 4, 11).

[3]) In Mucii exemplo persequendo Senecae verbis usus est nullis.

[4]) Sen. de prov. 4, 6: 'illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt'.

[5]) Utrum enim librum prius perfecerit Tertullianus, incertum est. cf. Bonwetsch. l. c. p. 17 sq. — Ad nat. I 18 videtur libro ad Martyras usus esse.

[6]) De Apologetico vere Ebertus (l. c. p. 351) 'Es ist', inquit, 'eine Schrift von der Art, welche die Franzosen actualités nennen, eine Flugschrift, aus

ut ex tribus fontibus sua hauriret, cum unum adhibere sufficeret, non magis veri est simile, quam Minucium praeter Senecae libellum duobus Tertulliani scriptis usum esse, quae sententia etiam Schwenkio improbata est. Minucium quidem si Tertullianus secutus esset, multo saepius, opinor, Senecae verba apud Tertullianum agnoscerentur. Sed multis illis locis, quibus Minucium (36. 37) cum Seneca congruere supra (p. 30) ostendimus, neque in Apologetico neque in libello ad Martyras quicquam respondet, quare ipse Schwenkius confessus est certo concludi non posse Tertullianum e Minucio pendere. Neque ii, qui censent Minucium Tertulliani auctorem fuisse, credere non possunt Tertullianum loco illo libri ad Martyras (3), quem supra (p. 32) exscripsimus, verba 'animi et corporis' Minucio, verbum 'deputate' Senecae debere;[1]) quamquam Tertullianus auctores ita expilare solet, ut non pauca verba, sed maiorem verborum circuitum eumque ab uno fere scriptore describat.[2]) Quoniam autem reliqua quoque, quae iis Apologetici et libelli ad Martyras locis, de quibus nunc agitur, Tertulliano cum Seneca communia sunt, numero perpauca sunt et ne haec quidem Annaeanis tam similia, ut ab ipso Seneca profecta ea esse putes,[3]) veri simile est Tertullianum de providentia librum non magis inspexisse quam Octavium. Nec magis credo Tertullianum suo ipsius scripto usum esse. Nam si recesseris ab Empedocle, Didone, meretrice Attica, alia constantiae exempla in Apologetico, alia in libello ad Martyras commemorantur (v. locos supra exscriptos).

Ergo Tertullianus et in Apologetico et in libello ad Martyras ex auctore quodam pendet, qui Senecae de providentia libellum in usum suum converterat, eumque conicio fuisse ecclesiasticum illum, quem alibi Tertullianus secutus est. Eiusdem autem scriptoris

der Noth des Augenblicks entsprungen, die denn auch in der leidenschaftlichen Aufregung des Autors und in der Hast, mit der er . . . seine Arbeit hingeworfen hat, sich kundgiebt.'

[1]) Hoc verbum, quamquam Tertulliano in deliciis est (v. M. Klussmann. Cur. Tert. part. tres. Rudolph. 1886 p. 64 sq.), tamen hoc ipso loco casu eum usurpasse vix quisquam crediderit.

[2]) Hoc cum ex iis locis apparet, ubi suis ipsius scriptis utitur, tum ex iis, ubi Iustinum sequitur, et ex libro adversus Valentinianos, ubi pleraque ex Irenaei libro primo ad verbum mutuatur.

[3]) Hoc facile tibi persuaseris iis Apologetici et libri ad Martyras locis, qui ad Mucium, Regulum, pueros Spartiatarum pertinent, cum similibus locis Annaeanis accurate collatis.

librum Minucius adhibuit. Itaque quod Schwenkio mirum visum est, facile fieri poterat, ut et Tertullianus et Minucius Senecae verbis (de prov. 2, 2) additamentum 'animi et corporis' adiungerent. Neque minus illud quod uterque scriptor dicit Christianum bellatorem esse, cuius merces vita aeterna sit, ad Christianum spectat auctorem: cf. Clem. Alex. Protr. 10, 96; Hieron. ep. 5 ad Heliod. ed. Ben. IV 2 p. 7. Adde quod nonnulla ex exemplis illis constantiae a Tertulliano allatis iam a Tatiano or. ad Graec. 3. 19 (Heraclitus, Empedocles, Anaxarchus) usurpata sunt.[1]) Nec vero a probabilitate abhorret Minucium ab eodem scriptore ecclesiastico, quem Tertullianus imitatus est, praeter Mucii et Reguli exempla Aquilii exemplum (v. supra p. 30 f.) mutuatum esse, quod neque a Seneca commemoratur neque a Tertulliano. Cum Regulo certe Aquilii nomen coniungi solitum esse docent Cic. Tusc. V 5, 14, quo loco Minucium usum non esse constat, et Arnob. I 40 p. 27, 9 Reiff.

Quamquam praeter deperditum illum scriptoris Christiani librum ipsum Senecae de providentia libellum a Minucio inspectum esse non praefracte nego, quippe qui alia philosophi illius scripta legisse videatur. Conf.:

Sen.	Min.
De ira II 11, 3 Necesse est multos timeat quem multi timent.	37, 9 rex es? sed tam times, quam timeris.
ad Polyb. de cons. 1, 2 mundo quidam minantur interitum.	11, 1 quid? quod toto orbi et ipsi mundo cum sideribus suis minantur incendium, ruinam moliuntur . . .

[1]) Ab ipso Tatiano Tertullianum tria haec exempla mutuatum esse propterea veri dissimile est, quod aliis locis nullis demonstratur Tatiani orationem ad Graecos ab eo usurpatam esse, id quod infra probabimus. Deinde eis similia, quae Tertullianus de Anaxarchi morte narravit, apud Tatianum omnino non leguntur. Contra ille ad verbum congruit cum Celso (Orig. c. Cels. VII 53). Tum multo probabilius est Tertullianum ea exempla, de quibus nunc agitur, indidem sumpsisse, unde reliqua. Harnackius quidem (Gebhardt et Harnack, Texte u. Unters. z. Gesch. d. altchr. Lit. I Lips. 1883 fasc. 2 p. 221 adn. 277) putat utrumque scriptorem exempla illa uni auctori debere. Crederem equidem communem Minucii et Tertulliani auctorem etiam a Tatiano illis locis adhibitum esse, nisi apologeta ille, quem auctorem illis fuisse coniecimus, Latine scripsisset, quod infra apparebit. Latinorum enim scriptorum vestigia Tatianum pressisse nullis comprobatur indiciis. Quod cum ita sit, potius crediderim apologetam illum Latinum et Tatianum tria illa exempla ex eodem libro Graeco derivasse. Atque indidem Celsum de Anaxarcho referentem sua hausisse probabile est.

Ep. mor. I 2, 6 non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est.	36, 4 magis pauper ille est, qui cum multa habeat, plura desiderat.
Ep. mor. IV 12, 1 prope est a te deus, tecum est, intus est.	32, 7 unde enim Deus longe est . . .? ubique non tantum nobis proximus, sed infusus [sic codex P] est.
Ep. mor. XII 1, 1 nihil deo clusum est. interest animis nostris et cogitationibus mediis intervenit.	32, 9 a quo nullum potest esse secretum . . . interest cogitationibus nostris.
Ep. mor. XV 3, 47 non quaerit ministros deus: quidni? ipse humano generi ministrat, ubique et omnibus praesto est.	33, 1 reges statum regni sui per officia ministrorum diversa noverunt: Deo indiciis opus non est: non enim solum in oculis eius, sed in sinu vivimus.
Exhort. apud Lact. I. D. III 15, 11 Plerique philosophorum tales sunt, diserti in convicium suum, quos si audias in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, iudicium sui professos putes: adeo redundant ad ipsos maledicta in publicum missa.	38, 5 philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores et adulteros novimus et tyrannos et semper adversus sua vitia facundos.
Sen. apud Lact. I. D. VI 25, 3 non templa illi congestis in altitudinem saxis exstruenda sunt: in suo cuique consecrandus est pectore.[1])	32, 1. 2 templum quod ei extruam . . .? nonne melius in nostra dedicandus est mente? in nostro immo consecrandus est pectore?
Moral. philos. apud Lact. I. D. I 16, 10 quid ergo est, quare apud poetas salacissimus Iuppiter desierit liberos tollere? Utrum sexagenarius factus est . . .?	21, 11 nisi forte iam Iuppiter senuit . . .

[1]) Paulo ante Lactantius Senecae Exhortationibus usus est. Itaque nescio, cur F. Haasius Annaei Senec. opp. III 444 fr. 123 hunc locum „moralis philosophiae libris“ attribuerit.

de rem. fort. 5, 1. 2 Si nihil sentio, non pertinet ad me iactura corporis insepulti: si sentio, omnis sepultura tormentum est. Quid interest, ignis me an fera consumat an tempus, ultima omnium sepultura? istud non sentienti supervacuum est, sentienti onus.

de rem. fort. 10, 1 'Pauper sum'. Nihil deest avibus. pecora in diem vivunt.

de superst. apud. Aug. C. D. VI 10 Ille, inquit (sc. Seneca), viriles sibi partes amputat, ille lacertos secat: ubi iratos deos timent, qui sic propitios merentur? Dii autem nullo debent coli genere, si et hoc volunt. Tantus est perturbatae mentis et sedibus suis pulsae furor, ut sic di placentur, quemadmodum ne quidem homines saeviunt taeterrimi. . . Se ipsi in templis contrucidant, vulneribus suis ac sanguine supplicant. Si cui intueri vacet, quae faciunt quaeque patiuntur, inveniet tam indecora honestis, tam indigna liberis, tam dissimilia sanis, ut nemo fuerit dubitaturus furere eos, si cum paucioribus furerent; nunc sanitatis patrocinium est insanientium turba.

de superst. ib. Nam cum in sacris Aegyptiis Osirim lugeri perditum, mox autem inven-

11, 4 quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen et aetatibus in terram resolvatur, nec intersit, utrum ferae diripiant an maria consumant an humus contegat an flamma subducat, cum cadaveribus omnis sepultura, si sentiunt, poena sit, si non sentiunt, ipsa conficiendi celeritate medicina.

36, 5 aves sine patrimonio vivunt et in diem pascuntur.

24, 4. 5 quid, qui sanguine suo libat et vulneribus suis supplicat, non profanus melius esset, quam sic religiosus? aut cui testa sunt obscena demessa, quo modo deum non violat, qui hoc modo placat, cum si eunuchos deus vellet, posset procreare, non facere? quis non intellegat male sanos et vanae et perditae mentis in ista desipere et ipsum errantium turbam mutua sibi patrocinia praestare? hic defensio communis furoris est furentium multitudo.

22, 1 Isis perditum filium cum Cynocephalo suo et calvis sacerdotibus luget, plangit, in-

tum magno esse gaudio derisisset (sc. Seneca), cum perditio eius inventioque fingatur, dolor tamen ille atque laetitia ab eis, qui nihil perdiderunt nihilque invenerunt, veraciter exprimatur: 'Huic tamen', inquit, 'furori certum tempus est. Tolerabile est semel anno insanire'.

quirit, et Isiaci miseri caedunt pectora et dolorem infelicissimae matris imitantur: mox invento parvulo gaudet Isis, exultant sacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur, nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inveniunt vel invenire quod perdunt.[1])

His tot locis cum apud Tertullianum nihil respondeat, Apologeticum vix videtur ex Octavio fluxisse.

Hoc, ad quem tractandum nunc transimus, loco Minucium de superstitione dialogo usum non esse primus perspexit A. Reifferscheidius:

Sen. de superst. apud Aug. C. D. VI 10 *Quid ergo* tandem, inquit, veriora tibi videntur T. Tatii aut Romuli aut Tulli Hostilii somnia? Cloacinam Tatius dedicavit deam, Picum Tiberinumque Romulus, Hostilius Pavorem atque Pallorem taeterrimos hominum

Min. 25, 8 Romanorum enim vernaculos deos novimus: Romulus,[2]) Picus, Tiberinus et Consus et Pilumnus ac Volumnus dii. Cloacinam Tatius et invenit et coluit, Pavorem Hostilius atque Pallorem, mox a nescio quo Febris dedicata: haec alumna urbis

[1]) Nescio an etiam haec, quae subinde sequuntur, verba: nonne ridiculum est vel lugere quod colas vel colere quod lugeas? ad Senecam referenda sint. Supra enim (p. 13 sq. adn. 2) diximus inter Senecae libri de superstitione reliquias aliquot apud Augustinum servatas et Plutarchi libellum de superstitione tantam similitudinem intercedere, ut uterque scriptor ab uno eodemque auctore sua sumpsisse videatur. Apud Plutarchum autem (de superst. 13) leguntur haec: *Ξενοφάνης δὲ ὁ φυσικὸς τοὺς Αἰγυπτίους κοπτομένους ἐν ταῖς ἑορταῖς καὶ θρηνοῦντας θρῶν, ὑπέμνησεν οἰκείως· οὗτοι, φησὶν, εἰ μὲν θεοί εἰσι, μὴ θρηνεῖτε αὐτούς· εἰ δὲ ἄνθρωποι, μὴ θύετε αὐτοῖς.* cf. Plut. Is. 70; Athenag. Suppl. 14; Clem. Alex. Protr. 2, 24; Firm. Mat. de error. prof. rel. 8, 4.

[2]) Iniuria Schwenkius (p. 275) 'Romuli' (cod. Paris. 'Romulus') scribi iussit. Romulus enim ea ipsa re praeter ceteros reges excellit, quod ipse deus est (cf. Min. 21, 9) et aptissime cum reliquis deis iungitur. Nam et Romulum et ceteros deos Minucius despici vult et contemni. cf. Min. 25, 2 (Tert. ad nat. II 9 p. 196, 21 sqq.). Ceterum ipse Schwenkius monuit iam Cyprianum legisse 'Romulus' (Quod idola dii non sint 4 'est Romulus perierante Proculo deus factus, et Picus et Tiberinus . . .').

affectus, quorum alter mentis territae motus est, alter corporis ne morbus quidem sed color. Haec numina potius credes et caelo recipies?

istius superstitio, morbi et malae valetudinis. sane et Acca Larentia et Flora, meretrices propudiosae, inter morbos Romanorum et deos computandae.

Quibuscum locis Schwenkius contulit Aug. C. D. IV 23: 'Nam et ipse (sc. Romulus) nec prius rex, nec ut putant postea deus fieret, si hanc deam (sc. Felicitatem) propitiam non haberet. Ut *quid ergo* constituit Romanis deos Ianum, Iovem, Martem, Picum, Faunum, Tiberinum, Herculem et si quos alios? Ut quid Titus Tatius addidit Saturnum, Opem, Solem, Lunam, Vulcanum, Lucem et quoscumque alios addidit, inter quos etiam deam Cluacinam, Felicitate neglecta? Ut quid Numa tot deos et tot deas sine ista? An eam in tanta forte turba videre non potuit? Hostilius certe rex deos et ipse novos Pavorem et Pallorem propitiandos non introduceret, si deam istam nosset aut coleret'.

Quae deorum series, quamvis distet ab illa, quam Augustinus C. D. VI 9 I[2] p. 266, 9 sqq. Domb. Varrone teste nominato significavit, tamen ipsam quoque a Varrone profectam esse et Franckenius (l. c. p. 15) et Schwenkius vere iudicaverunt. Confer Varr. de l. l. V 74. Accedit, quod illi, quos Augustinus (C. D. IV 23) nominavit, dei Romanorum privati sunt vel proprii (Tert. Apol. 25 'Romani dei'; Min. 25, 7 'vernaculi dei'), quos a 'communibus' idem ille Varro teste Servio ad Aen. VIII 275 [1]) distinxit. Vere igitur Schwenkius iudicavit Senecam Varronis vestigia pressisse. Sed quem Minucius secutus sit, videndum est.

Consum igitur, Pilumnum, Volumnum, Febrim, Accam Larentiam, Floram neque Seneca nominavit neque Augustinus, sed unus Minucius. Varronem autem, cuius verba partim Augustinus exscripsit, post Tiberinum et Herculem commemoravisse Consum, Pilumnum, Volumnum ex his Augustini verbis 'et si quos alios' concluserim. Nec magis Febrim silentio praeterisse Varronem docet idem ille locus Augustini, qui paulo post auctore, ut opinor, Varrone haec scripsit: 'An forte iuste est indignata Felicitas, quod et tam sero et non ad honorem, sed ad contu-

[1]) Ex hoc loco apparet Tertullianum ad nat. II 9 Varronem secutum esse. Quamquam haec scripsit: 'Sed et Romanorum deos Varro trifariam disposuit [in certos,] incertos et electos. Tantam vanitatem! . . . Nos vero bifariam Romanorum deos recognosci[mus] communes et proprios, id est quos cum omnibus habent et quos [ipsi] sunt commenti'.

meliam potius invitata est, ut cum ea coleretur Priapus et Cluacina et Pavor et Pallor et Febris[1]) et cetera non numina colendorum, sed crimina colentium?' Nec credibile est Varronem in 'vernaculis' Romanorum deis enumerandis Accam Larentiam et Floram omisisse, cum praesertim Augustinus scripserit 'et cetera . . . numina'.

Omnes igitur, quos commemoravit Minucius, dei a Varrone nominati erant. Iam vero reges eodem ordine enumeraverunt Minucius et Varro.[2]) Porro ex primo enuntiato loci illius Augustini haud alienum est conicere Varronem non secus atque Minucium scripsisse Romulum ipsum deum fuisse, non solum deos dedicavisse. Denique secundum ea, quae ante a nobis dicta sunt, etiam haec Minucii verba 'Romanorum enim vernaculos deos novimus' ad Varronem respiciunt.

Haec argumenta tam gravia sunt, ut ex eo, quod Minucius deis illis similiter male dixit ac Seneca, nemo facile cum Schwenkio colligat hunc illi auctorem fuisse. Cui si locus Annaeanus praesto fuisset, certe in deis a Seneca nominatis acquievisset.

Cave tamen credas Minucio auctorem fuisse ipsum Varronem. Quem si secutus esset, multo plura vestigia Varroniana apud Minucium deprehenderentur. Qui quomodo eos profanos scriptores expilaverit, quorum libri materiem praeberent Romanorum superstitionis impugnandae, satis docet Ciceronis exemplum. In Varronis autem rerum divinarum libris — hos enim Augustinus loco illo videtur adhibuisse — multo plura cumulata exstabant ad rem propositam idonea, quam in Ciceronis libris de natura deorum et de divinatione. Adde quod Varro deis illis non insultavit. 'Hanc libertatem Varro non habuit; tantum modo poeticam theologian reprehendere ausus est, civilem non ausus est,[3]) quam iste (sc. Seneca) concidit' (Aug. C. D. VI 10).

Ergo Minucius scriptorem quendam secutus est, qui locum illum Varronianum non minus in rem suam converterat quam Annaeanum et deis ex Varrone depromptis similiter ac Seneca male dixerat: id est scriptorem illum ecclesiasticum, quem non solum Varronis verum etiam Senecae imitatorem fuisse supra a

[1]) Febris igitur et apud Minucium et apud Augustinum post Cloacinam, Pavorem, Pallorem nominatur.

[2]) Seneca primum Tatii, deinde Romuli, tum Hostilii mentionem fecit; Varro et Minucius primum Romuli, deinde Tatii, tum Hostilii.

[3]) Ad hanc enim pertinent illi di.

nobis demonstratum est. De ecclesiastico auctore Minucii cogitari posse etiam similes aliorum apologetarum loci docent: Clem. Alex. Protr. 2, 38; Lact. I. D. I 20, 11.

Accedit aliud argumentum. Tertullianus enim, qui Apol. 25, quod caput Octavii capiti 25 respondet, non eosdem quos Minucius deos nominavit, sed Sterculum, Mutunum, Larentinam, adv. Marc. I 18 haec scripsit: 'Alioquin, si sic homo deum commentabitur, quomodo Romulus Consum et Tatius Cloacinam et Hostilius Pavorem et Metellus Alburnum et quidam ante hoc tempus Antinoum, hoc aliis licebit, nos Marcionem nauclerum novimus, non regem nec imperatorem'. Quem locum ex Octavio a Tertulliano haustum esse censuit Schwenkius. Consum enim ab uno Minucio commemoratum esse, praetermissum a Seneca et a Varrone. Attamen a Varrone et Consum commemoratum esse constat (v. supra p. 38) et Alburnum, quo caret Octavius (v. L. Prellerum R. M. I³ p. 155 adn. 1).[1]) Quamquam igitur a Varrone sua sumere potuit Tertullianus, tamen e scriptore illo ecclesiastico, qui Minucio auctor fuit, eum pendere paulo probabilius est, siquidem Varro Antinoum nominare non potuit, cuius apologetae praecipue Christiani mentionem fecerunt: Athenag. Suppl. 30; Theophil. ad Autol. III 8; Clem. Alex. Protr. 4, 49.

§ 3.

Denique reliqui loci examinandi sunt, quibus Tertullianus e Varrone pendere videtur, Minucius cum Tertulliano congruit. Placet igitur ordiri ab Oct. 21, 1 sqq.; Apol. 10 p. 80, 14 sqq.:

Min.

1 Lege historicorum scripta vel scripta sapientium: eadem mecum recognosces. ob merita virtutis aut muneris deos habitos Euhemerus exsequitur, et eorum natales, patrias, sepulcra dinumerat et per provincias monstrat, Dictaei Iovis et Apollinis Delphici et Phariae

Tert.

Appellamus et provocamus a vobis ad conscientiam vestram: illa nos iudicet, illa nos damnet, si poterit negare omnes istos deos vestros homines fuisse. Si et ipsa infitias ierit, de suis antiquitatum instrumentis revincetur, de quibus eos didicit, testimonium perhibentibus ad hodier-

[1]) Contra Schwenkium, qui contendit Tertullianum Minucii exemplum secutum 'Tatius' et 'Hostilius' scripsisse, moneo etiam apud Augustinum (l. c.) legi 'Hostilius', non 'Tullus Hostilius'.

Isidis et Cereris Eleusiniae. 2 Prodicus adsumptus in deos loquitur, qui errando inventis novis frugibus utilitati hominum profuerunt. in eandem sententiam et Persaeus philosophatur et adnectit inventas fruges et frugum ipsarum repertores isdem nominibus, ut comicus sermo est, Venerem sine Libero et Cerere frigere. 3 Alexander ille Magnus insigni volumine ad matrem suam scripsit, metu suae potestatis proditum sibi de diis hominibus a sacerdote secretum: illic Vulcanum facit omnium principem, et postea Iovis gentem.[1])

4 Saturnum enim principem huius generis et examinis omnes scriptores vetustatis Graeci Romanique hominem prodiderunt. scit hoc Nepos et Cassius in historia, et Thallus ac Diodorus hoc loquuntur. 5 is itaque Saturnus Creta profugus Italiam metu filii saevientis accesserat, et Iani susceptus hospitio rudes illos homines et agrestes multa docuit ut Graeculus et politus, litteras inprimere, nummos signare, instrumenta conficere. 6 itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium, et urbem Saturniam idem de suo nomine et Ianicum et civitatibus in quibus nati sunt, et regionibus in quibus aliquid operati vestigia reliquerunt, in quibus etiam sepulti demonstrantur. Nunc ergo per singulos decurram, tot ac tantos, novos, veteres, barbaros, Graecos, Romanos, peregrinos, captivos, adoptivos, proprios, communes, masculos, feminas, rusticos, urbanos, nauticos, militares? Otiosum est etiam titulos persequi, ut colligam in compendium, et hoc non quo cognoscatis, sed recognoscatis. Certe enim oblitos agitis.

Ante Saturnum deus penes vos nemo est, ab illo census totius vel potioris vel notioris divinitatis. Itaque quod de origine constiterit, id et de posteritate conveniet. Saturnum itaque, si quantum litterae docent, neque Diodorus Graecus aut Thallus neque Cassius Severus aut Cornelius Nepos neque ullus commentator eiusmodi antiquitatum aliud quam hominem promulgaverunt, si quantum rerum argumenta, nusquam invenio fideliora quam apud ipsam Italiam, in qua Saturnus post multas expeditiones postque Attica hospitia consedit, exceptus a Iano, vel Iane, ut Salii volunt. Mons

[1]) cf. C. Halmii adn. crit. et praef. p. XVIII sqq.

lum Ianus ad memoriam uterque posteritatis reliquerunt. 7 homo igitur utique qui fugit, homo utique qui latuit, et pater hominis et natus ex homine: Terrae enim vel Caeli filius, quod apud Italos esset ignotis parentibus proditus, ut in hodiernum inopinato visos caelo missos, ignobiles et ignotos terrae filios nominamus. 8 eius filius Iuppiter Cretae excluso parente regnavit, illic obiit, illic filios habuit: adhuc antrum Iovis visitur et sepulcrum eius ostenditur, et ipsis sacris suis humanitatis arguitur.

9 Otiosum est ire per singulos et totam seriem generis istius explicare, cum in primis parentibus probata mortalitas in ceteros ipso ordine successionis influxerit, nisi forte post mortem deos fingitis, et perierante Proculo deus Romulus, et Iuba Mauris volentibus deus est, et divi ceteri reges, qui consecrantur non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritae potestatis.

quem incoluerat, Saturnius dictus, civitas quam depalaverat, Saturnia usque nunc est, tota denique Italia post Oenotriam Saturnia cognominabatur. Ab ipso primum tabulae et imagine signatus nummus, et inde aerario praesidet. Tamen si homo Saturnus, utique ex homine, et quia ab homine non utique de caelo et terra. Sed cuius parentes ignoti erant, facile fuit eorum filium dici quorum et omnes possumus videri. Quis enim non caelum ac terram matrem ac patrem venerationis et honoris gratia appellet? vel ex consuetudine humana, qua ignoti vel ex inopinato adparentes de caelo supervenisse dicuntur. Proinde Saturno repentino ubique caelitem contigit dici; nam et terrae filios vulgus vocat quorum genus incertum est. Taceo quod ita rudes adhuc homines agebant, ut cuiuslibet novi viri adspectu quasi divino commoverentur, cum hodie iam politi quos ante paucos dies luctu publico mortuos sint confessi, in deos consecrent. Satis iam de Saturno, licet paucis. Etiam Iovem ostendimus[1]) tam hominem

[1]) Sic enim pro 'ostendemus' legendum esse demonstravit I. Kayserus his usus verbis (Tert. Apol. ed. Paderbornae 1865 p. 34): 'Quamquam in omnibus libris scriptis 'ostendemus' legitur, sententia 'ostendimus' scribendum esse nobis persuasit. Est enim conclusio demonstrationis in compendium redactae et dicit: cum demonstraverimus Saturnum hominem esse, simul et demonstravimus Iovem ceterosque deos homines esse neque amplius per singulos demonstrandum est; 'ostendemus' vero omnino contrarium foret; praeterea de Iove homine nihil sequitur'.

quam ex homine, et deinceps totum generis examen tam mortale quam seminis sui par.

11 Et quoniam sicut illos homines fuisse non audetis negare, ita post mortem deos factos instituistis adseverare, causas, quae hoc exegerint, retractemus . . . p. 82, 20 sqq. Vani erunt homines, nisi certi sint a primordio et pluvias de caelo ruisse et . . . item omnem frugem ante Liberum et Cererem et Minervam . . . de terra exuberasse . . . Denique invenisse dicuntur necessaria ista vitae, non instituisse . . . p. 83, 5 sqq. Sed convertimini ad causam aliam, respondentes conlationem divinitatis meritorum remunerandorum fuisse rationem.

'Wenn Ebert zu der angeführten Parallele bemerkt, dass die Darstellung des Minucius eine klare Erörterung, und eine sichere Schlussfolge, die des Tertullian das gerade Gegentheil davon zeigt, so konnten wir uns hievon sowenig überzeugen als Hartel; es ist nicht so! Dann ist freilich auch die Stelle nicht zu Gunsten der Priorität des Minucius verwendbar'. Quibus Reckii verbis (l. c. p. 91) equidem plane assentior. Schwenkius quidem (l. c. p. 276 adn. 1) contendit eam narrationem, qua de Saturno agitur, Tertullianum ex Octavio sumpsisse. Itaque ostendemus narrationem illam a Varrone ad Tertullianum manare potuisse.

Ac primum quidem eadem de Saturno exposita leguntur ad nat. II 12 p. 202, 5 sqq.: Exstat apud litteras vestras usquequaque Saturni census. Legimus apud Cassium Seve-

rum, apud Cornelios Nepotem et Tacitum, apud Graecos quoque Diodorum, quive alii antiquitatum canos collegerunt. Nec fideliora vestigia e[ius] quam in ipsa Italia signata sunt. Nam post plurimas terras et At[tica] hospitia Italiae vel, ut tunc vocabatur, Oenotriae consedit, ex[ceptus] ab Iano sive Iane, ut Salii vocant. Mons quem coluerat, Satur[nius] dictus, urbs quam depalaverat, Saturnia usque nunc est; tota d[enique] Italia de Saturno vocabatur. Tali teste terra, quae nunc do[minatur] orbi, etiamsi de origine Saturni dubitatur, de actu tamen c[onstat] hominem illum fuisse e. q. s. Toto autem libro ad nationes altero Tertullianus Varronis rerum divinarum libros in usum suum convertisse et ex iis, quae supra (p. 27) diximus, et ex Aug. C. D. VI 5 apparet. De Saturno vero non inde demum ab illis verbis, quae modo exscripsimus, sed iam inde a p. 200, 9 verba facit Tertullianus. Qui quamquam hoc ipso loco (ad nat. II 12 p. 200, 9) a Varrone se discessisse profitetur ('Neque enim si Varro antiquissimos deos Iovem, Iunonem et Minervam refert, nobis excid[isse] debet omnem patrem filiis antiquiorem, tam Saturnum Iove quam Caelum Saturno; de Caelo enim et Terra Saturnus'.), non tamen ideo censendus est Varronis vestigia non pressisse: sane etiam ad nat. II 9 p. 195, 15 (cf. supra p. 38 adn. 1) a Varrone se discedere affirmat quidem, attamen Varronem secutus est. Adde quod comparatis inter se ad nat. II 12 p. 200, 22 sqq. et Aug. C. D. VII 18. 19 veri simile est Varronem Tertulliano auctorem fuisse. Atque Varro sicut Tertullianus ad nat. II 12 p. 200, 11 Iovem filium a Saturno patre dilucide distinxit teste Augustino C. D. VII 18. Cur nihilominus Varro simplici et vulgari sententia, qua Saturnus pater antiquior esse credebatur, deserta Iovem antiquiorem deum appellaverit, apparet ex Aug. C. D. VII 18: 'quod ante est causa, quae pertinet ad Iovem, quam semen, quod pertinet ad Saturnum'. Tertullianus vero, cum nisi vulgarem sententiam in rem suam convertere non posset, hanc Varronianae quidem opposuit (ad nat. II 12 p. 200, 9) nec tamen ita ut insequens expositio ad Varronem referenda non sit; immo supplevit ea, quae Augustinus partim a Varrone se sumpsisse his professus est verbis: 'Haec et alia de Saturno multa dicuntur et ad semen omnia referuntur' (Aug. C. D. VII 19). Iam vero Tertullianus quod sententiam 'quorundam'[1])

[1]) cf. Aug. C. D. VI 8.

tradidit (ad nat. II 12 p. 201, 8), quibus Saturnus tempus esse videretur, Varronem videtur exscripsisse, qui, ut alibi ceterorum opiniones impugnare solitus est, ita hanc interpretationem praeter suam videtur commemoravisse.[1]) Neque ipsius Varronis interpretationem Tertulliano ignotam fuisse apertum est: cf. ad nat. II 12 p. 201, 14 sqq.

Omnia igitur, quae ante eum, de quo nunc agitur, locum (ad nat. II 12 p. 202, 5 sqq.) a Tertulliano disputata sunt, ad Varronem referri possunt. Quin etiam initio eius capitis,[2]) quod illum locum subsequitur, Varronem aperte nominavit. Nonne igitur veri simile est etiam eius partis, quae interiecta est (ad nat. II 12 p. 202, 5 sqq.), Varronem auctorem fuisse? Accedit, quod res a Saturno in Italia gestas Varronem memoriae tradidisse Lactantius I. D. I 13, 8 testatus est: 'Omnes ergo non tantum poetae, sed historiarum quoque rerum antiquarum scriptores hominem fuisse (sc. Saturnum) consentiunt, qui res eius in Italia memoriae tradiderunt. Graeci Diodorus et Thallus: Latini Nepos et Cassius et Varro.' At Tertullianus ad nat. II 12 p. 202, 7 huius narrationis, qua de Saturno agitur, auctores nominavit Cassium Severum, Cornelios Nepotem et Tacitum, Diodorum, non Varronem (Schwenk. p. 276 adn. 1); ex quorum scriptorum libris Tertullianum nullos praeter Taciti Historias (V 2. 4) legisse confido. His enim etiam Apol. 16 usus est; cf. ad nat. I 11. Diodori autem *Βιβλιοθήκην ἱστορικήν* (III 61) eum novisse noli ex eo conicere, quod historicum illum de cor. 7 p. 231, 23 commemoravit, quippe qui locus fluxerit ex Claudii Saturnini de coronis libro (l. c. p. 232, 16), praeter quem vix ullum credo in libro de corona a Tertulliano adhibitum esse. Nec magis Cornelii Nepotis Chronica — de his enim cogitandum est — Tertulliano nota fuisse ulla sunt indicia. Cassium denique Severum[3]) Tertullianum falso substituisse pro Cassio Hemina omnes consentiunt. Nam neque 'eiusmodi antiquitates commentatum esse' Cassium Severum accepimus, neque ex Suet. Calig. 16 et Vitell. 2 efficitur ad historiam scribendam eum se contulisse, quod ex illis locis non desunt qui ratiocinati sint.[4]) Porro apud Gellium (XVII 21, 3),[5]) aeque atque apud Ter-

[1]) cf. C. D. VII 19 f.

[2]) ad nat. II 13.

[3]) De hoc v. Teuffel. Röm. Litt. Gesch.[4] § 267, 11.

[4]) Vide A. Weichert. De Lucii Varii et Cassii Parmensis vita et carm. Grimae 1836 p. 207; H. Peter. H. R. R. p. CLXXII.

[5]) 'Incipiemus igitur a Solone claro, quoniam de Homero et Hesiodo

tullianum (ad nat. II 12 p. 202, 7) una cum Cornelio Nepote nominatur Cassius, quem Cassium Heminam intellegendum esse plerique recte iudicant.[1]) Id autem caput Gellianum Varronis doctrina instructum est,[2]) cui et Cassii testimonium deberi videtur et Nepotis, qui in eodem capite (XVII 21, 24)[3]) una cum ipso Varrone nominatur. Itaque probabile est Varronem eo quoque loco, ubi de Saturno disputavit, et Cassii testimonium attulisse et Nepotis. Fac Varronem Heminae cognomen omisisse aeque atque illo loco, quo Gellius usus est: Cassium Severum, qui Tertulliano ducentis fere annis aetate superior esset, facile pro Hemina substituere potuit Tertullianus. Qui ad quantam socordiam neglegentiamque interdum processerit, inde apparet, quod Apol. 46 Hippiam sophistam cum tyranno confudit.

Quoniam ostendimus quae de Saturno narrantur ad nat. II 12 p. 202, 5 sqq., a Varrone potuisse proficisci, eodem referre licet similem Apologetici locum, quem supra exscripsimus, cum praesertim similiter ac Tertullianus nonnulli scriptores de Saturno disputaverint, quorum loci (cum ab aliis tum ab A. Schweglero R. G. I 212 sq. collecti) aliqua ex parte ad Varronem spectant (cf. L. Preller. R. M. II³ p. 12).

Nihil igitur est, cur e Minucio Tertullianum pendere putemus.[4])

---

inter omnes fere scriptores constitit, aetatem eos egisse vel isdem fere temporibus vel Homerum aliquanto antiquiorem, utrumque tamen ante Romam conditam vixisse, Silviis Albae regnantibus, annis post bellum Troianum, ut Cassius in primo annalium de Homero atque Hesiodo scriptum reliquit, plus centum atque sexaginta, ante Romam autem conditam, ut Cornelius Nepos in primo chronico de Homero dicit, annis circiter centum et sexaginta'.

[1]) Aut Cassium Severum aut alium quendam aetatis imperatorum scriptorem intellexit Th. Mommsenius chronol. Rom.² p. 156 adn. 295. Nec tamen quicquam obstat, quominus de Cassio Hemina cogitemus: v. E. Rohdium Mus. Rhen. XXXVI 1881 p. 422.

[2]) Vide G. F. Unger. Mus. Rhen. XXXV 1880 p. 13.

[3]) 'M. Manlius Romae . . . convictus est, consilium de regno occupando inisse, damnatusque capitis e saxo Tarpeio, ut M. Varro ait, praeceps datus, ut Cornelius autem Nepos scriptum reliquit, verberando necatus est'.

[4]) Ebertus l. c. p. 371 opinatur Tertullianum Minucii verbis 'Graeci Romanique' (21, 4) adductum esse, ut scriberet 'Diodorus Graecus' (Apol. 10). Nec tamen Octavio opus erat, ut Tertullianus vocem 'Graecus' adderet significaturus scilicet non solum a Latinis scriptoribus Saturnum hominem dictum esse (Hartel. l. c. p. 362). Atque idem saepius Latinos a Graecis secernit:

Immo Apologetici locum ex Octavio fluxisse hoc argumento nisus pernego: Ex iis, quibus de Iano et Saturno agitur, locis nulli a Minucii et Tertulliani verbis propius absunt, quam hi 'incerti auctoris' libelli de origine gentis Romanae (ed. B. Seppius Monachii 1879):

1, 2 Tanta autem usque id tempus antiquorum hominum traditur fuisse simplicitas, ut venientes ad se advenas, qui modo consilio ac sapientia praediti ad instruendam vitam formandosque mores aliquid conferrent, quod eorum parentes atque originem ignorabant, caelo et terra editos non solum ipsi crederent, verum etiam posteris affirmarent, veluti hunc ipsum Saturnum, quem Caeli et Terrae filium esse dixerunt.

1, 3 Quod cum ita existimetur, certum tamen est priorem Ianum in Italiam devenisse ab eoque postea venientem exceptum esse Saturnum.

2, 4 Cum adolevisset non contentum patrio regno cum magna classe in Italiam devenisse occupatoque monte urbem ibidem constituisse eamque ex suo nomine Ianiculum cognominasse.

3, 1 Igitur Iano regnante apud indigenas rudes incultosque Saturnus regno profugus cum in Italiam venisset, benigne exceptus hospitio est, ibique haud procul a Ianiculo arcem suo nomine Saturniam constituit.

3, 2 Isque primus agriculturam edocuit . . .

3, 4 Is (Saturnus) tum etiam usum signandi aeris ac monetae in formam incutiendae ostendisse traditur, in qua ab una parte caput eius (Iani) imprimeretur, altera navis, qua vectus illo erat.

3, 6 Aedes quoque sub clivo Capitolino, in quo pecuniam conditam habebat, Aerarium Saturni hodieque dicitur.

Contineri hoc libello epitomen deperditi libri cum ab aliis tum a Paulo Diacono adhibiti, qui ex Vergilii Aeneidis praecipue commentariis fluxerit, docet Th. Mommsenius.[1]) Atque ea quoque verba,

---

cf. e. g. Apol. 39 p. 131, 7. Nec secus scripsit Capitolinus Marc. Anton. Philos. 2, 4: 'Oratoribus usus est Graecis Aninio Macro, Caninio Celere et Herode Attico: Latino Frontone Cornelio'. Neque vero ex eo, quod Thallus (Apol. 10) epitheto caret, praeter Ebertum quisquam collegerit Tertullianum e Minucio pendere.

[1]) Herm. XII 1877 p. 401; cf. N. Arch. d. Ges. f. ält. deutsche Geschichtsk. V 1880 p. 59.

quae supra exscripsimus, ad Vergilii interpretem quendam referenda esse et eo comprobatur, quod primis libelli capitibus aliquot Vergilii versus inserti sunt, et nonnullis locis Servii (ad Aen. VIII 319, 322, 357), qui cum verbis illis Originis non discrepant.[1]) Propter similem autem Apologetici locum, quem ad Varronem referendum esse diximus, eosque locos a Schweglero collectos, ad quos p. 46 provocavimus, concludendum est auctorem interpretis Vergiliani, a quo ea, de quibus nunc agitur, Originis verba profecta sunt, Varronem fuisse; atque Varroni vel Varronis imitatoribus permulta Vergilii interpretes debere inter omnes constat.

Iam cum verbis illis Varronianis similibusque Minucii verbis ubi Apologetici locum (10 p. 80, 26) contuleris, Tertullianus quidem haec scripsit: 'Saturnus . . . exceptus a Iano', Minucius haec: 'Saturnus . . . Iani susceptus hospitio' (21, 5); Varronem exceptus scripsisse duo testimonio sunt Originis loci (1, 3; 3, 1). Nec secus Apologetici verbis 'civitas, quam depalaverat[2]) Saturnia usque nunc est', respondent in Octavio (21, 6) haec: 'urbem Saturniam idem de suo nomine et Ianiculum Ianus . . . reliquerunt'; apud Paulum Diaconum[3]) haec leguntur: 'Primus in Italia, ut quibusdam placet, regnavit Ianus, deinde Saturnus Iovem filium e Graecia fugiens in civitate, quae ex eius nomine Saturnia dicta est, cuius ruinae hactenus cernuntur in finibus Tusciae haud procul ab urbe'. Dedit haec

[1]) Ipsum Servium scriptor Originis secutus non est. Eis enim similia, quae Orig. 1, 2 leguntur, apud Minucium et Tertullianum solos scripta legimus, frustra quaerimus in Servii commentario. Nec magis, ubi de Iano refert scriptor Originis (1, 3; 2, 4), Servii vestigia pressit. Hic enim memoriae tradidit (ad Aen. VIII 357) Ianum 'una navi exsulem' in Italiam venisse, contra in Origine (2, 4) legimus 'cum adolevisset, non contentum patrio regno cum magna classe' in Italiam vectum eum esse. Deinde Servius, etsi commemoravit Ianum 'urbem habuisse, ubi nunc Ianiculum est' (ad Aen. VIII 319), tamen non monuit urbi illi Ianiculi nomen fuisse (Orig. 2, 4). Porro haec verba Originis: 'Igitur Iano regnante e. q. s.' (3, 1) multo magis congruunt cum Min. 21, 5 quam cum simili Servii loco (ad Aen. VIII 319). Tum nego Orig. 3, 4 fluxisse ex Servio (ad Aen. VIII 357), quippe qui silentio praeterierit Saturnum Italicis usum aeris signandi ostendisse. Minime vero H. Iordanus Herm. III 1869 p. 407 mihi persuasit Orig. 3, 6 a Servio (ad Aen. VIII 321. 322; cf. ad Aen. II 116) profectum esse. Nam in clivo Capitolino Saturnum pecuniam conditam habuisse Servius omnino non rettulit. — Atque alios quoque Originis locos iniuria Iordanum ad Servium rettulisse Seppius l. c. docuit.

[2]) sc. Saturnus.

[3]) Hist. Rom. in.

Paulus deperdita illa ac pleniore libri de origine gentis Romanae recensione usus, in quam Varroniana memoria per Vergilii interpretem videtur permanasse. Itaque Paulus et Tertullianus urbem Saturniam intellexerunt eam, quae in Etruria sita est (Mommsen. l. c. p. 404), cuius ruinas etiam nunc superesse constat, contra Minucius videtur de fabulosa urbe in colle Capitolino, qui etiam Saturnius nominatus est (v. Schwegl. R. G. I 213), cogitasse.[1]) Nec vocem civitas adoptavit Minucius et a Tertulliano et a Paulo usurpatam. Porro Tertullianus paulo post illum, de quo modo actum est, locum verbo cognominare utitur, quod alibi nusquam usurpavit, neque habet Octavius illo loco. Contra usus est hoc verbo scriptor Originis (2, 4). Quo loco etsi sententiarum conexus alius est atque apud Tertullianum, tamen probabile est illud verbum Varrone auctore in Apologeticum migrasse. Praeterea Tertullianus scripsit: 'Ab ipso (sc. Saturno) . . . imagine *signatus nummus*', Minucius: 'is (sc. Saturnus) . . . rudes illos homines . . . multa docuit . . ., *nummos signare* . . .' omisso additamento imagine. Quae autem fuerit illa imago, cum doceat Origo 3, 4, apparet cogitandum esse de Iani capite et nave. Videtur igitur illud quoque additamentum Varroni Tertullianus debere. Denique id documento est Tertullianum Minucii vestigia non pressisse, quod hic ad aerarium Saturni et a Tertulliano et a scriptore Originis (3, 6) commemoratum omnino non provocavit. Postremo moneo etiam alia apud Tertullianum legi, quae in Octavio desint, velut haec verba: 'vel Iane, ut Salii volunt', quae et ipsa sapiunt Varronem, 'commentatorem eiusmodi antiquitatum'.

Sed non ab ipso Varrone Tertulliani locum (Apol. 10 p. 80, 26 sqq.) sumptum esse censeo, immo ex scriptore ecclesiastico Varronis vestigiis ingresso. Nam Apol. 10 praeter ceteros scriptores commemoratur Thallus quidam, qui cum Chronicorum libros tres et Historias Assyrias post annum 33 p. Chr. composuerit (cf. Mueller. F. H. G. III 517), a Varrone nominari non potuit. Legisse autem Tertullianum Thalli scripta neque ex hoc, de quo nunc agitur, loco efficitur, neque ex Apol. 19 p. 97, 9; immo nomina Thalli ceterorumque scriptorum, quorum Apol. 19 p. 97 mentio fit, ab alio scriptore mutuatum esse Tertullianum docent hi loci similes: Tat. or. ad Graec. 36 sqq.;

[1]) Ad eandem urbem spectat Orig. 3, 1 (Momms. l. c.). In deperdita Originis recensione et huius et illius urbis mentio facta erat.

Ps.-Iust. coh. ad gent. 9, qui quomodo cum Apologetici loco cohaereant exponere a proposito alienum est. Arbitror igitur Tertullianum etiam Apol. 10 p. 81, 4 Thalli nomen scriptori cuidam debere, qui ecclesiasticus fuerit, siquidem hi potissimum scriptores iis praecipue locis, quibus de Saturno referunt, ad Thallum illum provocant, velut Theophilus loco depravato (ad Autol. III 29).[1]) Ab eodem auctore Christiano Tertullianum et nomina ceterorum scriptorum et omnia, quae ad Saturnum pertinent, mutuatum esse opinor. Eodem modo Lactantius eo, quem supra exscripsimus loco, Varronis nomine ceteris addito Minucium secutus est.[2]) Scriptore illo ecclesiastico uno Tertullianum Apol. 10. 11 usum esse credo; ad nat. II 12 praeter illum adiit ipsum Varronem eumque diserte nominavit.

Quis igitur auctor fuit Minucii? Quem non e Varrone pendere, sed ex scriptore quodam ecclesiastico ideo probabile est, quod ipse quoque Thallum nominavit, cuius scripta eum legisse nulla sunt indicia. Quare ei homines docti, quibus ex Apologetico videtur Octavius fluxisse, censent Minucium Tertulliani errore perspecto, cum non de Cassio Severo oratore, sed de Cassio Hemina rerum scriptore cogitandum esse sciret, emendavisse 'Cassius in historia'. At vero Cassii Heminae, 'vetustissimi auctoris annalium', opus nec Minucio neque ulli homini aetate illa notum fuisse constat. Oportet igitur additamentum illud 'in historia' ab alio auctore acceperit Minucius. Accedit aliud argumentum, quo efficitur non Apologeticum Minucii fontem fuisse. Paulo enim ante eam capitis 21 partem, qua de Saturno refert, Minucius provocavit ad epistulam quandam ab Alexandro Magno ad matrem datam,[3]) cuius epistulae nusquam mentio fit nisi apud scriptores

[1]) *Καὶ γὰρ Βήλου τοῦ Ἀσσυρίων βασιλεύοντος καὶ Κρόνου τοῦ Τιτᾶνος Θάλλος μέμνηται, φάσκων τὸν Βῆλον πεπολεμηκέναι σὺν τοῖς Τιτᾶσι πρὸς τὸν Δία καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ θεοὺς λεγομένους, ἔνθα φησίν· Καὶ ὁ Γύγος ἡττηθεὶς ἔφυγεν εἰς Ταρτησσόν, τότε μὲν τῆς χώρας ἐκείνης Ἀκτῆς κληθείσης, νυνὶ δὲ Ἀττικῆς προσαγορευομένης, ἧς ὁ Γύγος τότε ἦρξεν . . . Κατὰ γὰρ τὴν Θάλλου ἱστορίαν ὁ Βῆλος προγενέστερος εὑρίσκεται τοῦ Ἰλιακοῦ πολέμου ἔτεσι τκβ'.* cf. 'Apologetici Tertullianei fragmentum', quod unus exhibet codex Fuldensis (Apol. 19); Lact. I. D. I 23, 2.

[2]) Una cum Diodoro aliisque Thallum nominavit Pseudo-Iustinus coh. ad gent. 9. Sed sententiarum conexus hoc loco alius est atque apud Minucium, Tertullianum, Lactantium.

[3]) Hanc epistulam spuriam esse docuit Jablonski proll. ad Panth. Aegypt. § 15 sq. et homini Christiano attribuit.

ecclesiasticos: Athenag. Suppl. 28; Tert. de pallio 3; Aug. C. D. VIII 5. 27; XII 11; de cons. evang. I 23. Credo igitur iam hunc locum Minucium hausisse ex libro apologetae cuiusdam Christiani, qui quidem a Tertulliano diversus fuerit, quoniam similia apud hunc desunt. Iam vero ubi accuratius inspexeris locos illos libelli de origine gentis Romanae, concedes scriptorem Originis et Minucium interdum similiores esse, quam hunc et Tertullianum: Itaque Min. 21, 5 = Igitur Orig. 3, 1; Creta profugus Min. ib. = regno profugus Orig. ib.; susceptus hospitio Min. ib. = exceptus hospitio Orig. ib.; rudes Min. ib. = rudes Orig. ib.; docuit Min. ib. = edocuit Orig. 3, 2; de suo nomine Min. 21, 6 = suo nomine Orig. 3, 1. Neque his verbis quicquam respondet in Apologetico nec magis Ianiculi (Min. 21, 6; Orig. 2, 4) ibi mentio facta est. Itaque quamquam Minucius e Tertulliano non pendet, tanta est affinitas inter Apologetici locum (10 p. 80, 26 sqq.) et Octavium (21, 4 sqq.), ut necessario statuendum sit scriptorem illum ecclesiasticum, cuius librum Minucio praesto fuisse monuimus, eundem fuisse atque illum, quem Tertullianus secutus est. Summam igitur expositionis nostrae continet hoc stemma:



[1]) Mommsenius Herm. XII p. 408 probavit Originem hodie deperditam iam ab Hieronymo adhibitam esse. Quodsi quis nobis opponat videri iam Minucii et Tertulliani auctorem Christianum eo, quo de Saturno disseruit, loco ex illa Origine sua hausisse, respondebo et deesse indicia, e quibus colligas eum

Praeter illum apologetam Minucius, ubi de Saturno refert, Vergilio se addixit, cuius Aeneidem pristina legendi consuetudine ac memoria sua fretus fortasse non denuo inspexit: cf. Min. 21, 6; Verg. Aen. VIII 322 sq.[1])

Ceterum eo, quem supra exscripsimus, loco (Oct. 21, 1 sqq.) aliquot Minucii verba ad Ciceronem prope accedunt; veluti initium ad Cic. de nat. deor. I 42, 119. Noli tamen sumere similia Tertulliani verba ('civitatibus, in quibus nati sunt e. q. s.' Apol. 10 in.; 'meritorum remunerandorum' Apol. 11 p. 83, 5 sqq.) ex Octavio fluxisse. Sane similiter disputaverit oportet etiam Varro vel potius scriptor ille Christianus, quem Varronis vestigia pressisse vidimus. Scripsit enim Augustinus C. D. VI 7 Varrone auctore haec: 'Quid de ipso Iove senserunt, qui eius nutricem in Capitolio posuerunt? Nonne adtestati sunt Euhemero, qui omnes tales deos . . . homines fuisse mortalesque conscripsit?' Itaque eidem illi scriptori ecclesiastico Minucium debere credo exempla Dictaei Iovis et Apollinis Delphici et Phariae Isidis et Cereris Eleusiniae (21, 1), quae et loco illo Ciceronis frustra quaeras et ab Euhemero accepisse Varronem conicio. Ad eundem illum scriptorem ecclesiasticum rettulerim et Oct. 21, 8, ubi Minucius multo copiosior est quam Cicero (de nat. deor. III 21, 53) et verba 'nisi forte post mortem deos fingitis' (Oct. 21, 9; Apol. 11 in.), quorum auctorem Tertullianus ad nat. II 13 in. Varronem nominavit. Contra Oct. 21, 2 ad Ciceronem (de nat. deor. I 42, 118;[2]) 15, 38; II 23, 60) referendum esse non nego. Similis vero Tertulliani locus (Apol. 11 p. 82, 20 sqq.) ex Octavio non manavit. Varro enim vel scriptor ille Christianus inter deos post mortem factos certe non omisit inventores rerum ad vivendum necessariarum, ut Liberum, Cererem,

scriptoris Originis illius vestigia pressisse neque alibi usquam Apologeticum et Octavium cum ea, quae servata nobis est, Origine congruere. Contra probavimus et pergemus probare eum apologetam, quem Minucius et Tertullianus secuti sunt, Varronis praecipue imitatorem fuisse. Itaque veri simile est etiam ea, quibus de Saturno agitur, a Varrone eum sumpsisse.

[1]) Etiam aliis locis Minucius cum Vergilio congruit: Aen. I 446. 447; Min. 7, 5. — Aen. II 1; Min. 39. — Aen. III 137—139; Min. 5, 10. — Aen. VI 135; Min. 5, 6. — Aen. VI 724 sqq.; Georg. IV 221. 222; Aen. I 743; Min. 19, 2. — Aen. VI 796; Min. 6, 2. — Aen. VII 606; Min. 7, 4. — Aen. VII 717; Min. 7, 4. — Aen. VIII 424 sq.; Min. 23, 6. — Aen. VIII 635; Min. 25, 3. — Aen. IX 105; Min. 35, 2.

[2]) Hunc locum perperam intellectum esse a Minucio monuit C. Halmius.

Minervam. cf. Aug. C. D. VII 19 f.; Tert. ad nat. II 16, in quibus locis Varroniana doctrina inest. — —

Iam Oct. 23 et Apol. 14 inter se conferenda sunt:

Min.	Tert.
Has fabulas et errores ab imperitis parentibus discimus, et quod est gravius, ipsi studiis et disciplinis elaboramus, carminibus praecipue poetarum, qui plurimum quantum veritati ipsi sua auctoritate nocuerunt. et Plato ideo praeclare Homerum illum inclytum laudatum et coronatum de civitate, quam in sermone instituebat, eiecit.	Nolo[1]) et ritus vestros recensere: non dico quales sitis in sacrificando, cum enecta et tabidosa et scabiosa quaeque mactatis, cum de opimis et integris supervacua quaeque truncatis, capitula et ungulas, quae domi quoque pueris vel canibus destinassetis, cum de decima Herculis nec tertiam partem in aram eius inponitis (laudabo magis sapientiam, quod de perdito aliquid eripitis), sed conversus ad litteras vestras, quibus informamini ad prudentiam et liberalia officia, quanta invenio ludibria!
Hic enim praecipuus bello Troico deos vestros, etsi ludos facit, tamen in hominum rebus et actibus miscuit, hic eorum paria composuit, sauciavit Venerem, Martem vinxit, vulneravit, fugavit. Iovem narrat Briareo liberatum, ne a diis ceteris ligaretur, et Sarpedonem filium, quoniam morti non poterat eripere, cruentis imbribus flevisse, et loro Veneris inlectum flagrantius, quam in adulteras soleat, cum Iunone uxore concumbere.	deos inter se propter Troianos et Achivos ut gladiatorum paria congressos depugnasse, Venerem humana sagitta sauciatam, quod filium suum Aenean paene interfectum ab eodem Diomede rapere vellet, Martem tredecim mensibus in vinculis paene consumptum, Iovem, ne eandem vim a ceteris caelitibus experiretur, opera cuiusdam monstri liberatum; et nunc flen-
Alibi Hercules stercora egerit et Apollo Admeto pecus pascit. Laomedonti vero muros Neptunus instituit, nec	

[1]) Sic enim pro 'volo' cum Havercampio legendum esse perspexit Hartelius l. c p. 366. Nec tamen desunt, qui verbo 'volo' servato pro 'ritus' scribendum proposuerint 'risus'. Legitur enim ad nat. I 10 p. 169, 2 simili loco: 'Derisus vero quanto lascivior, tanto denotatior ad contumeliae morsum'

mercedem operis infelix structor accipit.

Illic Vulcanus Iovis fulmen cum Aeneae armis in incude fabricatur, cum caelum et fulmina et fulgura longe ante fuerint, quam Iuppiter in Creta nasceretur, et flammas veri fulminis nec Cyclops potuerit imitari nec ipse Iuppiter non vereri.

Quid loquar Martis et Veneris adulterium deprehensum et in Ganymeden Iovis stuprum caelo consecratum? quae omnia in hoc prodita, ut vitiis hominum quaedam auctoritas pararetur.

tem Sarpedonis casum, nunc foede subantem in sororem sub commemoratione non ita dilectarum iam pridem amicarum.

Exinde quis non poeta ex auctoritate principis sui [1]) dedecorator invenitur deorum? Hic Apollinem Admeto regi pascendis pecoribus addicit, ille Neptuni structorias operas Laomedonti locat. Est et ille de lyricis (Pindarum dico), qui Aesculapium canit avaritiae merito, quia medicinam nocenter exercebat, fulmine iudicatum. Malus Iuppiter, si fulmen illius est, impius in nepotem, invidus in artificem. Haec neque vera prodi neque falsa confingi apud religiosissimos oportebat.

Nec tragici quidem aut comici parcunt, ut non aerumnas et errores domus alicuius dei praefentur.

Taceo de philosophis, Socrate contentus . . .

Quo loco Tertullianum Minucii vestigia pressisse sunt, qui contenderint. At similia leguntur ad nat. I 10, cuius capitis doctrinam ad Varronis rerum divinarum libros referendam esse credideris. Nam praeterquam, quod illic Varronis nomen affertur (l. c. p. 167, 7), concludendum videtur ex Aug. C. D. VI 5 sqq., ubi 'de tribus generibus theologiae secundum Varronem, fabuloso, naturali, civili' agitur, Tertullianum ea, quae Varro de genere fabuloso disseruit, in rem suam convertisse: cf. ad nat. I 10 p. 168, 11; Aug. C. D. VI 7 I² p. 258, 8 Domb. — ad nat. l. c. p. 168,

[1]) sc. Homeri.

12; Aug. l. c. p. 258, 14.[1]) — Imprimis autem haec verba Varronis (Aug. C. D. VI 5) respicienda sunt: 'Primum,[2]) inquit (sc. Varro), quod dixi, in eo sunt multa contra dignitatem et naturam inmortalium ficta. In hoc enim est, ut deus alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus; in hoc, ut dii furati sint, ut adulterarint, ut servierint homini;[3]) denique ⟨in hoc⟩ omnia ⟨diis⟩ adtribuuntur, quae non modo in hominem, sed etiam quae in contemptissimum hominem cadere possunt'. Quibuscum verbis iure conferuntur ad nat. I 10 p. 169, 17 sqq. et is Apologetici locus, de quo nunc agitur. Ceterum ad nat. I 10 ad Varronem referendum esse ea quoque verba testantur, quae ad nat. I 10 p. 170, 7 sqq. legimus. Scripsit enim Varro teste Augustino C. D. VI 5 p. 254, 18 haec: 'prima theologia maxime accommodata est ad theatrum'. (cf. Apol. 15 in.).

Documento igitur sunt Augustini libri de civitate Dei et Tertulliani ad nationes liber primus fieri potuisse, ut is Apologetici locus, quem supra exscripsimus, e Varronis rerum divinarum libris flueret. Adde quod etiam Apol. 15 p. 88, 16 Varronem sapit; trium enim dearum pulchritudine inter se certantium Varronem mentionem fecisse apparet ex Aug. C. D. IV 27.

Nihilominus non tam ex ipso Varrone Tertullianum eum, de quo agitur, Apologetici locum et similem ad nationes locum deprompsisse opinor quam ex scriptore ecclesiastico, qui Varronis vestigia presserit, quia apologetarum potissimum Christianorum libri similibus rebus abundant: Athenag. Suppl. 21;[4]) Theophil. ad

[1]) Ex hoc et priore loco Augustini efficitur Tertullianum sua non hausisse ex Oct. 22, 5, quod Schwenkius l. c. p. 276 vidit. Nec magis Minucius pendet e Tertulliano. Congruit enim ea parte capitis 22, quae pertinet inde a paragrapho quinta ad finem, mirum quantum cum Cicerone. cf. de nat. deor. I 29, 82; Oct. 22, 6. — de n. d. I 30, 83; Oct. 22, 5. — de n. d. III 22, 57; Oct. 22, 7. — de n. d. III 18, 45; Oct. 22, 7. — de n. d. III 16, 41; Oct. 22, 7. — de n. d. III 34, 83; Oct. 22, 5 (de Aesculapio). Nec tamen Ciceroni Minucium sua debere credo. Minucius enim multo copiosior est, quam ille. Quis Minucio auctor fuerit, difficillimum est ad diiudicandum. Varronem auctorem non fuisse comprobatur locis illis Augustini et Tertulliani, unde profecti sumus. Cum his enim locis multo minus congruit locus Minucianus quam cum locis Tullianis.

[2]) sc. genus mythicon.

[3]) Hic nemo non cogitat de Iovis, Apollinis, Neptuni exemplis.

[4]) . . . Sarpedo, Venus vulnerata, Martis et Veneris adulterium, Mars vinctus . . . Iuppiter adulter, Apollo Admeto greges pascens.

Autol. I 9;[1]) Tat. or. ad Graec. 8;[2]) Clem. Alex. Protr. 2. 4;[3]) Ps.-Iust. coh. ad gent. 2;[4]) Cypr. ad Don. 8;[5]) Arnob. IV 24 sqq.;[6]) Lact. I. D. I 9 sq.;[7]) Firm. Mat. de err. prof. rel. 12, 8.[8]) Minu-

[1]) Iuppiter cum sorore concumbens et adulter . . . Venus vulnerata et Mars . . . Aesculapius fulmine percussus.

[2]) C. Th. de Otto corp. apol. Christ. saec. II vol. VI Ien. 1851 p. 36: *Οἱ γὰρ τοὺς μονομαχοῦντας βλέποντες καὶ θάτερος θατέρῳ σπουδάζων, καὶ ὁ γαμῶν καὶ παιδοφθορῶν καὶ μοιχεύων, γελῶν τε καὶ ὀργιζόμενος, φεύγων τε καὶ τιτρωσκόμενος, πῶς οὐχὶ θνητὸς εἶναι νομισθήσεται;*

[3]) 2, 29 (Mars vinctus); 2, 30 (Aesculapius fulmine percussus); 2, 33 (Ganymedes); 2, 35 (Apollo et Neptunus hominibus servientes); 2, 36 (Mars et Venus vulnerati); 4, 55 (Sarpedo); 4, 59 (Martis et Veneris adulterium).

[4]) . . . Sarpedo . . . Briareus, Iuppiter adulter, Mars et Venus vulnerati, Mars vinctus, dei inter se pugnantes.

[5]) 'Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Iovem illum suum non magis regno quam vitiis principem, in terrenos amores cum ipsis suis fulminibus ardentem, nunc in plumam oloris albescere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubescentium raptus ministris avibus prosilire.'

[6]) IV 24 (. . . Iuppiter cum sorore concumbens, Vulcanus apud insulam Lemnum fabrilia opera exercens, Aesculapius fulmine percussus); 25 (. . . Apollo et Neptunus hominibus servientes, Mars et Venus vulnerati); 26 (Iuppiter adulter).

[7]) I 9, 2 (Hercules stercora egerens); 10, 1 (Aesculapius fulmine percussus); 10, 3 (Apollo et Neptunus hominibus servientes); 10, 4 (Martis et Veneris adulterium); 10, 10 (Iuppiter adulter).

[8]) Venus vulnerata, Mars vinctus et vulneratus, Sarpedo, Neptunus mercedem fabricatorum murorum a superbo rege non recipiens, Apollo Admeto greges pascens, Aesculapius fulmine percussus, Vulcanus a patre praecipitatus pedem frangens . . . Venus in adulterio deprehensa. — Similitudo, quae inter hos locos intercedit, ita orta est, ut haec et similia exempla ab Homero aliisque poetis profecta primum colligerentur a profanis quibusdam scriptoribus Graecis, velut a Philodemo *περὶ εὐσεβείας* disserente: cf. Th. Gomperz. Hercul. Stud. 2. Lips. 1866 p. 17 (Aesculapius); p. 34 (Apollo, Neptunus); p. 40 (Venus et Mars vulnerati); p. 48 (Martis et Veneris adulterium). Ab his scriptoribus, qui Euhemeri rationem secuti sunt, exempla illa manaverunt ad apologetas Christianos Graecos, qui aut ex ipsis illis scriptoribus sua hauserunt, ut Clemens Alexandrinus, aut ex scriptoribus ecclesiasticis profanorum illorum auctorum vestigiis ingressis. Inter Romanos vero cum alii tum Varro in libris rerum divinarum et Cicero in libris de natura deorum et de divinatione scripta Graecorum illorum in usum suum converterunt. Itaque fit, ut illi quos diximus libri, Varronis, Ciceronis, Philodemi, Protrepticus Clementis Alexandrini, alii non solum iis locis, qui ad illa exempla pertinent, verum etiam alibi valde inter se congruant. A Varrone autem exempla illa, de quibus nunc agitur, ad scriptores ecclesiasticos Latinos videntur pervenisse. Augustinum certe huius vestigia pressisse supra docui-

cium autem Tertulliano auctorem non fuisse mihi quidem certum videtur. Tertullianus enim primum Homerum, epicorum poetarum principem, deinde lyricos, tum tragicos et comicos, postremo philosophos respexit, quam distributionem Minucius plane neglexit. In nonnullis porro exemplis persequendis Tertullianus copiosior est Minucio; accedit, quod hic exemplum Aesculapii fulmine percussi omnino non attulit. Nec vero Aesculapium ex Pindaro addidit exemplis apud Minucium repertis Tertullianus; hoc enim exemplum cum alii tum Philodemus, Clemens Alexandrinus, Arnobius similibus locis (v. p. 56 adn. 8. 3. 6) praeter alia exempla ita commemoraverunt, ut ad Pindarum omnes provocarent. Itaque probabile est Tertullianum Aesculapii exemplum una cum reliquis ab uno auctore mutuatum esse. Ad eundem auctorem cum alia rettulerim, tum illud, quod Tertullianus narrat Martem tredecim menses in vinculis fuisse. Haec enim verba conferenda sunt cum Clementis Alexandrini Protreptico (2, 29): *τοῦτον δὲ Ὅμηρος δεδέσθαι φησὶν ἐπὶ μῆνας τρισκαίδεκα.* Nec vero ex hoc loco aut ex alio ullo efficitur, ut Tertullianus in Apologetico scribendo Protrepticum inspexerit.

Unde igitur sua hausit Minucius?[1]) Quem qui Homero partem exemplorum illorum debere putant, ut Kuehnius (l. c. p. 13), vehementer errant. Haec enim exempla a scriptoribus Minucio multo vetustioribus composita esse supra diximus (p. 56 adn. 8). Nec Cicero (de nat. deor. I 16, 42; II 28, 70; de div. II 10, 25) Minucii auctor iudicandus est, quia Minucius multo copiosius disputat quam ille. Quoniam igitur haec exempla ecclesiasticis potissimum scriptoribus in deliciis fuisse supra ostendimus, Minucius quoque ex apologeta quodam videtur pendere, cum praesertim etiam locum illum Platonicum, cuius Minucius initio loci de quo agitur mentionem fecit, ad scriptorem quendam ecclesiasticum referendum esse viderimus (p. 26 sq.). Tertullianus autem Minucii auctor non fuit, siquidem hic non tantum de nonnullis exemplis plura verba fecit quam ille, sed etiam Herculis, Vulcani, Martis et Veneris adulterii, Ganymedis exempla habet a Tertulliano omissa. Quae cum a ceteris, quae in Octavio commemorantur,

mus. — Ceterum iis locis, de quibus nunc agitur, neque a Minucio neque a Tertulliano ullus eorum scriptorum Christianorum compilatus est, quorum locos supra congessimus.

[1]) Initium loci Minuciani cum Tac. Dial. 29 ('fabulis et erroribus') iure composuit Aem. Baehrensius ed. Tac. Dial. Lips. 1881 p. 85.

exemplis divelli vetent ea, quae p. 55 adn. 4 et in adnotationibus p. 56 congessimus, omnia exempla ex uno fonte hausisse existimandus est Minucius. Iam cum non solum sententiae verum etiam verba Minucii et Tertulliani simillima sint, prorsus assentior Bonwetschio (l. c. p. 22) ex una eademque defensione scriptoris cuiusdam Christiani Minucium et Tertullianum sua hausisse existimanti. Varronis vestigia hunc apologetam pressisse satis a nobis probatum esse confido.[1]) —

Apologetam illum non Graecum fuisse, sed Latinum persuasum habeo, quippe qui scriptorum Latinorum, Varronis et Senecae scrinia compilaverit, quae scriptoribus ecclesiasticis Graecis, quorum quidem scripta supersunt, intacta remanserunt. Nec vero talia, qualia Apol. 9 (p. 77, 21 sqq.), Oct. 30, 5 sqq., deinde Apol. 10 (p. 81, 2 sqq.), Oct. 21, 4 sqq., tum Apol. 25. 26, Oct. 25 leguntur, nisi ad auctorem Latinum referri possunt. Simili enim modo res Romanas ex Graecis apologetis, quantum scimus, respexit nullus.

CAPUT ALTERUM.

§ 1.

Missis Latinis ad Graecos transeamus scriptores, ex quibus Minucium et Tertullianum pendere suspiceris; sunt autem omnes

[1]) Quibus expositis nemo assentiatur his Schwenkii verbis (l. c. p. 281 adn.): 'Tertullian (Apol. 14. ad Nat. I 10) giebt das (sc. paria; v. Minucii verba 'hic eorum paria composuit' p. 53 hui. comm.) mit gladiatorum paria, bez. gladiatoria quodammodo paria wieder, eine Verwässerung des prägnanten Ausdrucks, die allein schon die Priorität des Minucius sichern müsste'. — In Vulcani exemplo persequendo, quod communem Minucii et Tertulliani auctorem commemoravisse Arnob. IV 24 et Firm. Mat. de err. prof. rel. 12, 8 docent (v. p. 56 adn. 6 et 8), Minucio placuit Vergilium imitari: v. Aen. VIII 424 sqq. — Ex ipsis Varronis rerum divinarum libris Tertullianum sua hausisse noli ex eo conicere, quod Apol. 14 inf. (cf. ad nat. I 10 p. 170, 6) haec leguntur: 'Sed et Diogenes nescio quid in Herculem ludit, et Romanus *Cynicus* Varro trecentos Ioves, sive Iuppiteres dicendos, sine capitibus introducit'. Quae verba quamquam Merkelius Proll. ad Ovid. Fast. p. CCXXI ad libros rerum divinarum rettulit, tamen F. Oehlero saturae Menippeae attribuenda ea esse rato (ed. Tert Apol. et ad nat. libr. II Hal. Sax. 1849 p. 80; M. Varronis sat. Men. rell. Quedl. et Lips. 1844 p. 48

ecclesiastici; nam apud profanos neque Schwenkius invenit neque ipse deprehendi locos, quos altero intercedente ad alterum manavisse opineris.

Quoniam veterum scriptorum ecclesiasticorum libri permulti perierunt — satis est Quadrati 'discipuli apostolorum', Aristidis Atheniensis, Miltiadis 'ecclesiarum sophistae', Melitonis Sardiani, Claudii Apollinaris Hierapolitani nomina attulisse, quos pro se quemque religione Christiana adversus paganos strenue defensa claros fuisse accepimus, — summa cautione opus est in indagandis Minucii et Tertulliani fontibus Graecis; ei enim qui supersunt scriptores ecclesiastici cum alter alterum tum deperditos libros compilaverunt. Praeter ceteros in censum venit Iustinus philosophus et martyr, deinde Tatianus et Theophilus Antiochensis.

Tertullianus multis cum aliorum scriptorum tum Apologetici et librorum ad nationes locis tam prope ad Iustinum accedit, ut Ebertus (l. c. p. 379), Hartelius (l. c. p. 367), A. Harnackius [1]) recte senserint Tertullianum scripta Iustini, quem adv. Val. 5 una cum aliis scriptoribus dilucide nominavit, legisse et in usum suum convertisse.[2]) Minucius vero num Iustini apologias[3]) legerit, Har-

et 238) cum Riesio et Buechelero assentiendum est. Nam Gellius II 18, 7: 'Ex quibus', inquit, 'ille Menippus fuit, cuius libros M. Varro in satiris aemulatus est, quas alii *cynicas*, ipse appellat Menippeas'. cf. Macrob. Sat. I 11, 42.

[1]) O. Gebhardt et A. Harnack, Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur I Lips. 1883 fasc. 2 p. 132 adn. 77.

[2]) cf. Iust. Apol. I 4 p. 12, 6 sqq. C. Th. de Otto corp. apol. Christ. saec. II vol. I³ Ien. 1876; Tert. Apol. 2 p. 63, 19 sqq. — I. A. I 4 p. 14, 10 sqq.; T. A. 2 p. 65, 11; ad nat. I 3 p. 156, 3. — I. A. I 4 p. 14, 9 sqq.; A. II 6 p. 214, 1; T. A. 3 p. 66, 17; a. n. I 3 p. 156, 18. — I. A. I 4 p. 16; T. A. 3 p. 67, 3. 6 sqq.; a. n. I 4 p. 156, 27 sqq. — I. A. I 5 p. 18, 2 sqq.; T. A. 27 p. 117, 4. — I. A. I 5 p. 18, 10; T. A. 46 p. 141, 1 sqq.; a. n. I 4 p. 157, 11. — I. A. I 7 p. 22, 5 sqq.; T. A. 46 p. 142, 21. — I. A. I 8 p. 26, 7; A. II 4 p. 208, 11; A. I 39 p. 112, 7; T. A. 21 p. 103, 23. — I. A. I 8 p. 26, 15; T. A. 23 p. 109, 15 sqq. — I. A. I 8 p. 28, 3; T. A. 38 p. 129, 5. — I. A. I 9; T. A. 12 p. 84, 13 sqq. (Min. 23, 12). — I. A. I 10 in.; T. A. 30 p. 120, 15 sqq. (Min. 32, 3). — I. A. I 12 p. 36; T. A. 45. — I. A. I 15 p. 48, 4; T. A. 9 p. 79, 15 (Min. 31, 5). — I. A. I 17 in.; T. A. 42 p. 137, 19. — I. A. I 18 p. 56, 12; T. A 23 in. — I. A. I 19 p. 60, 12; A. I 10 p. 32, 4; T. A. 48 p. 147, 1 sqq. (Min. 34, 10). — I. A. I 21; T. A. 21. — I. A. I 22 p. 70, 10 sqq.; T. A. 21 p. 101, 5 sqq. — I. A. I 22 p. 70, 11; T. A. 21 p. 101, 23 sqq. p. 102, 1 sqq. — I. A. I 24 in. sqq.; T. A. 24 p. 111, 19 sqq. — I. A. I 24 p. 74, 11 sqq.; T. A. 24 p. 112, 8 sqq. — I. A. I 26 p.

nackius dubitat (l. c. p. 132). Atque quamvis veri simile sit Minucium, siquidem post Iustinum scripsit, huius scriptoris celeberrimi libros legisse, tamen ad Octavium componendum Iustini defensionibus usum esse Minucium demonstrari nequit.

Qui Iustinum inter Minucii auctores fuisse censent, eorum sententia maxime nititur in his locis: Iust. Apol. I 55; Oct. 29, 6 sqq.; quos locos Schwenkius (l. c. p. 278 adn. 1) documento esse contendit Tertullianum simili loco (Apol. 16) non Iustini, sed Minucii Iustinum secuti vestigiis institisse:[1])

Iust.	Min.	Tert.
⟨A⟩ *Κατανοήσατε γὰρ πάντα τὰ ἐν τῷ κόσμῳ, εἰ ἄνευ τοῦ σχήματος τούτου* (sc. crucis) *διοικεῖται ἢ κοινωνίαν ἔχειν δύναται. Θάλασσα μὲν γὰρ οὐ τέμνεται, ἢν μὴ τοῦτο τὸ τρόπαιον, ὃ καλεῖται ἱστίον, ἐν τῇ νηῒ σῶον μείνῃ· γῆ δὲ οὐκ ἀροῖται ἄνευ αὐτοῦ· σκαπανεῖς δὲ τὴν ἐργασίαν οὐ ποιοῦνται, οὐδὲ βαναυσουργοὶ ὁμοίως εἰ μὴ διὰ τῶν τὸ σχῆμα τοῦτο ἐχόντων ἐργαλείων.*	⟨a⟩ *Cruces* etiam nec colimus nec optamus. vos plane, qui *ligneos* deos *consecratis*, cruces ligneas ut deorum vestrorum partes forsitan adoratis.	⟨α⟩ Sed et qui *crucis* nos religiosos putat, *consecraneus* erit noster. Cum *lignum* aliquod propitiatur, viderit habitus, cum materiae qualitas eadem sit, viderit forma, dum id ipsum dei corpus sit. Et tamen quanto distinguitur a crucis stipite Pallas Attica et Ceres Pharia, quae
⟨B⟩ *Τὸ δὲ ἀνθρώπειον σχῆμα οὐδενὶ ἄλλῳ τῶν ἀλόγων ζῴων διαφέρει, ἢ τῷ ὀρθόν τε εἶναι καὶ ἔκτασιν χειρῶν ἔχειν καὶ ἐν τῷ προσώπῳ ἀπὸ τοῦ μετωπίου τεταμένον τὸν λεγόμενον μυξωτῆρα φέρειν, δι' οὗ ἥ τε ἀναπνοή ἐστι τῷ ζῴῳ, καὶ οὐδὲν ἄλλο δείκνυσιν ἢ τὸ σχῆμα τοῦ σταυροῦ. Καὶ διὰ τοῦ προφήτου δὲ ἐλέχθη οὕτως· Πνεῦμα πρὸ προσώπου ἡμῶν Χριστὸς κύριος.*	(b) Nam et signa ipsa et *cantabra* et vexilla castrorum quid aliud quam inauratae cruces sunt et ornatae? tropaea	
⟨C⟩ *Καὶ τὰ παρ' ὑμῖν δὲ σύμβολα τὴν τοῦ σχήματος τούτου δύναμιν δηλοῖ,*[1]) *λέγω δὲ τὰ τῶν οὐηξίλλων καὶ τῶν τροπαίων, δι' ὧν αἵ τε πρόοδοι ὑμῶν πανταχοῦ γίνονται*	(c) Signum sane crucis naturaliter visimus in navi, cum velis tumentibus vehitur, cum expansis palmulis labitur. et cum erigitur iugum, crucis signum est, et cum homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur. Ita signo crucis aut ratio naturalis innititur aut vestra religio formatur.	vestra victricia non tantum simplicis crucis faciem verum et adfixi hominis imitantur.

78, 3 sqq ; T. A. 13 iuf. — I. A. I 26 p. 82, 10 sqq.; T. A. 7 in. (Min. 9, 6). — I. A. I 27 in.; T. A. 9 p. 79, 8; a. n. I 16 p. 176, 15 sqq. (Min. 31, 4). — I. A. I 29 in.; T. A. 9 p. 79, 17 sqq. (Min. 31, 5). — I. A. I 30 in.; T. A. 21 p. 101, 23. — I. A. I 31; T. A. 18 p. 94. — I. A. I 39 p. 112, 1 sqq.; T. A. 21 p. 103, 14 sqq. — I. A. I 44 p. 122 inf. p. 124, 1 sqq.; T. A. 47 (Min. 34, 5—9) — I. A. I 47 p. 130, 23 p. 132, 1 sqq.; T. A. 21 p. 99, 15. — I. A. I 55; T. A. 16; a. n. I 12 (Min. 29, 6). — I. A I 67 p. 184, 5 sqq.; T. A. 39 in. — I. A. II 1 p. 196, 1 sqq ; T. A. 1 p. 59, 4. — I. A. II 2; T. A. 3. Ceterum cave credas Iustinum his locis omnibus Tertulliano auctorem fuisse: immo multi omnibus apologetis, qui vocantur, communes sunt; nonnullos quamvis similes si accurate inter se comparaveris, respecta ea ratione, quam alias in auctoribus compilandis Tertullianus secutus est, concedes non a Iustino, sed ab alio scriptore eum sumpsisse.

[3]) De altera Iustini apologia, quae vocatur, v. Harnack. l. c. p. 186 sqq.

[1]) Etiam O. Zoecklerus Das Kreuz Christi (Gütersloh 1875) p. 124 arbitratur Tertullianum Minucii verba in rem suam convertisse.

[1]) *δηλοῖ· * * * * λλομεν καὶ τῶν τροπαίων* traditum est in codicibus. Multae sane ad lacunam illam 'quattuor fere aut quinque' syllabarum explendam coniecturae factae sunt, quas enumeravit Otto (l. c. p. 152), cuius coniectura probabilissima supra usi sumus.

[2]) F. Oehlerus adoptavit lectionem codicis Fuldensis 'in signis'. Sed non est, cur a lectione codicis Agobardini 'insignes' recedamus.

sine effigie rudi palo et informi ligno prostant? Pars crucis est omne robur, quod erecta statione defigitur. Nos, si forte, integrum et totum deum colimus. Diximus originem deorum vestrorum a plastis de cruce induci.

⟨β⟩ Sed et Victorias adoratis, cum in tropaeis cruces intestina sint tropaeorum. Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa iurat, signa omnibus deis praeponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes[2]) monilia crucum sunt; siphara illa vexillorum et *cantabrorum* stolae crucum sunt. Laudo diligentiam. Noluistis incultas et nudas cruces consecrare.

ται, τῆς ἀρχῆς καὶ δυνάμεως τὰ σημεῖα ἐν τούτοις δεικνύντες, εἰ καὶ μὴ νοοῦντες τοῦτο πράττετε. Καὶ τῶν παρ' ὑμῖν ἀποθνησκόντων αὐτοκρατόρων τὰς εἰκόνας ἐπὶ τούτῳ τῷ σχήματι ἀνατίθετε καὶ θεοὺς διὰ γραμμάτων ἐπονομάζετε.

Iustini igitur expositio tres complectitur partes, quas litteris A, B, C signavimus: prima demonstratur navigationem, agriculturam, opificum artem in signo crucis posita esse; altera in corpore humano cerni crucis signum, tertia in hoc signo niti religionem Romanorum castrensem. Tertullianus autem parte priore, quam nos α appellamus, ostendit a paganis ligneos deos colentibus adorari cruces, deinde (β) transit ad religionem Romanorum castrensem. Minucius denique postquam eodem ordine quo Tertullianus ligneorum deorum cultum (a) et religionem castrensem (b) respexit, addit (c) navem cum velis tumentibus vehentem vel expansis palmulis labentem, iugum erectum, hominem porrectis manibus Deum venerantem cruce significari.

Iustini vestigiis nec Minucius ingressus est nec Tertullianus. Nam neque eis, quae in a et α leguntur, similia apud Iustinum exstant, neque eis, quae in A et B tradita sunt, similia habet Tertullianus aut Minucius, nisi quod hic dicit in navi signum crucis cerni, quod, quoniam apud alios scriptores ecclesiasticos similiter docetur,[1]) parum habet auctoritatis ad Minucii auctorem investigandum; neque Minuciani hominis porrectis manibus Deum adorantis ulla ab Iustino ratio habita est. Itaque restat sola religionis castrensis mentio (in b et β), quae in C redit; verum cantabra (sic b et β) omisit Iustinus, quod genus signorum praeter Minucium et Tertullianum nulli scriptores Latini aut Graeci in simili argumento commemoraverunt.

Nec vero Minucius pendet e Tertulliano, quippe qui nec navem

[1]) Vide Clem. Alex. Protr. 12, 118 I p. 119, 8 Dind. et Pott. adn.; I. Gronovius M. Min. Fel. Oct. Lugd. Bat. 1709 p. 304.

nec iugum neque hominem adorantem respexerit, aut Tertullianus e Minucio, siquidem eis Tertulliani verbis, quibus de imaginum suggestu agitur, apud Minucium nihil respondet. Quae verba comparanda esse cum his verbis Iustini: *τὰς εἰκόνας ἐπὶ τούτῳ τῷ σχήματι ἀνατίθετε* (p. 62) Schwenkius oblitus est.

Ergo etiam his locis Minucius et Tertullianus presserunt vestigia apologetae illius Latini, qui aut Iustinum secutus erat aut eum scriptorem, a quo Iustinus locum illum sumpsit. Nam Iustinum vetustiorum auctorum libros in rem suam convertisse viri docti omnes consentiunt.

Iam hi loci inter se conferendi sunt:

Iust.	Min.
Apol. I 4 p. 14, 6: *Καὶ γὰρ τοὺς κατηγορουμένους ἐφ' ὑμῶν πάντας πρὶν ἐλεγχθῆναι οὐ τιμωρεῖτε, ἐφ ἡμῶν δὲ τὸ ὄνομα ὡς ἔλεγχον λαμβάνετε . . . Καὶ πάλιν ἐὰν μέν τις τῶν κατηγορουμένων ἔξαρνος γένηται τῇ φωνῇ μὴ εἶναι φήσας,[1]) ἀφίετε αὐτὸν ὡς μηδὲν ἐλέγχειν ἔχοντες ἁμαρτάνοντα, ἐὰν δέ τις ὁμολογήσῃ εἶναι, διὰ τὴν ὁμολογίαν κολάζετε.*	28, 3. 4: Nos tamen cum *sacrilegos* aliquos et *incestos, parricidas* etiam defendendos et tuendos suscipiebamus, hos nec audiendos in totum putabamus, nonnumquam etiam miserantes eorum crudelius saeviebamus, ut torqueremus confitentes ad negandum, videlicet ne perirent, exercentes in his perversam quaestionem, non quae *verum* erueret, sed quae mendacium cogeret. et si qui infirmior malo pressus et victus Christianum se negasset, favebamus ei, quasi eierato nomine iam omnia facta sua illa negatione *purgaret.*

Quibuscum componenda sunt haec verba Tertulliani:

Apol. 2 p. 61, 25: Sed Christianis solis nihil permittitur loqui quod causam *purget,* quod *veritatem* defendat, quod iudicem non faciat iniustum, sed illud solum exspectatur, quod odio publico necessarium est, confessio nominis, non examinatio criminis: quando, si de aliquo nocente cognoscatis, non statim confesso eo nomen *homicidae vel sacrilegi vel incesti* vel publici hostis, ut de nostris elogiis loquar, contenti sitis ad pronuntiandum, nisi et consequentia exigatis, qualitatem facti, numerum, locum, modum,

[1]) sc. *Χριστιανός.*

tempus, conscios, socios . . . p. 65, 11: Ideo torquemur confitentes et punimur perseverantes et absolvimur negantes, quia nominis proelium est.

Num Minucius Iustinum exscripserit, valde dubium est, quoniam de locis communibus agitur nec dissimiliter atque Iustinus Minucius Tertullianus, patres qui vocantur plerique demonstraverunt, quam iniuste pagani in Christianos animadvertissent. Satis erit lectorem revocavisse ad Tat. 27 in.; Athenag. Suppl. 1. 2; Cypr. ad Dem. 13. Itaque ne Tertullianum quidem ex Iustino pendere arbitremur oportet, quamquam aliis locis primorum Apologetici capitum Iustini apologiam utramque eum adhibuisse exploratum est: vide indicem nostrum p. 59 adn. 2. Attamen maior est similitudo, quae inter Minucium et Tertullianum intercedit, quam quae casu facta esse possit, cum praesertim Octavii caput 28 et extremum caput 27 aliis locis mirum quantum cum primis Apologetici capitibus congruant: cf. Oct. 27, 7; Apol. 7 p. 73, 11. — Oct. 27, 8; Apol. 1 p. 59, 13 sqq.; p. 60, 3 sq. — Oct. 28, 2; Apol. 7 p. 73, 15. — Oct. 28, 2; Apol. 7 in. — Oct. 28, 2; Apol. 1 p. 61, 11 sq. (ad nat. I 1 p. 154, 15). — Oct. 28, 3; Apol. 7 p. 73, 4 sq. — Oct. 28, 6 (de fama);[1]) Apol. 7 p. 74, 1 sqq. (ad nat. I 7 in.). Nec tamen ideo credemus Tertul-

[1]) Hoc loco Octavius defendit Christianos adversus illos, qui 'incesta stupra' eos admittere, 'impiare sacra', 'infantes immolare' dicant, his usus verbis: 'his enim et huiusmodi fabulis idem daemones ad execrationis horrorem imperitorum aures adversus nos referserant. nec tamen mirum, quoniam fama, quae semper insparsis mendaciis alitur, ostensa veritate consumitur. sic est negotium daemonum; ab ipsis enim rumor falsus et seritur et fovetur. Respicit autem Christianus ad haec verba Caecilii pagani (9, 3): 'nec de ipsis (sc. Christianis), nisi subsisteret veritas, maxime nefaria et honore praefanda sagax fama loqueretur'. Quare Ebertus (l. c. p. 377) censuit Tertullianum Caecilii verbis non inspectis Octavii oratione motum esse, ut Apol. 7 p. 74, 1 sqq. de famae natura pluribus dissereret ('Natura famae omnibus nota est. Vestrum est: Fama malum qua non aliud velocius ullum e. q. s.'). Quod argumentum probabile esse Hartelius (l. c. p. 365) iure negavit. Ceterum famam Christianis valde nocere omnes apologetae monent: cf. e. g. Athenag. Suppl. 2 p. 10, 7; 14, 9. 12 ed. Otto corp. apol. Christ. saec. II vol. VII (Ien. 1857). — Neque Ebertum non fugit eiusdem Apologetici capitis initium cum Caecilii oratione (9, 6. 7) congruere:

Min.	Tert.
Et de convivio notum est; passim omnes locuntur, id etiam Cirtensis nostri testatur oratio. ad epulas sollemni die coeunt cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines et omnis aetatis. illic post multas epulas, ubi convivium caluit et incestae libidinis ebriatis fervor exarsit, canis, qui candelabro nexus est, iactu offulae ultra spatium lineae, qua vinctus est, ad impetum et saltum provocatur. sic everso et extincto conscio lumine impudentibus tenebris nexus infandae cupiditatis involvunt per incertum sortis.	Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii et pabulo inde, et post convivium incesto, quod eversores luminum canes, lenones scilicet, tenebrarum et libidinum impiarum inverecundiam procurent.

(F. Oehlerus scripsit: 'lenones scilicet tenebrarum, libidinum impiarum in verecundiam procurent'. Nos codicis Agobardini lectionem haud imbrobante A. Reifferscheidio retinuimus).

lianum Minucii vestigia pressisse aut Minucium Tertulliani, sed utrumque apologeta illo Latino usum esse; quem hic auctorem secutus sit, nescimus.

Neque magis Iustini (Apol. I 9) de deorum simulacris verba exscripserunt Minucius Oct. 23, 9 sqq.; 24, 1 sq. et Tertullianus Apol. 12 (cf. Reckium l. c. p. 93 sqq.) aut Minucio intercedente Tertullianus aut hoc intercedente ille. Nam non tantum Tertullianus et Minucius multo copiosius disputant quam Iustinus, veluti Oct. 24 et extremo capiti Tertullianeo apud Iustinum nihil respondet, sed etiam similiter ac Iustinus de deorum simulacris permulti scriptores ecclesiastici disserunt: Ps.-Melito Apol. 2. 3. 7. 11 (ed. Otto corp. apol. Christ. saec. II vol. IX Ien. 1872 p. 423); Theophil. ad Autol. I 1; II 2; Ps.-Iust. Ep. ad Diogn. 2; Clem. Alex. Protr. 4, 51. 52. 56; Arnob. VI 14 sqq.;[1]) nec dissimiliter Seneca, quem 'pluribus et amarioribus' in superstitiosos invectum et ob id a Romanis reprehensum esse Tertullianus l. c. testis est, in libello de superstitione videtur disputavisse: v. Aug. C. D. VI 10 I² p. 267,

Sed ne hic quidem Tertullianus Octavium inspexit. At Minucius auctorem suum nominavit, Frontonem scilicet Cirtensem (cf. Min. 31, 2), ita ut huius verba Minucio intercedente ad Tertullianum manavisse videantur. Audio; verum vehementer dubitandum est, num Minucii verba 'ad epulas sollemni die coeunt e. q. s.' ex illa Frontonis oratione petita sint. Primum enim Caecilius ipsa Frontonis verba allaturum se esse plane et dilucide professus non est. Deinde Caecilii oratio post verba 'id etiam Cirtensis nostri testatur oratio' eodem tenore fluit, quo ea capitis illius parte, quae antecedit; ubi Frontonem Minucii auctorem fuisse nihil testimonio est. Denique agitur de crimine, de quo 'passim omnes loqui' ipse Minucius dicit, quod omnes ad unum apologetas impugnavisse constat: cf. Iust. Apol. I 26 l. c. p. 82, 10 sqq.; Dial. c. Tryph. 10.

[1]) cf. etiam Cels. apud Orig. c. Cels. I 5.

12 sqq. Domb. Ceterum Reckius, postquam Tertullianum loco Minuciano usum esse frustra conatus est demonstrare, ipse concessit (l. c. p. 95, 22) utrumque scriptorem eidem auctori eadem debere potuisse. Hic auctor, quem apologetam illum Latinum fuisse statuo, nescio an Senecae de superstitione dialogum in rem suam converterit; quem libellum alibi ab eo adhibitum esse supra (p. 37 sqq.) exposui.

Quoniam nullo eorum, quos tractavimus, locorum Iustini thesauros adisse videtur Minucius, vix quisquam Schwenkio assentiatur Oct. 32, 3 ad Iust. Apol. I 10 in. referendum esse opinanti, cum praesertim in litteris divinis et in libris scriptorum ecclesiasticorum ac profanorum similia persaepe occurrant: Act. 17, 25; I Tim. 1, 5; Tat. 4; Athenag. Suppl. 13; Ps.-Iust. Ep. ad Diogn. 3. 10; Lact. I. D. V 19, 30; VI 24, 29; 25, 7; Or. Sibyll. VIII 390 sqq.; Cic. de nat. deor. II 28, 71; Sen. apud Lact. I. D. VI 25, 3. Itaque Tertullianus similibus locis (Apol. 30; ad Scapul. 2. 4) neque ex Iustino neque e Minucio pendere existimandus est.

Nec probabilius Schwenkius contendit Minucium 31, 4 (30, 2) de liberis expositis et de incesto apud paganos egisse ad exemplum Iustini Apol. I 27. Quod si fecisset Minucius, multo propius ad Iustinum accessurum eum esse persuasum mihi est. Deinde alii similiter disputaverunt: Athenag. Suppl. 35; Clem. Alex. Paed. III 3, 21; Lact. I. D. VI 20, 21 sqq. Itaque Tertulliani similes loci (Apol. 9; ad nat. I 16) neque ad Iustinum neque ad Minucium referendi sunt. — Neque plus iis locis efficitur, ubi Iustinus (Apol. I 15 l. c. p. 48; I 29), Minucius (31, 5), Tertullianus (Apol. 9) multos Christianos pudicitiam in vita servare praedicant: cf. Orig. c. Cels. I 26 et imprimis Athenag. Suppl. 33. — Idem dicendum est de Iust. Apol. I 44 p. 122 E sqq.; Min. 34, 5 sqq.; Tert. Apol. 47: cf. Ps.-Iust. coh. ad gent. 14 sqq.; Clem. Alex. Strom. I 22, 150. — Nec denique Schwenkio adstipulor Minucium, ubi de fato agit (36, 1 sq.), ex Iustino (Apol. I 43 sq.) opinanti pendere; nam neque verbis accurate consentiunt et de fato libentissime apologetae disputaverunt: velut Augustinus (C. D. V 8. 9) et Tertullianus, quem librum de fato scripsisse accepimus. Quod vero Octavius argumentationem suam interrumpit 'alias et uberius et plenius' de fato expositurum se esse pollicitus, hoc non ad Iustini disputationem referendum est, quae multo longior est quam Minuciana, sed ad Cic. de div. II 7, 19.

§ 2.

Inter eos locos, qui cum Tatiano communes sunt Minucio et Tertulliano, hi soli, quibus de resurrectione agitur, digni sunt, qui perscribantur: Tat. 6 p. 28 (ed. Otto corp. apol. Christ. saec. II vol. VI Ien. 1851); Min. 34, 10; Tert. Apol. 48 p. 147, 1 sqq.:

Tat.	Min.	Tert.
Ὥσπερ γὰρ οὐκ ὢν πρὶν ἢ γενέσθαι τίς ἦμην οὐκ ἐγίνωσκον, μόνον δὲ ἐν ὑποστάσει τῆς σαρκικῆς ὕλης ὑπῆρχον, γεγονὼς δὲ ὁ μὴ πάλαι διὰ τῆς γενέσεως τὸ εἶναι πεπίστευκα· τὸν αὐτὸν τρόπον ὁ γενόμενος καὶ διὰ θανάτου μηκέτι ὤν, αὖθίς τε μηκέθ' ὁρώμενος, ἔσομαι πάλιν, ὥσπερ μὴ πάλαι γεγονὼς εἶτα γεννηθείς. *Κἂν πῦρ ἐξαφανίσῃ μου τὸ σαρκίον, ἐξατμισθεῖσαν τὴν ὕλην ὁ κόσμος κεχώρηκεν· κἂν ἐν ποταμοῖς, κἂν ἐν θαλάτταις ἐκδαπανηθῶ, κἂν ὑπὸ θηρίων διασπασθῶ, ταμείοις ἐναπόκειμαι πλουσίου δεσπότου.*	Ceterum quis tam stultus aut brutus est, ut audeat repugnare hominem a Deo, ut primum potuisse fingi, ita posse denuo reformari? nihil esse post obitum, et ante ortum nihil fuisse? sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari? *Porro difficilius est, id quod non sit incipere, quam id quod fuerit iterare.* Tu perire et Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? corpus omne sive arescit in pulverem sive in umorem solvitur vel in cinerem comprimitur vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodi reservatur.	Considera temet ipsum, o homo, et fidem rei invenies. Recogita, quid fueris antequam esses. Utique nihil. Meminisses enim, si quid fuisses. Qui ergo nihil fueras priusquam esses, idem nihil factus cum esse desieris, cur non possis rursus esse de nihilo eiusdem ipsius auctoris voluntate qui te voluit esse de nihilo? Quid novi tibi eveniet? Qui non eras, factus es; cum iterum non eris fies. Redde si potes rationem qua factus es, et tunc require qua fies. *Et tamen facilius utique fies quod fuisti aliquando, quia aeque non difficile factus es quod nunquam fuisti aliquando.*

Consentientibus igitur Tatiano Minucio Tertulliano Deus hominem, cum ex nihilo fecerit, post mortem rursus nihil factum eodem modo reficere potest. Sed quod et Tertullianus et Minu-

cius dicunt hominem facilius a mortuis excitari quam fingi, qui numquam antea fuerit, ei apud Tatianum nihil respondet. Neque ei Tatiani loco, qui orditur a verbis *Κἂν πῦρ*, similia apud Tertullianum leguntur; Minucius autem, etsi similia scripsit, tamen non ad verbum cum Tatiano congruit. Adde quod similiter ac Tatianus haud pauci scriptores ecclesiastici de resurrectione verba fecerunt: Iust. Apol. I 19. 10; Athenag. de res. mort. 3. 4. 8. 10; Theophil. ad Autol. I 8; Ps.-Iust. de resurr. 5; atque vere ait Schwenkius certe multo saepius ab apologetis Christianis hanc rem tractatam esse, quam nos litteris acceperimus.

Valde igitur dubium est, num Tatianum secuti sint Tertullianus et Minucius. Cum vero neque eis Minucii verbis, quae cum Tatiani *Κἂν πῦρ* e. q. s. composuimus, apud Tertullianum quicquam respondeat, et Tertullianus ea disputationis parte, quae concluditur verbis 'et tunc require qua fies' cum Tatiani oratione magis congruat quam cum Minucii, veri simile est et Tertullianum et Minucium sua debere apologetae illi Latino, quem aut Tatiani vestigia pressisse statuerim aut alius scriptoris ecclesiastici, qui eadem fere ratione ac Tatianus disseruerit.

Ne aliis quidem locis comprobari Minucium Tatiani oratione ad Graecos usum esse Schwenkius l. c. p. 278 docuit.[1]) Reliquis autem locis, quibus Tertullianus et Tatianus inter se congruunt, unum eis fontem praesto fuisse, quod Harnackius (l. c. p. 220) primus vidit et demonstrare coepit, alio loco copiosius exponam.[2])

§ 3.

Transeo nunc ad Theophilum, quocum convenit Minucio et Tertulliano his locis:

---

[1]) Praeter eos locos, quos Schwenkius scite elegit, Harnackius l. c. p. 218 adn. 269 viginti fere Minucii locos congessit, quos partim ad alios apologetas Graecos, partim ad Ciceronis libros de natura deorum, partim ad Senecam referre licet.

[2]) Imprimis Apologetici capite 19 et Tatiani capitibus 31. 36 sqq. accurate examinatis et cum similibus locis aliorum scriptorum collatis (v. e. g. Ps.-Iust. coh. ad gent. 9) persuasi mihi de communi Tatiani et Tertulliani auctore cogitandum esse. — Ii Tertulliani loci, quos Harnackius l. c. p. 221 adn. 277 attulit, omnes Iustino tribui posse mihi videntur. — De Apol. 50; ad Mart. 4; Tat. 3. 19 supra verba fecimus (p. 31 sqq.).

Min. 34, 11.

Sol demergit et nascitur, astra labuntur et redeunt,

flores occidunt et *revivescunt,* post senium arbusta frondescunt,

semina non nisi corrupta revivescunt:

ita corpus in sepulcro, ut arbores in hiberno: occultant virorem ariditate mentita. quid festinas, ut cruda adhuc hieme revivescat et redeat? exspectandum nobis etiam corporis ver est.

Tert. Apol. 48 p. 147, 14 sqq.

Lux cotidie *interfecta resplendet* et tenebrae pari vice decedendo succedunt, *sidera defuncta vivescunt,* tempora ubi finiuntur, incipiunt,

fructus consummantur et redeunt,

certe *semina non nisi corrupta* et dissoluta fecundius *surgunt,*

omnia pereundo servantur, omnia de interitu reformantur.

Theophili verba (ad Autol. I 13) sunt haec:

Εἰ γὰρ βούλει, κατανόησον τὴν τῶν καιρῶν καὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν τελευτήν, πῶς καὶ αὐτὰ τελευτᾷ καὶ ἀνίσταται.

Τί δὲ καὶ οὐχὶ ἡ τῶν σπερμάτων καὶ καρπῶν γινομένη ἐξανάστασις, καὶ τοῦτο εἰς τὴν χρῆσιν τῶν ἀνθρώπων; — Εἰ γὰρ τύχοι εἰπεῖν, κόκκος σίτου ἢ τῶν λοιπῶν σπερμάτων, ἐπὰν βληθῇ εἰς τὴν γῆν, πρῶτον ἀποθνήσκει καὶ λύεται, εἶτα ἐγείρεται καὶ γίνεται στάχυς. — Ἡ δὲ τῶν δένδρων καὶ ἀκροδρύων φύσις, πῶς οὐχὶ κατὰ πρόσταγμα Θεοῦ ἐξ ἀφανοῦς καὶ ἀοράτου κατὰ καιροὺς προφέρουσιν τοὺς καρπούς; Ἔτι μὴν ἐνίοτε καὶ στρουθίον ἢ τῶν λοιπῶν πετεινῶν, καταπιὸν σπέρμα μηλέας ἢ συκῆς ἤ τινος ἑτέρου, ἦλθεν ἐπί τινα λόφον πετρώδη ἢ τάφον καὶ ἀφώδευσεν, κἀκεῖνο δραξάμενον ἀνέφυ δένδρον, τό ποτε καταποθὲν καὶ διὰ τοσαύτης θερμασίας διελθόν . . .

Εἰ δὲ καὶ θαυμασιώτερον θέαμα θέλεις θεάσασθαι γινόμενον πρὸς ἀπόδειξιν ἀναστάσεως, οὐ μόνον τῶν ἐπιγείων πραγμάτων ἀλλὰ καὶ τῶν ἐν οὐρανῷ, κατανόησον τὴν ἀνάστασιν τῆς σελήνης τὴν κατὰ μῆνα γενομένην, πῶς φθίνει ἀποθνήσκει ἀνίσταται πάλιν.

Ἔτι ἄκουσον καὶ ἐν σοὶ αὐτῷ ἔργον ἀναστάσεως γενόμενον, κἂν ἀγνοεῖς, ὦ ἄνθρωπε. Ἴσως γάρ ποτε νόσῳ περιπεσὼν ἀπώλεσάς σου τὰς σάρκας καὶ τὴν ἰσχὺν καὶ τὸ εἶδος, ἐλέους δὲ τυχὼν παρὰ Θεοῦ καὶ ἰάσεως πάλιν ἀπέλαβές σου τὸ σῶμα καὶ τὸ εἶδος καὶ τὴν ἰσχύν . . .

Theophilus igitur, ut resurrectionem mortuorum fore demonstret, primum respicit temporum et dierum et noctium interitus atque ortus. Deinde transit ad semina et fructus ita, ut primum de seminibus, deinde de arboribus et fructibus verba faciat. Tum

terrestrium rerum ratione habita revocat lectores ad res caelestes lunae exemplum afferens. Postremo docet ipsum corpus humanum resurrectionis testimonio esse.

Verbis Minucianis cum Theophili loco comparatis apparet in prima Minucii disputationis parte ne unum quidem verbum primae partis eius quam Theophilus instituit argumentationis agnosci. Item floribus et arbustis, quorum apud Minucium mentio fit, caret Theophilus. Ea autem parte, qua de seminibus agitur, si Minucius Theophilum secutus esset, pro *ἀποθνήσκει*, quod verbum referendum est ad I Cor. 15, 36,[1]) non scripsisset 'corrupta', quod spectat ad I Cor. 15, 42.[2]) Iam vero considerantibus Minucium de arboribus longe secus verba fecisse ac Theophilum, deinde nec fructus nec lunam ab illo commemorata esse, extremae denique Theophilinae expositionis parti in Octavio nihil respondere, adstipulandum videtur Schwenkio Theophili locum a Minucio usurpatum non esse censenti.

Nec magis Tertullianus Theophilo sua debere existimandus est. Prima enim Theophilinae disputationis parte praeter vocabula *καιρῶν* et *τελευτᾷ*[3]) nihil continetur, quod cum prima loci Tertulliani parte ad verbum congruat. Fructuum autem quod Tertullianus mentionem fecit, ex hoc vix conicias Theophili verba ante oculos obversata ei esse. Ac ne ea quidem Tertulliani verba, quae ad semina pertinent, ad Theophilum rettulerim, quoniam Tertullianus quoque *ἀποθνήσκει* illud participio 'corrupta', non 'mortua' usurpato Latine reddidit. Denique Tertullianus arboribus et luna omissis extremae loci Theophilini parti simile nihil scripsit.

Credo igitur nec Minucium nec Tertullianum Theophili vestigia pressisse, cum praesertim 'argumentum resurrectionis ex analogiis naturae petitum magna auctoritate floruerit apud veteres patres': cf. Clem. Rom. ad Cor. I 24; Theophil. ad Autol. II 14 sq.; Tert. de resurr. 12; Ambros. de exc. fratr. sui Sat. II 54 sqq. — Sed Theophili locus docet Tertullianum et Minucium etiam ea, quae his, de quibus agitur, locis leguntur, ex uno fonte hausisse. Quid enim? Quoniam Minucii 'flores' et 'arbusta' et 'arbores', quas Theophilus quoque commemoravit, apud Tertullianum frustra quae-

[1]) *Ἄφρον, σὺ ὃ σπείρεις, οὐ ζωοποιεῖται, ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ.* cf. Ioann. 12, 24.

[2]) *Οὕτω καὶ ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν. σπείρεται ἐν φθορᾷ, ἐγείρεται ἐν ἀφθαρσίᾳ.*

[3]) Tert. 'tempora ubi finiuntur, incipiunt'.

siveris, consentaneum est Octavii locum ex Apologetico non fluxisse. Nec magis Minucii auctor fuit Tertullianus, siquidem huius verbis 'tempora ubi finiuntur, incipiunt', quae cum Theophili verbis quibusdam componenda esse supra diximus, in Octavio nihil respondet. Iam vero quam infeliciter Ebertus (l. c. p. 375)[1]) ratiocinatus sit Tertullianum haec verba: 'semina non nisi corrupta et dissoluta fecundius surgunt' Minucio auctore scripsisse,[2]) apertum est. Apud Minucium enim desunt verba 'dissoluta' et 'fecundius'; contra ad Theophili verbum *λύεται* spectat participium illud 'dissoluta'; additamentum autem 'fecundius' nescio an conferendum sit cum verbis *καὶ γίνεται στάχυς*.

Itaque Minucius et Tertullianus secuti sunt apologetam illum quem statuimus Latinum, qui aut Theophili verba aut locum Theophilino similem in usum suum converterat. Ac ne alio quidem loco ullo Minucium Theophili vestigia pressisse Schwenkius tam luculenter exposuit, ut non habeam, quae addam. Nec Tertullianum Theophili imitatorem fuisse ostendi potest.[3]) —

Apud Athenagoram[4]) et in Clementis Alexandrini

[1]) cf. Hartel. l. c. p. 364.

[2]) Ebertus censet haec verba inter ea esse, 'in welchen die einfache, klare Darstellung des Minucius durch die dem Tertullian eigene Rhetorik, zumal bei dem sehr natürlichen Streben desselben, grade da wenigstens im Ausdruck originell zu sein, in das grade Gegentheil verkehrt wird'.

[3]) 'Keine der Parallelen ist so schlagend, dass die Annahme einer Benutzung geboten ist' (Harnack. l. c. p. 297 adn. 488).

[4]) Athenagorae Supplicationem pro Christianis Minucium in usum suum convertisse iniuria Ebertus Allg. Gesch. d. Litt. d. Mittelalt. I 25, 3 et Loeschius Jahrb. f. prot. Theol. VIII 1882 p. 168 contenderunt, iure Schwenkius l. c. p. 279 sqq. et K. I. Neumannus Gött. Gel.-Anz. 1884 p. 358 sqq. negaverunt. Etiam Harnackius l. c. p. 181 adn. 185 confessus est nullo loco certo demonstrari Minucium ex Athenagora pendere. Omnium copiosissime hanc quaestionem persecutus est Schwenkius, cuius disputationi pauca addenda mihi sunt. Quod pertinet ad Min. 21, 10 et Athenag. Suppl. 23, 28 (servavi hic Schwenkii exemplum secutus numeros adnotationum editionis ab Ottone curatae), Schwenkius ad p. 285 commentationis suae lectorem revocare debuit. — De Oct. 23 (cf. Athenag. Suppl. 21; Schwenk. l. c. p. 280) satis superque a nobis disputatum est (p. 53 sqq.). Athenagoras l. c. et Ps.-Iustinus coh. ad gent. 2 inter se multo magis congruunt, quam cum Minucio, neque hic habet versus Homericos, sicut illi. Licet igitur Athenagoras et Ps.-Iustinus unum eundemque secuti sint auctorem, Minucium illo loco ex eodem auctore pendere, quod Schwenkio visum est (cf. K. I. Neumannum l. c.), equidem nego. — Hos locos a Loeschio commemoratos Schwenkius non respexit: Min. 30, 6; Athenag. Suppl. 35, 8. 12. — Min. 38, 6; Athenag.

Protreptico[1]) nullum locum inveni, qui ad infirmandam aut confirmandam sententiam a nobis propositam quicquam conferat. —

Inter eos igitur locos, de quibus altero capite diximus, plurimum ponderis tribuendum est iis, quibus de cruce, iisque, quibus de resurrectione mortuorum agitur. Nam cum aliis tum his locis probavisse me confido apologetam illum Latinum, cuius memoriam

Suppl. 11, 19; 33, 7. — Min. 11, 4; Athenag. de res. mort. 4, 1; 8, 12. Sed ne ex his quidem locis quicquam efficitur. Cum primo loco cf. Theophil. ad Autol. III 15; Tert. Apol. 38; Lact. I. D. VI 20, 25, alios locos. Alteri loco (Min. 38, 6) similia leguntur Iust. Apol. I 16; Tat. 26; Ps.-Iust. coh. ad gent. 35. Tertio loco Minucius multo propius accedit ad Sen. de rem. fort. V 1. 2 (cf. Tat. 6). — Ac ne hi quidem loci, quos neque Schwenkius neque Loeschius commemoraverunt, documento sunt Minucium ex Athenagora pendere: Min. 31, 1; Athenag. Suppl. 31, 1 (cf. Iust. Apol. I 26; Theophil. ad Autol. III 4). — Min. 9, 2; Athenag. Suppl. 32, 15 (cf. Theophil. ad Autol. III 4; Tert. Apol. 39 p. 130, 17). — Min. 22, 1; Athenag. Suppl. 32, 1 (Minucius hic multo uberius disserit quam Athenagoras). — Min. 31, 5; Athenag. Suppl. 33, 2 (cf. Iust. Apol. I 29). — Min. 31, 5; Athenag. Suppl. 33, 3 (cf. Iust. Apol. I 15 l. c. p. 48, 3 sqq.; Tert. Apol. 9 p. 79, 19). — Min. 30, 2; Athenag. Suppl. 35, 14 sqq. (Iust. Apol. I 27; Tert. Apol. 9 p. 77, 10 sqq.; Lact. I. D. VI 20, 18 sqq.). Nusquam sane Minucius cum Athenagora adeo ad verbum congruit, ut illum ex hoc pendere efficiatur, neque umquam apud alios apologetas similes loci desunt. — Ne Tertullianum quidem Athenagorae Supplicationem in rem suam convertisse persuasum mihi est: cf. Harnack. l. c. p. 181 adn. 185.

[1]) Omnium locorum, quibus inter Clementem et Minucium similitudo quaedam intercedit, maxime hi inter se congruunt: Protr. 5. 6; Oct. 19. Quo capite Minucium Cicerone (de nat. deor. I 10, 25 sqq.) usum esse inter omnes constat. Quam vere autem Dielsius Dox. Graec. p. 129 sqq. Clementem nec Ciceronis nec Minucii vestigiis ingressum esse iudicaverit, Minucii Clementis Ciceronis locis accurate inter se comparatis elucet. — Reliqui Clementis loci, quos cum similibus locis Minucianis comparare licet, hi sunt: Protr. 2, 12. 19. 24; Oct. 22, 1 (cf. hui. comm. p. 36 sq.). — Protr. 2, 24; Oct. 8, 2 (cf. Cic. de nat. deor. I 1, 2). — Protr. 2. 4 (v. hui. comm. p. 56 adn. 3); Oct. 23, de quo loco inde a p. 53 copiose disputavimus. — Protr. 2, 37; Oct. 21, 11 (cf. Sen. apud Lact. I. D. I 16, 10; Tat. 21). — Protr. 2, 37 inf.; Oct. 21, 8 (cf. Athenag. Suppl. 30; Theophil. ad Autol. I 10; Cels. apud Orig. c. Cels. III 43; hui. comm. p. 52). — Protr. 4, 51; Min. 23, 9 (cf. hui. comm. p. 65). Protr. 4, 52; Min. 24, 1 (Tert. Apol. 12; Arnob. VI 16; Lact. I. D. II 4, 2). — Protr. 12, 118; Min. 20, 3 (cf. Cic. de nat. deor. II 2, 5). Quibus ex locis nullus documento est Minucium Protreptico aut Clementem Octavio usum esse. Nonnullis locis, quibus quidem Cicero, Minucius, Clemens inter se congruunt, ex eo orta est inter tres scriptores similitudo, quod Minucius Ciceronis vestigia pressit, Cicero et Clemens ab eodem philosopho Graeco sua sumpserunt; cf. supra p. 56 adn. 8.

resuscitavi, scriptorum quorundam ecclesiasticorum Graecorum vestigiis ingressum esse. Auctores illi Christiani qui fuerint, nescimus.

CAPUT TERTIUM.

§ 1.

Quamquam hominibus doctis plerisque Tertulliani Apologeticum, qui liber anno fere ducentesimo attribui solet, post Minucii Octavium videtur compositum esse, tamen demonstrari potest Minucii libellum non tantum eodem tempore, quo Apologeticum, sed etiam postea scribi potuisse. Atque cum permultis modis conati sint eruere, qua aetate Minucius viguerit, eas opiniones, quas a nobis allatas non esse inveneris, aut ab aliis iam refutatas esse scito aut indignas, quarum mentio fiat.

Primum igitur diluenda est Th. Keimii[1]) sententia Minucium usum esse Celsi libro, qui inscribitur *ἀληθὴς λόγος*, quem anno 178 p. C. scriptum esse censet Keimius. Hic enim et ii, qui ab huius partibus stant, velut B. Dombartus (l. c. praef. p. IX) et G. Loeschius (l. c. p. 169), opinantur Minucium ea crimina, quae Caecilius paganus Christianis obicit, ex Celsi libro petivisse et Octavii Christiani oratione Celsum paganum impugnare voluisse. Quam opinionem Schwenkius (l. c. p. 292) gravibus argumentis coepit quidem refutare, nec tamen comparavit inter se similes locos Octavii et Celsi libri, cuius reliquias Origenis contra Celsum libris contineri notum est. Ex ea autem quam ipsi instituemus comparatione elucebit illos locos paene omnes inter communes, qui vocantur, numerandos esse neque argui posse alterum scriptorem ex altero pendere. Ac ne eorum quidem, quos Keimius l. c. p. 157 sq. enumeravit, locorum ullo necessario sequitur Minucium Celsi vestigia pressisse:

Cels. apud Orig. c. Cels. I 1.	Min. 10, 2.
Πρῶτον τῷ Κέλσῳ κεφάλαιόν ἐστι βουλομένῳ διαβαλεῖν Χριστιανισμὸν, ὡς συνθήκας κρύβδην πρὸς ἀλλήλους ποιουμένων Χριστιανῶν παρὰ τὰ νενομισμένα,	Cur etenim occultare et abscondere quicquid illud colunt magnopere nituntur, cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint?

[1]) Celsus' wahres Wort Turici 1873 p. 151 sqq.

ὅτι τῶν συνθηκῶν αἱ μέν εἰσι φανεραί, ὅσαι κατὰ νόμους γίγνονται, αἱ δὲ ἀφανεῖς, ὅσαι παρὰ τὰ νενομισμένα συντελοῦνται.

Apud utrumque igitur de re diversa agitur. Caecilius reprehendit Christianos, quod quicquid colant, abscondant, Celsus, cuius verba Origenes non recta oratione usus reddidit, quod occulta coitio sit. Cuius occultationis similem ab utroque allatam esse causam tam consentaneum est, ut ex his locis, dummodo ne alii accedant, alterum scriptorem ex altero pendere minime efficiatur. — Nec magis hoc demonstrant Cels. apud Orig. l. c. I 4 et Min. 8, 2 ('simulatae philosophiae'). Nam cum philosophandi quodam genere Christianorum doctrina persaepe comparata est: Iust. Apol. I 60; Athenag. Suppl. 2; Tert. Apol. 46. — Cum Orig. l. c. I 5 in. et Min. 23, 12 confer Iust. Apol. I 9; hui. comm. p. 65. — Orig. l. c. I 9 Celsus Christianos credulitatis insimulat. Idem Caecilius fecit (5, 3; 8, 4; 9, 2. 3; 11, 9). Nec tamen ad verbum inter se congruunt. Praeterea ex Luc. Peregr. 13 apparet credendi temeritatem Christianis a multis adversariis obiectam esse. Itaque illud vitium in paganis reprehendunt apologetae Christiani locis innumerabilibus. — Christianorum doctrinas indoctis praecipue hominibus probari Celsus apud Orig. l. c. I 27 (III 44. 49. 50) et Caecilius 5, 4; 8, 4 non soli professi sunt: cf. Luc. Peregr. 13; Iust. Apol. II 10; Tat. 33; Athenag. Suppl. 11.

Caecilii verba multa praetereo consulto (10, 1) non referenda sunt ad Orig. l. c. II 13 (*Πολλὰ ἔχων λέγειν περὶ . . . ἐκὼν ἐκεῖνα παραλείπω*), sed ad Cic. de imp. Cn. Pompei 9, 26 (multa praetereo consulto). — Orig. l. c. II 31 (cf. Min. 9, 4) Celsus Christianos reprehendit, quod hominem sceleratum et cruci fixum divino afficiant honore. Cave tamen inde concludas hunc locum Minucio ante oculos obversatum esse; constat enim identidem paganos ad Christianos impugnandos illo argumento usos esse: cf. Luc. Peregr. 11. — Neque ex Orig. l. c. II 45 et Min. 8, 5 quicquam colligendum est. Christianos enim mortem contempsisse et sua sponte oppetivisse cum alii testes sunt tum Lucianus Peregr. 13.

Multitudinem Christianorum in dies crescentem non modo Celsus (Orig. l. c. III 10) et Caecilius (9, 1), sed omnes Christianorum adversarii aegre ferebant: cf. Tert. Apol. 1 p. 60, 16.

— Doctrinas quasdam Christianorum Celsus (Orig. l. c. III 16) *δείματα* appellavit, Caecilius (5, 6) 'vanas et formidolosas opiniones'. Sed similiter de sententiis Christianorum cum alia tum interitum mundi portendentium multos homines iudicavisse constat. — Cum Orig. l. c. III 22 in. et Min. 22, 7 conferas Cic. de nat. deor. II 24, 62; III 15, 39; Serv. ad Aen. VIII 275; Aug. C. D. IV 27; Iust. Apol. I 21; Clem. Alex. Protr. 2, 26. — Cum Orig. l. c. III 43 et Min. 21, 8 confer Athenag. Suppl. 30; Theophil. ad Autol. I 10; Clem. Alex. Protr. 2, 37; hui. comm. p. 52. — Orig. l. c. III 63 et Min. 11, 6. 7 documento non sunt alterum scriptorem ex altero pendere: cf. ad Rom. 9, 14 sqq.

Idem dicendum est de Orig. l. c. IV 3 et Min. 10, 5. Minucio certe loci quidam litterarum sacrarum ante oculos obversabantur. Iam vero confer Cic. de nat. deor. I 20, 52. 54. — Christianis persuasum fuisse diluvium aut incendium mundi imminere traditum est et apud Celsum (Orig. l. c. IV 11. 79) et apud Minucium (11, 1; 34, 1). Sed ut alter scriptor alterius vestigia presserit, minime sequitur: cf. II Petr. 3, 6 sqq., de quo loco nescio an Minucius cogitaverit.

Cum Orig. l. c. V 14 et Min. 11, 5 in. confer I Cor. 15, 12; ad Rom. 2, 9; II Thess. 1, 8 sqq. Ad hos enim similesve litterarum divinarum locos et Celsi et Minucii verba referenda esse puto.

Cum Orig. l. c. VI 65 et Min. 18, 8 sqq. conf. Melito fr. XIII; or. ad Anton. Caes. 2; Tert. Apol. 17.

Ubi Pythagoreorum *μετεμψύχωσιν* cum Christianorum resurrectione comparat Minucius (34, 6), Celsum (Orig. l. c. VII 32) secutus non est: cf. Ps.-Iust. de resurr. 10. — Nec vero hi loci: Orig. l. c. VII 53 et Min. 13, 1, documento sunt alterum scriptorem alterius auctorem fuisse.

Apud Orig. l. c. VIII 17 haec leguntur: *Μετὰ ταῦτα δὲ ὁ Κέλσος φησίν· Ἡμᾶς βωμοὺς καὶ ἀγάλματα καὶ νεὼς ἱδρύσθαι φεύγειν· ἐπεὶ τὸ πιστὸν ἡμῖν ἀφανοῦς καὶ ἀπορρήτου κοινωνίας οἴεται εἶναι σύνθημα* nec dissimiliter apud Minucium (10, 2): 'Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra?' Qualia Christianis paganos opponere solitos esse cum per se veri simillimum est tum Arnobii comprobatur testimonio.[1]) — Nec magis

[1]) VI 1: 'In hac enim consuestis parte crimen nobis maximum impietatis adfigere, quod neque aedes sacras venerationis ad officia construamus, non deorum alicuius simulacrum constituamus aut formam, non altaria fabricemus, non aras, non caesorum sanguinem animantium demus, non tura neque fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum effusionibus inferamus'.

Minucius (8, 3), cum Christianos appellaret 'homines deploratae, inlicitae ac desperatae factionis', imitatus est ipsius Celsi verba ἀποῤῥήτου κοινωνίας: cf. Tert. Apol. 38 in.; 39 inf. — Christianos ludis publicis non interesse et Celsus (Orig. l. c. VIII 21) monet et Caecilius (12, 5); verum Minucius e Celso non magis pendet quam hic ex illo: cf. Tat. 22; Athenag. Suppl. 35; Tert. Apol. 38. Nec convivia publica a solis Minucio (12, 5) et Origene (l. c. VIII 24) commemorantur: cf. Tert. Apol. 42. — Nec quicquam ex Orig. l. c. VIII 28 et Min. 30, 6 efficitur (cf. Tert. Apol. 9 p. 78, 12) aut ex Orig. l. c. VIII 45 et Min. 7, 6: cf. Cic. de nat. deor. II 3, 7 sqq. — Exstirpandos esse Christianos praeter Celsum (Orig. l. c. VIII 55) et Caecilium (9, 1) permulti pagani dixerunt. — Denique non video, cur his locis: Min. 10, 4. 12, 5. 6, 2; Orig. l. c. VIII 69 alter scriptor alterius vestigia pressisse existimandus sit: adeo ad verbum inter se non congruunt.

Plures Celsi et Minucii locos inter se comparavit Keimius, quos afferre longum est: nullo comprobatur quod Keimius voluit. Iam vero Schwenkius cum alia protulit argumenta tum haec: Celsus enim atrocia illa crimina, quorum Christiani accusabantur, vix commemoravit; contra Minucii maxime interest crimina illa propulsare. Nec vero hic ullam habuit rationem decretorum de Christi natura, quae ut dilueret et refutaret, praecipue Celsus operam dedit. Quare alterum scriptorem alterius libro usum esse confidenter negamus.

§ 2.

Primum de Minucii Felicis Octavio testimonium superest Firmiani Lactantii.[1]) Qui cum Minucium ante Tertullianum nomi-

[1]) I. D. V 1, 21 sqq.: 'Eo fit, ut sapientia et veritas idoneis praeconibus indigeat. Et si qui forte litteratorum se ad eam contulerunt, defensioni eius non suffecerunt. Ex iis, qui mihi noti sunt, Minucius Felix non ignobilis inter causidicos loci fuit. Huius liber, cui Octavio titulus est, declarat, quam idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset. Septimius quoque Tertullianus fuit omni genere litterarum peritus, sed in eloquendo parum facilis et minus comptus et multum obscurus fuit. Ergo ne hic quidem satis celebritatis invenit. Unus igitur praecipuus et clarus exstitit Cyprianus, qui et magnam sibi gloriam ex artis oratoriae professione quaesierat et admodum multa conscripsit in suo genere miranda'. — I. D. I 11, 55 Lactantius Minucii Octavium iterum commemoravit.

naret, num temporum ordinem servare voluerit, dubium est (cf. Reck. l. c. p. 66 sq.), et Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum,[1]) quo temporum ordinem servare studuit, Minucii mentionem fecit post Tertullianum; quamquam constat Hieronymum haud paucos errores admisisse.[2]) Reliqui autem Hieronymi loci, qui ad Minucium pertinent,[3]) et Eucherii Lugdunensis ecclesiae presbyteri testimonium[4]) propterea nihil valent, quod ordinem temporum his locis neglectum esse apertum est.

Multo maioris ponderis illud est, quod Cyprianus cum in aliis libris Minucii Octavio usus est, tum in eo, qui inscribitur 'Quod idola dii non sint'. Nam Schultzii sententiam, qui hunc libellum Cypriano assignandum esse negavit, Schwenkius satis refutavit.[5])

[1]) 58 ed. Herd.: 'Minucius Felix, Romae insignis causidicus, scripsit dialogum Christiani et ethnici disputantis, qui Octavius inscribitur. Sed et alius sub nomine eius fertur 'de fato' vel 'contra mathematicos', qui, cum sit et ipse diserti hominis, non mihi videtur cum superioris libri stilo convenire. Meminit huius Minucii et Lactantius in libris suis'. (De illo libro suppositicio v. Teuffel. Röm. Litt. Gesch.[4] § 368, 1). — Inter Tertullianum et Minucium Hieronymus l. c. nominavit Origenem, Ammonium, Ambrosium, Tryphonem 'Origenis auditorem', post Minucium Gaium, qui 'sub Antonino, Severi filio, disputationem adversus Proculum, Montani sectatorem . . . habuit'.

[2]) Vide E. Muralt. ed. Min. Fel. Turici 1836 p. 13; Ebert. Allg. Gesch. d. Litt. d. Mittelalt. I 197.

[3]) Ep. 30 Apol. ad Pamm. pro libr. adv. Iovin. ed. Ben. IV 2 p. 236: 'Taceo de Latinis scriptoribus Tertulliano, Cypriano, Minucio, Victorino, Lactantio, Hilario'. — Ep. 35 ad Heliod. epitaph. Nepot. l. c. IV 2 p. 271: 'Atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando, eruditissimus habebatur. Illud, aiebat, Tertulliani; istud Cypriani; hoc Lactantii; illud Hilarii est. Sic Minucius Felix; ita Victorinus; in hunc modum est locutus Arnobius'. — Ep. 83 ad Magnum l. c. IV 2 p. 656: 'Veniam ad Latinos. Quid Tertulliano eruditius, quid acutius? Apologeticus eius et contra Gentes libri cunctam saeculi obtinent disciplinam. Minucius Felix causidicus Romani fori in libro, cui titulus Octavius est, et in altero contra mathematicos (si tamen inscriptio non mentitur auctorem) quid gentilium scripturarum dimisit intactum? Septem libros adversus Gentes Arnobius edidit; totidemque discipulus eius Lactantius, qui de ira quoque et opificio Dei duo volumina condidit . . . Victorino Martyri . . . Cyprianus . . . Hilarius . . . Iuvencus . . .'

[4]) ad Valerian. ed. Des. Erasm. Basil. 1531 p. 501: 'Et quando clarissimos facundia. Firmianum, Minucium, Cyprianum, Hilarium, Ioannem Ambrosium ex illo volumine numerositatis evolvam?'

[5]) Nuperrime Th. Mommsenius (Herm. XXI 1886 p. 142 sqq.) in libro quodam manu scripto (bibl. Phillips. Cheltenham. n. 12266) invenit Cypriani scriptorum indicem anno 359 compositum. Qui index quod inscriptione libelli huius caret, hoc Schultzii opinioni minime fidem facit. Vere enim Momm-

Sunt autem, qui iure mihi videantur opinati esse Cyprianum, ut more sollemni fidei specimen daret, haud ita multo post quam Christianus factus esset, libellum, de quo agitur, composuisse. Pontio vero teste (vita Cypr. 5) Cyprianus 'ad officium sacerdotii et episcopatus gradum adhuc neophytus et ut putabatur novellus electus est.' [1]) Episcopus igitur cum fieret anno 248, non multo ante hunc annum libellum illum scriptum esse efficitur. Ergo ante hoc tempus Octavius compositus est.

Accuratius Minucii aetatem ita definire conatus est H. Dessau, [2]) ut ad inscriptiones nonnullas nos revocaret (C. I. L. VIII 6996. 7094—7098), quae ei tempori attribuendae sunt, quod inde ab anno 210 p. C. ad annum 217 pertinet, ubi 'M. Caecilius' quidam 'Q. filius Quirina Natalis' commemoratur, qui Cirtae in patria summis muneribus administratis, statuis positis, plebei per septem dies spectaculis editis Antonino Caracallae sua pecunia arcum triumphalem exstruxit. Idem Caecilii Natalis nomen est Minucii Felicis amico. Cuius verba (Oct. 9, 6): 'Et de convivio notum est; passim omnes locuntur, id etiam Cirtensis nostri testatur oratio' [3]) Dessavio videntur testimonio esse Minucii amicum non solum Cirtensem fuisse, sed ne seiungendum quidem ab illo Caecilio, qui in titulis nominatur. Quem officiis in patria cumulatis, quae pro re familiari et muneribus civibus praestanda ei fuissent, Romam profectum ab Octavio Ianuario ad veram religionem reformatum esse (Oct. 1, 5. 40, 1); quare Octavium sub finem Caracallae imperii compositum esse, vel potius paulo post; nam inter colloquium Minucii Caecilii Ianuarii et Octavium scribi coeptum interpositum esse intervallum quoddam (Oct. 1). Cui sententiae ita occurri non posse, ut Tertullianus in Apologetico circa annum 198 scripto Minucii libello usus esse dicatur (Teuffel. R. L. G.[4] § 368, 1), satis superque docuimus; nec quisquam negabit ea, quae de persona Caecilii illius accepimus, qui in inscriptionibus commemoratur, ad Minucii amicum quadrare: de huius enim persona in Octavio nihil paene memoriae proditum est. Nihilominus

senius l. c. p. 151: 'Die Schrift quod idola dii non sint', inquit, 'der einzigen unter den sicher echten grösseren Tractaten, der hier vermisst wird, ist wohl nur ausgefallen': cf. Zeitschrift f. Kirchengesch. VIII 1886 p. 493.

[1]) cf. Hieron. de vir. inl. 67.

[2]) Herm. XV 1880 p. 471.

[3]) 31, 2: 'Sic de isto (sc. incesto convivio) et tuus Fronto non ut adfirmator testimonium fecit, sed convicium ut orator adspersit'.

quam incerta sit Dessavii opinio, K. I. Neumannus optime exposuit. [1])

Sed recurrendum est ad illum locum, qui ad Frontonis orationem spectat (Oct. 9, 6; 31, 2).[2]) Unde etiam si cum Schwenkio

[1]) Theol. Litt.-Zeit. 1881 p. 422: 'Dessau hält die Identität des mit Minucius Felix befreundeten Caecilius Natalis und des unter Septimius Severus und Caracalla lebenden Triumvirn von Cirta ihrer 'vollständigen Namensgleichheit' wegen für unabweisbar. Aber erstens steht eine solche vollständige Namensgleichheit gar nicht fest, da wir ja nur von dem Triumvirn den vollständigen Namen kennen; und zweitens kommt auch vollständige Namensgleichheit sogar von Vater und Sohn vor. Herr Prof. Dittenberger hat die Güte, mir aus der Zeit von Trajan bis zu den Antoninen folgende Beispiele mitzutheilen: L. Vipstanus Messalla cos. 113 n. Chr. und sein uns aus C. I. Att. III 621 bekannter Sohn; C. Iulius Scapula cos. suff. 138 n. Chr. und sein Sohn, Quaestor unter Antoninus Pius C. I. Att. III 626; um abzusehen von geborenen Griechen wie von Herodes Atticus und seinem gleichnamigen Vater. Der eine Caecilius könnte also sogar des andern Vater sein; indess ist directe Abstammung des einen vom andern ebensowenig, wie ihre Identität erwiesen, vielmehr Gewissheit nur für die Annahme naher Verwandtschaft vorhanden. Damit verlieren die Dessauschen Inschriften ihre Verwendbarkeit für chronologische Zwecke, und die Entscheidung über das Verhältniss zwischen Tertullian und Minucius Felix bleibt die Hauptsache nach wie vor'. — Aem. Baehrensius ed. Min. Fel. Oct. Lips. 1886 praef. p. VI putat Q. Caecilium Natalem, patrem M. Caecilii Natalis triumviri Cirtensis, cum Octavio disputavisse. 'Quid', inquit, 'quod Quintum patrem non spernendum codicis unici vestigium quasi digito intento monstrat? ubi enim Caecilius primum nominatur, in c. 1, 5 verbis *in illo praecipue sermone . . . quo Caecilium* eqs., miramur vivum etiam tunc Caecilium tam simpliciter introduci, codex autem Parisinus *quod caecilium* exhibens genuinam lectionem *quo Q. Caecilium* ultro suppeditat'. At haec coniectura, quamvis lenis sit illa mutatio, valde incerta est. Nam nec mirum est Caecilium 'tam simpliciter introduci' et ipse Baehrensius l. c. p. VII confessus est 'omnium vel foedissimarum corruptelarum quasi quendam thesaurum iure posse vocari Octavii textum'. Quae cum ita sint, quidni putemus litteram d voculae 'quod' librarii neglegentia irrepsisse et hac littera deleta locum sanum esse? Ita Oct. 36, 4 (magis pauper ille est, *qui* cum multa habeat, plura desiderat) codex Parisinus pro *qui* falso exhibet *quis*, nec difficile sit similia afferre exempla. Ceterum si vera esset lectio a Baehrensio proposita, tamen minime certum esset Q. Caecilium Natalem, Minucii et Octavii amicum, et Q. Caecilium Natalem, triumviri Cirtensis patrem, unum eundemque esse. Ille enim huius filius esse potuit, quoniam ipse Baehrensius auxit numerum exemplorum a Neumanno commemoratorum, quibus comprobatur filio idem plane potuisse nomen esse cum patre.

[2]) Nescimus, utrum Fronto orationem illam dedita opera in ipsos Christianos composuerit, an cogitandum sit de verbis obiter dictis in oratione, qua longe aliam causam tractandam sibi proposuerit (Schwenk. l. c. p. 288).

colligas colloquium Caecilii Minucii Octavii vivo Frontone habitum esse — quamquam non necessario illud colligendum est — quid sequitur? Frontonem ad annum 175 vixisse, quin etiam ad annum 180 vivere potuisse Th. Mommsenius [1]) docuit. Erant autem Octavio, qui aeque atque Minucius aliquamdiu causidici munere functus (28, 2 sqq.) et postea Christianus factus est (1, 4), eo tempore, quo amici illi inter se collocuti sunt, parvuli liberi (2, 1). Aliquanto denique post Octavii mortem Minucius colloquium illud litteris mandavit (1, 1 sqq.). Quodsi statuimus colloquium anno 170 habitum esse — quamquam anno 180, ad quem vixit Fronto, haberi potuit — porro si opinamur Octavium et Minucium tum quadraginta annos natos fuisse atque inter colloquium et Octavium compositum triginta annos interiectos esse,[2]) Minucius septuaginta annos natus anno 200 libellum suum scripsit. Circa idem autem tempus Tertullianus Apologeticum composuit, quem librum Capellus anno 196, Bonwetschius 197, Mosheimius 198, Noesseltus et Hesselbergius 199, Pamelius, le Nourry, Uhlhornius, Boehringerus, Hauckius 200, Kellnerus 201, Cavius 202, I. Cayius paulo post annum 204, Allixius 217 in lucem editum esse censuerunt. Quam in quaestionem diligentius inquirere nolo, cum praesertim ne ita quidem, si Allixii sententia vera sit, quam nemo adhuc probavit, sequatur, ut Octavius prius Apologetico scriptus sit. Nam si statuimus colloquium anno 174 — vivo Frontone — habitum esse, Minucium tum tricesimum vitae annum egisse, Octavium quadraginta tribus annis post litteris mandatum esse, Minucius septuaginta tres annos natus anno 217 p. C. libellum absolvit, hoc est eodem anno, quo Allixius Apologeticum scriptum esse opinatur. Adde unum annum quadraginta tribus illis: Apologeticum ante Octavium compositum erit. Nihil enim obstat, quin arbitremur inter colloquium habitum et litteris mandatum longius temporis spatium intercessisse. Ceterum etiamsi fictum esset colloquium illud, quod sine iusta causa Schultzio (l. c. p. 505) et Kuehnio (l. c. p. 7) visum est (cf. Schwenk. l. c. p. 286; Baehrens. l. c. praef. p. VII adn.), tamen anno fere 200 vel aliquanto post pro auctoritate, quam Fronto eiusque scripta etiam tum habuerunt, Minucius ea, de quibus agitur, verba scribere potuit.

[1]) Herm. VIII 1874 p. 198.

[2]) Schwenkius viginti quinque annos interiectos esse putat, Keimius viginti.

Sed nolo longior esse. Satis enim apparet, opinor, iure Ebertum (l. c. p. 323) negavisse locum illum impedimento esse, quominus etiam post Tertulliani Apologeticum absolutum, tertii p. C. saeculi initio Octavium scriptum esse sumamus.

Neque ex aliis Octavii locis de Minucii aetate quicquam colligendum est. Iure enim K. I. Neumannus dubitavit,[1]) num vera esset Schwenkii sententia eo tempore, quo Oct. c. 18, 5 sqq.[2]) scriptum est, fieri non potuisse, quin unus princeps rei publicae praeesset. Tam enim accurate dicit Schwenkius caeleste et terrestre imperium toto illo loco inter se comparari, tam dilucide verbo 'imperium' frequenter usurpato, Romuli et Remi, Caesaris et Pompei exemplis imperium Romanum significari, ut contra se ipsum Minucius disputaturus fuerit, si duo principes eodem iure tum fuissent. Itaque neque annis 161—169, quibus M. Aurelius et L. Verus principes fuerunt, Octavium scriptum esse neque annis 177—180, quibus M. Aurelius cum Commodo imperium tenuit. Sed ne eo quidem tempore, quo M. Aurelius solus imperator fuit (169—177), nec paulo post annum 180, dum memoria binorum principum illorum imperiorum, quae incruenta fuissent, recens esset, sic scribi potuisse. Schwenkius igitur censet Minucii libellum ante annum 161 compositum esse. 'Indessen zeigt Athenagoras, dass man eine solche Sammtherrschaft ruhig als Monarchie betrachtet hat. Suppl. c. 18 vergleicht er die gemeinsame Herrschaft des Marc Aurel und Commodus mit der Weltregierung Gottes des Vaters und des Sohnes, die ausdrücklich als Einheit bezeichnet werden'.[3]) Praeterea verbis 'quando umquam regni societas aut cum fide coepit aut sine cruore desiit?', quippe quae inter locos communes numeranda sint (v. supra p. 28) et con-

[1]) Götting. Gel.-Anz. 1884 p. 358.

[2]) 'Ni forte, quoniam de providentia nulla dubitatio est, inquirendum putas, utrum unius imperio an arbitrio plurimorum caeleste regnum gubernetur; quod ipsum non est multi laboris aperire cogitanti imperia terrena, quibus exempla utique de caelo. quando umquam regni societas aut cum fide coepit aut sine cruore desiit? omitto Persas de equorum hinnitu augurantes principatum, et Thebanorum par, mortuam fabulam, transeo. ob pastorum et casae regnum de geminis memoria notissima est. generi et soceri bella toto orbe diffusa sunt, et tam magni imperii duos fortuna non cepit. vide cetera: rex unus apibus, dux unus in gregibus, in armentis rector unus. tu in caelo summam maiestatem dividi credas et scindi veri illius ac divini imperii totam potestatem?'

[3]) K. I. Neumann. Theol. Litt.-Zeit. VI 1881 p. 423.

tineant veritatis superlationem atque traiectionem, quae rhetorum scholas sapit, nihil momenti tribuendum est. Verba autem 'et tam magni imperii duos fortuna non cepit' non sic intellegenda esse, ut interpreteris 'und das grosse römische Reich hat für zwei Kaiser keinen Platz gehabt', sed ad Caesarem et Pompeium referenda esse docet hui. comm. p. 8 adn. 3, ubi Livio hoc enuntiatum Minucium debere monuimus. Iure igitur Baehrensius l. c. praef. p. XXXV Schwenkio non assensus negavit ad suum tempus Minucium respexisse. Quod cum ita sit, hoc loco minime diiudicari potest, utrum plures principes Romae tum fuerint an unus.

Ex criminibus, quibus Christiani in Octavio insimulantur, de Minucii aetate nihil concludendum esse Schwenkius (l. c. p. 292) vere iudicavit. Idem Eberti exemplo monuit, quod in Octavio Christiani neque hostes imperii Romani neque auctores calamitatum publicarum dicerentur, quod crimen a Graecis quoque apologetis omissum esset, inde colligi posse Octavium ante Apologeticum scriptum esse. Hoc enim crimen Tertullianus inde ab Apologetici capite 40, laesae maiestatis crimen inde a capite 28 impugnavit. Credo Schwenkio haec opponenda esse: Praeterquam, quod ne Minucius quidem crimen laesae maiestatis plane praetermisit, cuius teste Tertulliano (Apol. 28) propterea Christiani accusabantur, quod Caesares non adorabant (cf. Oct. 29, 5; 21, 9. 10), numquis negare audet in deperditis apologetarum quorundam scriptis crimina illa accuratius refutata esse?[1]) Christianos enim iam ante Tertulliani aetatem accusatos esse, quod auctores calamitatum publicarum et imperii hostes essent, apparet ex Antonini Pii edicto (apud Ottonem l. c. I[3] p. 246). Fortasse haec crimina inter ea sunt, quae 'consulto' Caecilius praetermisit (Oct. 10, 1).[2])

[1]) cf. Theoph. ad Autol. I 11 (*Ἐρεῖς οὖν μοι· Διὰ τί οὐ προσκυνεῖς τὸν βασιλέα;*).

[2]) Alia multa, de quibus Tertullianus copiose disputavit, in Octavio desunt. 'Numquam Minucius aut Christi nomen adhibet aut ex libris sacris locos adfert. porro de eis quae propria sunt cultus christiani ne verbum quidem exstat: de *λόγῳ* et spiritu sancto et trinitate doctrina, divina fidei inspiratio, baptismus quaeque alia apud ceteros apologetas disseruntur, alto silentio premuntur apud Felicem' (Baehrens. l. c. praef. p. IX). Cuius silentii alius aliam causam profert. Dombartus l. c. praef. p. VIII sqq. putat consulto de illis rebus Minucium tacuisse, ut scilicet, antequam Christi personam induceret, ethnicis de iis persuaderet, quae quasi fundamenta religionis Christianae appellanda sunt a Caecilio ad veram religionem reformato hisce verbis definita

Quaesitum est, utrum eo, quo Octavius scribebatur, tempore pax esset paganis cum Christianis, an hi vexationibus premerentur.[1]) Cui quaestioni nego aliter responderi posse atque hoc modo: Etsi non desunt loci, qui documento esse videantur Christianis, cum colloquium Caecilii Minucii Octavii haberetur, pericula extimescenda fuisse (v. imprimis 8, 5; 12, 4; 37), tamen nullo loco comprobatur eo ipso tempore Christianos vexatos esse, immo exordio libelli veri simile fit, si non ubique, at certe Romae et Ostiae et ibi, unde Octavius uxore liberisque relictis negotii et amici visendi causa Romam venit (Oct. 2, 1), pace eos usos esse.[2]) Quorum quae scribente Minucio condicio fuerit, nescimus. Hac igitur via nihil proficitur ad investigandum, quando Octavius compositus sit.

(40, 2): 'Itaque quod pertineat ad summam quaestionis, et de providentia fateor et de Deo cedo et de sectae iam nostrae sinceritate consentio'. Dombartus igitur putat Minucium Christianorum doctrinarum satis peritum fuisse. Idem Bachrensius l. c. professus est, sed Minucium propterea Christi et christologiae nullam fecisse mentionem censet, quod optimi cuiusque iurisperitorum Romanorum mentis acie et iudicii sobrietate usus Straussianorum instar nostrorum et Renanorum Christi tamquam dei adoratione hominibus indoctis et credulis relicta vanis Christianorum figmentis ritibusque spretis vera atque sana disciplinae illius placita adsumpsisset. Kuehnius denique, cuius libellum supra commemoratum theologis audio vehementer placere, parum probabiliter putat Minucium, cum Octavium scriberet, recentem sacris Christianis imbutum eorum, quae propria sunt Christianorum disciplinae, imperitum fuisse. Dombarti vero an Baehrensii opinio veri similior sit, nunc non audeo iudicium proferre.

[1]) Teuffel. R. L. G. § 368, 2; Keim. l. c. p. 291; Ebert. l. c. p. 341; Schultz. l. c. p. 496; Schwenk. l. c. p. 291.

Litterarum formae maxime aequales sunt. Primae cuiusque paginae litterae non eminent supra reliquas. Ubi caput fit, ab eminente littera in margine scripta incipitur (conf. 39^{v}, 5; 39^{r}, 12; 15^{v}, 6; 40^{v}, 15; 43^{v}, 11). Nonnusquam *I* litterae forma in versuum initio altior est (conf. 39^{v}, 17 *Itaq(ue)*; 39^{r}, 7 *ob/lecta*; 43^{v}, 1 *Incipit*); bis *S* initio versus paulo altior est: 15^{r}, 17 et 10^{v}, 9. Extremae

versuum litterae nusquam imminuuntur, nisi quod *O* littera imminuta est versus loco ultimo 39^{r}, 5 et paenultimo 40^{r}, 3. Litterae delendae significantur aut linea transversa et puncto supra litteram posito (conf. 44^{r}, 2) aut solo puncto (conf. 10^{r}, 12). Quid uncus significet in vocabulo *con'scientia* 10^{r}, 17, nescio; fortasse syllaba *con* tamquam delenda significatur. Singulae paginae sunt versuum septenorum denorum (nam decimi octavi versus species in folio 10^{r} fallax videtur) breviculorum, cum habere non soleant nisi litteras a quinis denis ad undevicenas; non saepe quaternas denas aut vicenas habent, raro ternas denas aut vicenas singulas.

Orthographicas rationes sequitur librarius ab omni barbarie immunes: itaque *ae* et *e* vocales ne semel quidem confusae sunt. Ceteras scripturas componam secundum litterarum ordinem: *abiit* 43^{r}, 12; *absentem* 39^{v}, 4; *absentes* 39^{v}, 13; 39^{r}, 13; *absentis* 44^{r}, 10; *absunt* 10^{r}, 1; *accepisse* 44^{v}, 16; *accipiendo* 10^{v}, 4; *accidere* 15^{v}, 12; *ad* (praepositio) constanter; *adfuit* 44^{r}, 12; *adiciamus* 15^{r}, 14; *aestimasset* 43^{r}, 14; *at* (coniunctio) 44^{v}, 11; *atqui* 40^{r}, 15; *beneficia* 10^{v}, 7; *benignissima* 40^{v}, 9; *ceteras* 10^{v}, 13; *colligamus* 10^{r}, 4; *committitur* 44^{r}, 12; *componitur* 44^{r}, 9; *composuit* 43^{v}, 11; *conputatum* 39^{r}, 3; *deprehenditur* 40^{r}, 10; *efingatur* 15^{r}, 10; *epistulis* 44^{r}, 11; *id* 39^{r}, 5; *inlustrib(us)* 43^{r}, 6; *inplere* 40^{r}, 3; *inritant* 39^{v}, 14; *intellegas* 40^{v}, 11; *libenter* 10^{v}, 7; *maximu(m)* 15^{v}, 4; *neclegentius* 39^{v}, 17; *nihil* 44^{v}, 17; 44^{r}, 8; *occurrit* 44^{v}, 2; *offensiones* 44^{r}, 3; *officiis* 40^{v}, 17; *optimum* 39^{v}, 16; *paene* 43^{r}, 12; *pessimis* 40^{v}, 8; *plurimum* 39^{v}, 6; *quaecumq(ue)* 43^{v}, 11; *querella* 44^{r}, 12; *quid* 39^{v}, 17; 39^{r}, 13; 40^{v}, 12; 40^{r}, 14; *quidquid* 44^{r}, 4; 40^{v}, 5; *quod* 44^{r}, 1; 15^{v}, 12; *reducamus* 15^{v}, 15; *reuertantur* 15^{r}, 5; *sed* 44^{r}, 2. 7; *uersemur* 10^{v}, 16; *uestrae* 15^{v}, 2; *uulgaris* 40^{r}, 2; *uulgo* 40^{r}, 4; *uult* 39^{v}, 6; *uultu* 10^{v}, 11; *uultus* 40^{v}, 1. Accusativus plurativi numeri adiectivi *absens* modo *absentis* est (44^{r}, 10), modo *absentes* (39^{v}, 13); *a* praepositio ante consonas est (etiam ante *v*-), *ab* ante vocales; *e* (non *ex*) *uiuo* legitur 15^{r}, 11. Primus corrector in argumento ad 40^{v}, 15—17 adscripto barbara forma *admonicio* usus est.

In apographo, quod sequitur, earum litterarum, quibus nullum signum addidi, lectio certa est; litteris incertis superscripsi singula signa interrogationis, litteris incertissimis bina. Ubi propter pallorem vel propter scripturam sacram obductam, quid olim extiterit, dici nequit, hoc linearum genere usus sum: ////////.

In folio 44^{v} *haec dispici poterant verba, quibus* FRAGMENTI I. *initium efficitur:*

..... ?? ?? ..... *SIT* .....

1 LETRISTIORQUAMSOLEBAT

2 OCCURRIT ILLE////////M////////SI

3 C////N//////////////////UEN////////INADUER

4 TAQUAERENTEMPERMO

5 DUS//////////////////////NITSOLO

6 GRES////////RADEFECIT////////////////

7 TERALTERIUSOCULOSTU

8 LITAUTINTRA////////////////////////////

9 CES////////DUMLU////////////////////////

10 ////US////////ESTHICQUIQUES

11 TURUSUENITATCONTRA

12 SEADFUIT·ETSATISFACIE

13 TISATISFECIT·NONMINUS

14 HICSOLLICITUSFUITNE

15 FECISSEUIDERETURINIU

16 RIAMQUAMILLENEACCE

17 PISSE AUTCERTENIHIL

Superior pars huius paginae difficillima, inferior facilis lectu est// paginae inscriptio cum superiore margine desecta est praeter incertas vocabuli *SIT* reliquias (conf. supra pag. V et X)// 1 sqq. de scripturae genere 'unciali' conf. supra pag. VI sq.; conf. etiam epitaphii Africani imaginem in '*Facsimiles of manuscripts and inscriptions etc.*' ser. II tab. 49 et Aemilii Huebner 'Exempla scripturae epigraphicae latinae' pag. XXXVIII// 13 punctum post duodecimam litteram incertissimum est.

fol. 44ʳ.

1 ..... ? ? ? ? QU .....
2 RESEDITQUODSERPERET·
3 SEDINMEDIUMSDEDIT
4 UTERQ·OFFENSIONESSU
5 AS·ETALTERABALTEROQUID
6 QUIDLATEBATEXPRESSIT
7 FAMILIAREIURGIUM
8 NONIUDICEMSEDARBI
9 TRUMQUAERIT NIHIL
10 AUTEMCOMPONITUR
11 INTERABSENTIS·NECTU
12 TOEPISTULISOMNISQUE
13 RELLACOMMITTITUR·ET
14 INEXPLORATAFRONTE
15 PERQUAMPRODUNTUR
16 ANIMI·INCERTUMEST
17 QUAMSIMPLICITERDE
18 TEGATURIRAQUAMFIDE

Superior pars huius paginae non difficilis, inferior facillima lectu est // inscriptionis reliquiae omnes incertissimae sunt // 1 punctum in extremo versu incertum est // 2 littera ab exitu sexta antiquitus (a prima manu?) ita deleta est, ut non tantum puncto superscripto notaretur, sed etiam linea transversa per mediam litteram ducta.

fol. 39ᵛ.

1 LITERDESINAT·SICAMI
2 ? ? COIUDICANDUMEST ? ? UT
3 APRAESENTESECUNDU
4 ABSEN|TEMDET
5 QUISQUISRECONCILIARI
6 ? ? UULTCONTRAHATPLURI
7 MVLTVM MUMOPERISFACITIN
8 REMPRAESENTEMPER
9 ? ? DUCTAAMICITIAQUEM
10 ADMODUMMULTAQUO
11 RUMINTENEBRISAUDA
12 CIAEST·LUCEPROHIBEN
13 TUR·ITAQUAEABSENTES
14 INRITANTETCONCITAN
15 ADPRAESENTIAMNON
16 FERUNT. OPTIMUMEST
17 ITAQ·ETIAMSIQUIDNEC

Exceptis versibus 2—4 et paucis praeterea locis haec pagina facilis lectu est // 2 post *IUDICANDUM* aliquotiens potius *ESINUI* vel adeo *ESTNE* legere posse mihi visus sum // 7 *MVLTVM* supra versum addidit primus corrector // 17 ultima littera *C*, non *G* fuit.

fol. 39ᵛ.

1 LEGENTIUSPRAETERMIS
2 SUMEST·INHUMANIUS
3 FACTUM·SORDIDIUSCON
4 PUTATUM·SUPERBIUSDIC
5 TUM INIDTEMPUSSEPo
6 NIQUOPOSSINTAUTOB
7 IECTADEFENDIAUTINDE
8 FENSADONARI SICCURA
9 RIEX////////////RATAMAMI
10 CITIAMDECETUTSINECI
11 CATRICESANETUR
12 QUAERAMUSAUENIENTIB·
13 QUIDABSENTESAGANT
14 DEBITORIB·ILLORUMIN
15 STEMUSCREDITORIBUS
16 RESPONDEAMUS. INIMI
17 CISRESISTAMUS·SIAUT

Superior pars huius paginae difficillima lectu est atque ex parte desperata, inferior pars facile legitur // 7 prima littera aut *I* (altior solita forma) aut *L* fuit, sexta aut *D* aut *L*, octava aut *F* aut *P* aut *R*, decima quarta aut *U* aut *N*// 8 littera 14ª aut *C* fuit aut *O*, 15ª aut *C* aut *T*// in margine sinistra ad versus 12. 13 primus corrector argumentum tale, quale fol. 40ᵛ ad 15—17 legitur, adscripsit, nunc prorsus obscuratum.

In folio 15ᵛ *haec dispici poterant verba, quibus FRAGMENTI II. initium efficitur:*

..... ITIACONTINENDASIT

1 QUAERITIS·ITAQUEMO
2 MENTOAMICITIAEUE
3 STRAEEXOLESCUNTQUA
4 RUMMENSAMAXIMU
5 PIGNUSEST
6 UNAPEREGRINATIOERA
7 DITANIMOIUSOMNE
8 SIUEROLONGIORHAEC
9 ESTETLONGINQUIOR
10 EXCIDITNOTITIAQUOQ·
11 NONTANTUMAMICI
12 TIA·QUODNEPOSSITAC
13 CIDEREOMNIOPERE
14 SISTAMUS·ETFUGIEN
15 TEMMEMORIAMRE
16 DUCAMUS·UTAMURUT
17 INPRIMAPARTEDICEBA

Haec pagina facillima lectu est // inscriptionis sinistra pars cum margine superiore desecta periit// 4 ultima littera sine dubio olim *Ū* fuit, sed lineola hodie cerni nequit // 13 in fine nihil amplius scriptum fuisse constat // 16 punctum post septimam litteram incertum est.

fol. 15[r].

??
??
OMODO

1 ANIMIUELOCITATENE
2 MINEMANOBISAMICŪ
3 ABESSEPATIAMUR·IN
4 ANIMUMSUBINDENO
5 STRUMREUERTANTUR
6 FUTURANOBISPROMIT
7 TAMUS·PRAETERITARE
8 PETAMUS·SICILLEMA
9 NUSSICORAFEREBAT·I
10 MAGOEFFINGATURANI
11 MO·NOTABILISETEUI
12 UOPETITA·NONEUANI
13 DA·ETMUTA·SICILLEMA
14 NUS·SICORAFEREBAT·ADI
15 CIAMUSILLIQUAEMA
16 GISADREMPERTINENT·
17 SICLOQUEBATUR·SICHOR

Haec pagina facillima lectu est // inscriptionis pars cum margine superiore desecta periit. Utrum (*ANNAEI*) *SENECAE* nomen vocabulo *quOMODO* olim praecesserit necne, dici nequit.

fol. 10[v].

1 TABATUR·SICDETERRE
2 BAT·SICERATINDANDO
3 CONSILIOEXPEDITUS·Ī
4 ACCIPIENDOFACI??LIS·IN
5 MUTANDONONPER
6 TINAX·SICSOLEBATBE
7 NEFICIALIBEN??TERDA
8 RE·PATIENTERPERDERE·
9 SICPROPERABATBENIG
10 NITASEIUS·SICIRASCE
11 BATUREOUULTUABAMI
12 COUINCEBATURQUOSO
13 LENTUINCERECETERAS
14 UIRTUTESPERERREMUS·
15 INHARUMUS·UTRACTA
16 TUQ·UERSEMUR·ETSI
17 PLURESEODEMTEMPO

Haec pagina facilis lectu est.

fol. 10[1].

1 REABSUNT·UELUTSPAR
2 SAPLURIB·LOCISMEM
3 BRAFAMILIARITATIS
4 NOSTRAECOLLIGAMUS
5 NUNCHIC·NUNCILLE
6 INOREANIMOQ·SITU
7 BIMENTISLASSITUDI
8 NEMPONES·NULLATA
9 TUMPOSSITUETUSTAS·
10 UTMEMORIAMAMI
11 CITIAEEXEDAT·AQUAI
12 NERITINGENIOPERICU
13 LUMEST·CU////SHAECES
14 SEINTERDUMEXCUFATI
15 SOLET·INTRAMEESTQUA
16 UALDEILLUMAMEM
17 CON'SCIENTIAMEACON

Haec pagina magnam partem (inprimis vers. 12—14) difficillima lectu est nec paucae litterae incertae sunt// 8 lineola supra ultimam litteram incerta est// 12 puncto, quod utrum prima manus an primus corrector pravam versuum divisionem emendaturus superscripserit incertum est, primam litteram delendam esse significatur// 12 litterae quarta et quinta *IT*, vix *TI* videntur fuisse// 14 littera undecima incertissima est; duodecima aut *X* fuit aut *A*; decimam tertiam *C* quam *T* fuisse probabilius est; littera ab exitu quarta *F*, non *R* aut *P* videtur esse// 14 in fine nihil amplius scriptum fuisse constat// 15 punctum post quintam litteram incertum est// 17 uncinus post tertiam litteram primae manu deberi videtur// post versum 17 duodevigesimus versus extare quidem videtur ab his incertissimis litteris incipiens: *TIQUIS* (quas nullo modo *DITUM* aut *CLUSUM* aut *SERUATUM* fuisse constat), sed harum litterarum omnium species nescio an fallax atque ita orta sit, ut litterarum nonnullarum vestigia paginae, quae olim proxima erat, atramento parum siccato in hunc locum transferrentur.

In folio 40[v] *haec dispici poterant verba, quibus FRAGMENTI III. initium efficitur:*

1 TIORDEBET. QUIAUUL
2 TUSINCERTUSEST·MA
3 GNOSHUMANUMPE
4 CTUSRECESSUSHABET
5 QUIDQUIDESTQUOPLA
6 CETUIRTUSEOFRAUSAD
7 UMBRATUR·ETCOGITATI
8 ONIB·PESSIMISFACIES
9 BENIGNISSIMAOBDU
10 CITUR·NECFACILENISI
11 PERITUSINTELLEGAS
12 QUIDINTERSIT·INTERA
13 NIMUMAMICIETCOLO
14 REM·
15 HOCSIBIQUISQ·PROPONAT *ADMONICIO*
16 QUOMINUSFACILEFU *DEPHENDIS*
17 CATISCAPIATUROFFICIIS· *AMICIS*

Haec pagina maximam partem facilis lectu est// puncta in versibus 1. 2. 7. 14 incerta sunt// argumentum ad versus 15—17 'semicursivis' litteris (conf. supra pag. X; conf. etiam e. g. Leopoldi Delisle '*Le cabinet des manuscrits de la bibliothèque nationale; Planches d'écritures anciennes*' [Parisiis 1881] tab. VI num. 4—16) adscripsit primus corrector; in primo horum versiculorum litterae *CI* coniunctae inter se sunt, supra tertiam alterius versiculi litteram nunc nulla lineola apparet (conf. litterarum *prae* vel *pre* compendium in Gaii apographo a me edito pag. 285 sq.)

fol. 40ʳ.

1 RARARESESTAMICITIA
2 UULGARIS·AUTEXPOSITA
3 UTINPLERETOTASDOMoS
4 POSSIT·UULGOSIBIHO
5 MINESPERSUASERE
6 ANAURUMINGENTIO
7 PERALEGICREDITISCUIUS
8 UBIQ·QUAESITIUIXSUB
9 ALIQUOMONTEUENADE
10 PREHENDITURAMICUM
11 AUTEMUBIQ·INUENIRI
12 SINEULLOLABORE·SINE
13 ULLAINUESTIGATIONE
14 QUIDENIMTAMSIMPLEX
15 APERTUMQ·EST·ATQUI
16 NONTAMINALTOLATET
17 AURUM·ARGENTUMQ·

Haec pagina facillima lectu est// 1 in fine nihil amplius scriptum fuisse constat// puncta in versibus 2 et 12 incerta sunt// 7 littera quinta non videtur *T* fuisse.

fol. 43ᵛ.

1 *INCIPIT EIUSDEM*
2
3 *ANNAEI SENECAE*
4
5 *DEUITA PATRIS*
6
7 *FELICITER SCRIBENTE*
8
9 *ME NICIANO DIEETLOC·SS*
10
11 SIQUAECUMQ·COMPO
12 SUITPATERMEUS·ETEDI
13 UOLUIT·IAMINMANUS
14 POPULIEMISISSEM·AD
15 CLARITATEMNOMINIS
16 SUISATISSIBIIPSEPRO
17 SPEXERAT·NAMNISI

Haec pagina facillima lectu est// versus 1. 3. 5. 7. 9 prima quidem manus scripsit, sed litteris 'semicursivis' (conf. quae supra pag. X diximus)// puncta in versibus 12. 13. 14. 17 incerta sunt.

fol. 43[r].

1 MEDECIPITPIETAS·CU

2 IUSHONESTUSETIAM

3 ERROREST·INTEREOSHA

4 BERETURQUIINGENIO

5 MERUERUNT·UTPURIS

6 ? ? ? ? ? ? ? ? ? ? ? ? ? ETINLUSTRIB·TITULIS

7 NOBILESESSENT·QUIS

8 QUISLEGISSETEIUSHIS

9 TORIASABINITIOBEL

10 LORUMCIUILIUMUN

11 DEPRIMUMUERITAS

12 RETROABIIT·PAENEUS

13 QUEADMORTISSUAE

14 DIEMMAGNOAESTI

15 MASSETSCIREQUIBUS

16 NATUSESSETPARENTI

17 BUSILLEQUIRESROMA

Superior pars huius paginae plerumque difficilis, inferior facilis lectu est// 3 punctum post octavam litteram incertissimum est// 5 quinta ab exitu littera aut *P* aut *T* fuit// 6 prima littera aut *E* fuit aut *C*// 6 litterae a tertia usque ad sextam prorsus incertae sunt, pro quibus aliquotiens *ORNA* aut *OPNA* aut adeo *EQUS* legere posse mihi visus sum// 6 littera octava aut *T* fuit aut *I*, nona aut *R* aut *P*, pro *B*· possis etiam *LI* legere// 12 punctum post decimam litteram incertum est.

In his, quae ex situ tenebrisque in lucem revocata sunt, fragmentis sanabilia a desperatis distinxi, lectiones non tantum imperfectas sed quae ne possent quidem perfici (veluti in superiore folii 44[v] parte) in schedis meis retinui, nihil fere nisi quod post diuturnam meditationem in oculos occurrebat manifestumque erat, in apographum meum recepi. Coniectandi igitur periculum subii Romae anno 1879 in re praesenti, dum felici temeritate excogitata denuo inspecto codice examinare licet. Ibidem cum nullus mihi dies per otium exiret, Senecae scripta illo ipso mense, quo membranarum rescriptarum lectionem consummabam, omnia praeter tragoedias perlegi et ut mihi persuaderem nullam a me locutionem Senecae attributam esse, quae ab Annaeana dicendi consuetudine abhorreret, excerpsi non ita, ut ad unum omnes exhaurirem, locos similes eos, quibus adnotationes verbis Senecae a me infra redintegratis subiectas oneravi potius quam ornavi. Non pauca quidem in his exemplis sunt, quae cum minus virium quam ponderis habere videantur, resecare debebam; nec tamen quicquam supprimere volui ex eis, in quibus colligendis quam mirum oblectamentum animus meus olim per noctium Romanarum amoenitatem habuerit, suavis ac iucunda in patria terra est recordatio. Id unum novavi, ut locorum ex Senecae 'dialogis' excerptorum numeros secundum editionem Gertzianam commemorarem. Nec me fugit, quantopere illum similium locutionum apparatum supplendo augere potuissem, si denuo perlectis omnibus Senecae libris ne unum quidem exemplum ad comparandum idoneum oculos meos effugere passus essem. Sed ad alias ac maiores occupationes avocatus doleo quidem, quod pro utilibus utiliora Tibi offerre non licet, attamen, dum lexico Annaeanae verborum copiae pleno et absoluto caremus, non vereor, ne haec collecticia opera Tibi videatur prorsus supervacanea. Speramus autem fore, ut mox hominum doctorum studia, quae nunc aestu quodam effervescunt in examinanda atque aestimanda Taciti verborum copia, qui Senecae non tantum praecepta philosophiae sed etiam dictionem aliquanto saepius, quam vulgo credunt, in suum usum convertit, ad Annaeum quoque conferantur, quippe quo perfectiorem argenteae quae vocatur latinitatis auctorem Romam non vidisse constet.

Finem igitur huius epistolii faciant verba Senecae ita a me constituta, ut in locis desperatis ab omni abstinerem supplendi experimento:

< L. ANNAEI SENECAE >

< QUOMODO AMICITIA CONTINENDA[1] SIT >

< QUAE SUPERSUNT. >

< FRAGMENTUM I. >

. . . . . *il-*

fol. 44ᵛ le[2] tristior, quam solebat, occurrit[3]. ille. . . . . .
. . . . . a quaerentem[4]. er mo-
d.s . . . . . *ve*nit[4]: solo gres*su* *i*ra defecit[5]. [6]*nec*
*al*ter alterius[6] oculos tulit aut intra . . . . . .
ces . . . . . us *non*[7] est hic, qui questu-
rus venit. at contra se[8] adfuit[9] et satisfacienti
satisfecit[10]. non minus[11] hic sollicitus[12] fuit, ne
fecisse[13] videretur iniuriam[13], quam[11] ille, ne ac-
fol. 44ʳ cepisse[13]; [14]aut certe[14] nihil resedit, quod serperet[15];
sed in medium[16] dedit uterque offensiones suas,
et alter ab altero[6], quidquid latebat, expressit.

[1]) conf. e. g. Sen. de benef. (ed. Gertz) I 11, 1; IV 6, 3; VI 33, 2|| [2]) (*il*)*le* supplevit Niebuhr|| [3]) conf. e. g. dial. (ed. Gertz) VI 3, 4|| [4]) codicis spatiis sufficiat e. g. haec lectio: *per modestiam aduenit*|| [5]) conf. e. g. dial. III 17, 5; I 2, 6; II 4, 1; IV 7, 2. 19, 4; X 20, 1; XI 11, 6; de clem. (ed. Gertz) I 8, 7; epist. (ed. Haase) 21, 6; 23, 4; 51, 10; nat. quaest. (ed. Haase) III praef. 7; III 15, 6; IV 2, 16; VI 18, 7; VII 20, 4. 21, 2. 25, 3. 32, 2; de benef. I 13, 2; II 35, 3sq.; III 36, 3; IV 11, 2|| [6]) hoc supplementum incertissimum est. De locutione *alter alterius* conf. dial. I 2, 10; II 7, 4; III 10, 3. 18, 4; IV 8, 2. 10, 3; V 43, 2; VII 2, 4. 27, 1; VIII 7, 2; IX 17, 3; X 20, 5; XI 9, 6; nat. quaest. I 1, 2; IV 11, 5; VI 32, 1; VII 10, 2. 12, 1. 12, 3. 12, 5; epist. 6, 6; 7, 11; 19, 6; 41, 9; 53, 8; 56, 5; 93, 12; 110, 5; 113, 4; de benef. VI 5, 1. 4| [7]) hoc supplementum incertissimum esse apparet|| [8]) conf. e. g. dial. IV 22, 4; nat. quaest. IV 13, 4; de benef. II 14, 2|| [9]) conf. e. g. de benef. V 8, 2|| [10]) conf. Ottonem Rauschning 'de latinitate L. Annaei Senecae philosophi' Regimonti 1876 pag. 24 sq.|| [11]) de locutione *non minus . . . quam* conf. e. g. epist. 120, 7; 55, 1; 18, 15; 101, 3; dial. III 4, 3; IX 8, 3; I 1, 3; VI 1, 2; nat. quaest. II 11, 2; III 29, 3; de benef. V 17, 1; III 30, 3|| [12]) conf. Aemilium Opitz 'de latinitate Senecae' Numburgi 1871 pag. 24|| [13]) conf. dial. II 7, 2. 12, 3; nat. quaest. VI 3, 1; epist. 47, 20; 63, 10; 95, 49; de remed. fortuit. (ed. O. Rossbach) 10, 2; etc.|| [14]) conf. e. g. de benef. III 31, 1; VI 23, 7; dial. V 9, 1; etc.|| [15]) conf. e. g. dial. IX 7, 3; de benef. V 19, 9; epist. 8, 2|| [16]) conf. e. g. dial. V 5, 3; IX 2, 5; V 33, 4; epist. 19, 3; 83, 16; de benef. VI 16, 3||

Familiare[1] iurgium non iudicem sed arbitrum[2] quaerit; nihil autem componitur[3] inter absentis, nec tuto[4] epistulis omnis querella committitur[5], et inexplorata[6] fronte, per quam produntur animi, incertum est, quam simpliciter[7] detegatur ira, quam
fol. 39ᵛ fideliter[8] desinat. sic amico iudicandum est, ut a praesente secundum absentem det[9].

Quisquis reconciliari vult, contrahat[10] plurimum: multum[11] operis facit in rem praesentem perducta[12] amicitia. Quemadmodum[13] multa, quorum in tenebris audacia est, luce prohibentur, ita[13], quae absentes inritant et concitant, ad praesentiam non ferunt[14].
fol. 39ʳ [15]Optimum est itaque[15], etiam si[16] quid neclegentius praetermissum est, inhumanius[17] factum, sordidius conputatum[18], superbius[19] dictum[20], in id tempus seponi, quo possint aut obiecta defendi aut inde-

[1]) conf. e. g. de benef. II 3, 2|| [2]) conf. de benef. III 7, 5|| [3]) conf. e. g. dial. XII 17, 2; epist. 71, 8; etc.|| [4]) conf. de clem. I 20, 2. 21, 3; dial. VII 23, 2; IX 5, 3. 7, 3. 12, 6; X 4, 1; epist. 7, 1; 42, 4; 90, 4 (ed. Buecheler); 110, 3; de benef. III 37, 2; IV 12, 2. 18, 4; VII 26, 4|| [5]) conf. e. g. dial. III 19, 8; X 18, 4; de benef. III 15, 3; IV 9, 2. 26, 3; V 12, 6; VII 22, 2; de clem. I 11, 3. 12, 3; nat. quaest. V 18, 9; epist. 3, 3. 4; 7, 1; 10, 2; 67, 1; 83, 9. 10. 12. 15|| [6]) conf. e. g. de benef. VI 30, 6|| [7]) conf. e. g. epist. 76, 1; 82, 19; dial. IX 17, 1; X 15, 4|| [8]) conf. e. g. epist. 50, 8; 2, 2; 80, 6; nat. quaest. I 6, 5; IV 10|| [9]) conf. dial. VII 1, 5 et quae Gronovius et Ruhkopfius ad hunc locum adnotaverunt; epist. 102, 19; locos Ciceronianos in Merguetii libro '*Lexikon zu den Reden des Cicero*' IV pag. 415 (sub *iudico secundum*), Tacitinos in Gerberi et Greefii 'Lexico Taciteo' I pag. 309 sub ε congestos; Brissonium 'de verborum . . . significatione' (ed. Heineccius Halis 1743) pag. 292sq. 1233; etc.|| [10]) conferri possunt aliquo modo Sen. dial. XI 18, 4; V 5, 4|| [11]) *multum* supra lineam addidit in codice primus corrector|| [12]) conf. epist. 30, 15; 66, 35; conf. etiam 59, 6; dial. IV 36, 1; epist. 6, 5; 98, 18; de benef. IV 35, 2|| [13]) conf. Ottonem Rauschning l. c. pag. 65|| [14]) conf. e. g. nat. quaest. V 17, 5|| [15]) conf. dial. V 10, 1; conf. etiam epist. 68, 5; dial. III 7, 1; IX 4, 8; V 13, 6; de benef. II 1, 3; etc. De collocatione particulae *itaque* conf. Rauschning l. c. pag. 52|| [16]) conf. Carolum Naegler 'de particularum usu apud L. Annaeum Senecam philosophum' Halis 1873 pag. 8|| [17]) conf. e. g. de benef. III 10, 3; VI 26, 2. 25, 5; VII 26, 2; epist. 7, 3; 47, 5; 99, 15. 24; dial. V 23, 3; VI 4, 1; VIII 8, 2; IX 15, 5; X 14, 4|| [18]) conf. de benef. IV 11, 2|| [19]) conf. e. g. epist. 100, 10; de benef. V 6, 6|| [20]) conf. de hoc asyndeto et de similibus, quae infra sequuntur, Rauschning l. c. pag. 19||

fensa donari[1]. sic curari ex*ulce*ratam[2] amicitiam decet, ut sine cicatrice[3] sanetur.

Quaeramus a venientibus, quid absentes agant, debitoribus illorum instemus[4], creditoribus respondeamus, inimicis resistamus. si aut.....

(*perierunt folia minimum sex.*)

<*FRAGMENTUM II.*>

.....

fol. 15ᵛ quaeritis; itaque momento[5] amicitiae vestrae exolescunt[6], quarum mensa[7] maximu*m* pignus est.

[8]Una peregrinatio[9] eradit animo[10] ius omne; si vero longior[9] haec est et longinquior[9], excidit[11] notitia[12] [13]quoque, non tantum[13] amicitia. Quod ne possit accidere, omni ope resistamus[14], et fugientem memoriam reducamus; utamur, ut[15] in prima parte[16]

fol. 15ʳ dicebam[15], animi velocitate[17], neminem a nobis amicum abesse patiamur, in animum subinde[18]

[1]) conf. e. g. dial. V 11, 1; de clem. I 20, 2; II 7, 1|| [2]) supplevit Augustus Luchs amicus; conf. dial. V 9, 3; IX 17, 3; XII 1, 2; conf. etiam III 20, 3; V 17, 4; epist. 66, 47; 92, 25 etc. et Ottonem Rauschning l. c. pag. 30|| [3]) conf. de benef. VI 26, 2; nat. quaest. III 15, 6; epist. 2, 3; dial. III 16, 7; IV 35, 3; VI 1, 5; VII 15, 5; XII 2, 2. 15, 4; de clem. I 17, 2|| [4]) conf. e. g. dial. V 1, 2; IX 2, 2; de benef. IV 40, 4; VII 14, 5; conf. etiam VI 39, 2; etc.|| [5]) conf. dial. VI 7, 2. 16, 8; IX 14, 9; X 1, 4. 10, 5; XII 17, 2; nat. quaest. I 4, 2; III 27, 2. 30, 6; VII 16, 3. 22, 1; de clem. I 19, 5; de benef. II 29, 5. 30, 2; epist. 4, 7; 58, 23; 91, 6|| [6]) conf. e. g. nat. quaest. VII 12, 8. 30, 5|| [7]) conf. de remed. fortuit. 15, 2; conf. etiam dial. III 2, 2; V 15, 3; IX 7, 2; epist. 47, 15; nat. quaest. III 17, 2; de benef. IV 38, 2; etc.|| [8]) de sententia, quae sequitur, conf. e. g. epist. 55, 9—11|| [9]) conf. epist. 28, 1; 90, 39; 63, 8; dial. VIII 5, 2; XII 17, 2|| [10]) conf. epist. 104, 20 *ex animo erade*; conf. etiam de benef. VII 19, 5; VI 2, 3; epist. 91, 10; 11, 6|| [11]) conf. de benef. I 2, 5; III 3, 2. 5, 1; VII 28, 2; epist. 53, 9; de clem. II 3, 1; apocol. 5 init. (ed. Buecheler); etc.|| [12]) conf. e. g. dial. VII 17, 2; de benef. V 25, 2; nat. quaest. I 17, 4; II 3, 1; II, 51; VI 32, 8; VII 31, 1; epist. 94, 25; 47, 8; 31, 10; etc.|| [13]) conf. epist. 14, 3|| [14]) conf. e. g. de benef. III 14, 4|| [15]) conf. e. g. epist. 56, 11; 57, 6|| [16]) conf. e. g. nat. quaest. VI 23, 4; de benef. II 1, 1|| [17]) conf. e. g. de benef. II 29, 5|| [18]) conf. e. g. dial. I 4, 9; V 5, 3. 27, 5. 28, 1; IX 2, 6. 5, 5. 17, 8; X 7, 8; XI 10, 5; XII 20, 1; nat. quaest. I 15, 3; II 59, 2; VI 32, 12; de benef. II 24, 1. 27, 2; III 5, 1; IV 37, 1. 40, 2. 4; VI 27, 6; VII 2, 2. 21, 2; etc.||

nostrum revertantur; futura[1] nobis promittamus[2], praeterita[1] repetamus[3]:

sic ille manus, sic ora ferebat (*Verg. Aen. III 490*).

imago effingatur animo notabilis[4] et e vivo[5] petita, non evanida[6] et muta.

sic ille manus, sic ora ferebat[7]:

adiciamus[8] illi, quae magis ad rem pertinent[9]:

fol. 10ᵛ sic[10] loquebatur, sic[10] hortabatur, sic[10] deterrebat, sic[10] erat in dando consilio expeditus[11], in accipiendo facilis, in mutando non pertinax[12]; sic[10] solebat beneficia[13] libenter dare[15], patienter[14] perdere[13]; sic[10] properabat benignitas[15] eius, sic[10] irascebatur, eo vultu[16] ab amico vincebatur[17], quo[16] solent vincere[17]; [18]ceteras virtutes[18] pererremus[19], in harum usu tracta-

fol. 10ʳ tuque versemur. Et si plures eodem tempore[20] ab-

[1]) conf. A. Hoppe '*Ueber die Sprache des Philosophen Seneca*' I (Laubanae 1873) pag. 9 sq.|| [2]) conf. e. g. epist. 13, 10; 80, 2; 100, 4; 101, 5; dial. IX 13, 2; de benef. III 18, 2; nat. quaest. VI 1, 1. 14; IV 3, 2; I 6, 1; fragm. 37 (ed. Haase)|| [3]) conf. e. g. dial. X 3, 3; etc.|| [4]) conf. nat. quaest. III 16, 2. 25, 1; VI 26, 4; epist. 5, 1; 33, 1; 56, 2; 84, 4; 86, 13; 122, 14; dial. III 2, 2; V 21, 5. 26. 3; VII 2, 3. 12, 2|| [5]) conf. e. g. dial. IX 16, 1; conf. etiam Aemilium Opitz 'de latinitate Senecae' pag. 14—22; A. Hoppe l. c. pag. 10 sq.|| [6]) conf. e. g. epist. 35, 3; 122, 4; nat. quaest. I 14, 2; III 13, 1|| [7]) eiusdem versus repetitio alibi quoque similiter occurrit: conf. epist. 104, 24; 108, 24 sqq.; conf. etiam 117, 23 sq.; de benef. VII 24|| [8]) conf. e. g. nat. quaest. VI 1, 3; III 7, 3. 10, 1. 13, 1. 30, 3; I 2, 6. 6, 5; de benef. III 8, 2. 33, 2. 3; IV 21, 5; V 17, 3; VI 17, 2. 23, 4; VII 26, 4; de clem. I 2, 1. 16, 5; II 6, 1; dial. I 3, 1; II 17, 5. 18, 1; V 4, 2. 5, 7. 19, 5; VI 22, 3; VII 17, 2. 26, 5; IX 2, 6. 15, 3; X 3, 2; XI 3, 1; XII 4, 3; epist. 24, 23; 47, 8; 58, 19; 74, 15; 78, 12; 81, 3; 83, 21; 92, 12. 22; 94, 37; 95, 65; 99, 11; 115, 16; 117, 31; 120, 8; etc.; Ottonem Rauschning 'de latinitate etc.' pag. 10. 48|| [9]) conf. e. g. epist. 82, 9; dial. IV 21, 9; V 19, 1; VI 18, 9; X 13, 5; XII 10, 10; de benef. I 3, 2. 3, 9 sq.; II 12, 2; V 6, 7; VII 1, 2; etc.|| [10]) conf. de benef. IV 33, 2; epist. 94, 11; 95, 7; dial. V 15, 3; nat. quaest. VII 23, 2; Ottonem Rauschning l. c. pag. 22 sq.|| [11]) conf. e. g. de clem. II 6, 1|| [12]) conf. e. g. epist. 75. 11|| [13]) conf. e. g. de benef. III 6, 2; II 13, 3; III 7, 1; VII 30, 1. 32, 1; I 2, 1 sq. 4, 3. 10, 4. 1, 1|| [14]) conf. e. g. epist. 76, 23; 67, 3. 6|| [15]) conf. de benef. II 5, 4|| [16]) conf. de benef. IV 32, 4; dial. III 16, 5; epist. 30, 3; conf. etiam dial. VII 20, 3; XII 13, 4; IV 7, 1|| [17]) conf. e. g. de benef. IV 32, 2; etc.|| [18]) conf. e. g. epist. 113, 8. 12|| [19]) conf. dial. X 2, 4; conf. etiam nat. quaest. III praef. 6; apocol. 5, 3; epist. 101, 6; 108, 19|| [20]) conf. e. g. dial. XI 17, 5||

sunt, velut sparsa[1] pluribus locis membra[2] familiaritatis[3] nostrae colligamus[2]: nunc hic, nunc ille in ore[4] animoque sit. Ubi[5] mentis lassitudinem[6] pones[7], nulla tantum possit vetustas[8], ut memoriam amicitiae exedat[9], a[10] qua iner*ti*[11] ingenio periculum est[10], cu*i*us haec esse interdum excusatio[12] solet: ‘intra[13] me est, quam valde illum amem, conscientia mea con*ditum*’ . . . . . .

(*perierunt folia minimum tria.*)

<*FRAGMENTUM III.*>

. . . . . .

fol. 40ᵛ [14]*notitia animi esse cer*tior debet, quia vultus incertus est. Magnos humanum pectus recessus[15] habet: quidquid est, quo placet virtus, eo fraus adumbratur[16], et cogitationibus pessimis facies benignissima obducitur[17]; nec facile nisi peritus intellegas, [18]quid intersit inter[18] animum[19] amici et colorem[19].

Hoc sibi quisque proponat[23], quo minus facile [20]admoni*ti*o[21]
fol. 40ʳ fucatis[24] capiatur[25] officiis[25]: rara res est amicitia, de prehen<*den*>dis[22] amicis[20]

[1]) conf. e. g. nat. quaest. III praef. 1; de benef. I 9, 5; epist. 94, 29; 19, 1|| [2]) conf. de clem. I 7, 1|| [3]) conf. e. g. de benef. V 25, 2; dial. IX 10, 2; epist. 38, 1|| [4]) conf. e. g. epist. 95, 53|| [5]) sic certo legere mihi visus sum in codice|| [6]) conf. e. g. dial. IX 17, 7; epist. 123, 1. 4; dial. I 4, 15; IV 19, 4. 20, 2; V 9, 1. 3; VI 11, 4. 20, 1; IX 2, 6. 12, 4; XII 7, 3; epist. 63, 12; 94, 22; 99, 12; 120, 10. 18|| [7]) conf. e. g. dial. IX 17, 7; VI 3, 2; epist. 11, 1; 75, 9|| [8]) conf. e. g. nat. quaest. VI 10, 2; dial. VI 1, 4. 21, 1. 26, 6; X 15, 4; XI 18, 2; XII 7, 8; epist. 15, 5; 90, 17; 91, 12; de benef. III 2, 3; etc.|| [9]) conf. nat. quaest. II 26, 5; IV 2, 10; VI 7, 4. 9, 2; epist. 79, 2; 80, 6; 101, 8|| [10]) conf. e. g. dial. IV 20, 3; epist. 103, 1; conf. etiam de benef. VI 32, 4|| [11]) *in|erit* ex *i|nerit* correctum, ut videtur, codex|| [12]) ***excufati***, ut videtur, codex; conf. e. g. dial. XII 16, 2|| [13]) conf. e. g. epist. 104, 21; etc.|| [14]) haec verba e. g. supplevit Niebuhr|| [15]) conf. e. g. nat. quaest. III 9, 1. 16, 4. 28, 3; V 14, 1; VI 13, 3. 24, 2; dial. IX 1, 1|| [16]) conf. e. g. dial. XI 5, 4|| [17]) conf. e. g. dial. V 25, 4; VI 1, 5|| [18]) conf. e. g. epist. 75, 11; 90, 28; conf. etiam 83, 11; etc.|| [19]) conf. epist. 22, 16|| [20]) haec verba addidit primi correctoris manus tachygrapha in codicis margine|| [21]) *admonicio* codex|| [22]) *p(re)hendis* codex|| [23]) conf. dial. IX 15, 4; epist. 13, 11. 12; etc.|| [24]) conf. epist. 115, 2; dial. VII 7, 3; conf. etiam XII 5, 6; IX 1, 3; etc.|| [25]) conf. e. g. epist. 95, 47; conf. etiam nat. quaest. IV praef. 3||

<*non*>[1] vulgaris[2] aut exposita[3], ut inplere[4] totas domos[4] possit, <*ut*>[5] vulgo sibi homines persuasere. An[6] aurum ingenti opera legi creditis, cuius [7]ubique quaesiti[7] vix sub aliquo monte vena[8] deprehenditur; amicum autem ubique inveniri sine ullo labore, sine ulla investigatione? Quid enim?[9] tam simplex apertumque est? Atqui non tam [10]in alto latet[10] aurum argentumque[11] . . . . . .

(*perierunt duo aut quattuor aut sex folia.*)

fol. 43ᵛ Incipit eiusdem

ANNAEI SENECAE DE VITA PATRIS

feliciter scribente me Niciano die et loc(o) s(upra)s(criptis)[12].

Si quaecumque composuit[13] pater meus et edi[14] voluit, iam in manus[15] populi emisissem[16], ad claritatem[17] nominis[18] sui satis sibi ipse pro-

[1]) *non* addidit Haase|| [2]) conf. de benef. I 11, 5. 14, 1; II 2, 2; III 9, 1. 23, 3. 28, 5. 33, 3; VI 34, 3; VII 17, 1. 27, 3; nat. quaest. III 1, 2; VI 2, 7. 32, 3; dial. II 3, 2. 6, 10; V 37, 1. 40, 2; VI 25, 3; IX 17, 11; XI 14, 2; XII 1, 3; epist. 36, 6; 81, 12. 21; 88, 21; 90, 2; 122, 6. 9; de clem. I 2, 2|| [3]) conf. e. g. de benef. IV 16, 3; epist. 4, 10 ex incerta Erasmi coniectura; 55, 6; dial. IV 16, 3; Barthium ad. Stat. Theb. II 188|| [4]) conf. e. g. Sen. de benef. VI 43, 1. De forma accusativi *domos*, qua Seneca constanter utitur, conf. Fridericum Neue ‘*Formenlehre*’ I² pag. 521; Sen. dial. IX 12, 2; X 14, 3; XI 16, 4. 5; XII 7, 1; nat. quaest. VI 1, 7. 30, 5; epist. 66, 8; 90, 43; 114, 9; fragm. 67|| [5]) *ut* addidit Haase|| [6]) conf. Carolum Naegler ‘de particularum usu etc.’ pag. 25|| [7]) conf. e. g. de benef. VII 14, 2; etc.|| [8]) conf. dial. XII 9, 1; epist. 23, 5; 90, 12; nat. quaest. III 15, 1—3; V 15, 2; dial. V 35, 5|| [9]) conf. epist. 24, 17; de benef. IV 11, 4. 35, 1; nat. quaest. VII 27, 4|| [10]) conf. e. g. epist. 23, 5; dial. I 6, 9; nat. quaest. VI 27, 2; (de benef. VII 1, 5, at conf. Gertzium ad hunc locum)|| [11]) conf. epist. 5, 3; 94, 56; 95, 73; 110, 14; 115, 5. 11; nat. quaest. I 17, 8; III 15, 3; dial. II 12, 2; III 21, 2; V 33, 1; VII 25, 1; XII 9, 1. 12, 3; de benef. VII 10, 4|| [12]) conf. quae de vocabulis *supra* et *scriptus* intra unius verbi corpus a librariis coniunctis dixi in ‘Dissertationibus philologicis Argentoratensibus’ vol. IX pag. 21|| [13]) conf. e. g. dial. IX 1, 13. 6, 3; XI 2, 6. 8, 2. 18, 9; XII 1, 2. 9, 4; nat. quaest. III praef. 5; conf. etiam dial. VI 2, 5. 26, 5; epist. 100, 2; dial. X 12, 4; de benef. III 26, 2; etc.|| [14]) conf. e. g. de benef. IV 28, 4|| [15]) conf. e. g. dial. VI 1, 4|| [16]) conf. e. g. de benef. VI 32, 1; dial. VI 4, 3|| [17]) conf. e. g. epist. 102, 3. 8. 9. 11. 14. 17. 18|| [18]) conf. e. g. de benef. III 29, 7; epist. 91, 16; 64, 3; dial. VI 2, 1. 10, 1; de benef. V 14, 5; etc.||

fol. 43ʳ spexerat[1]. nam nisi me decipit pietas, cuius honestus etiam error est, inter eos haberetur, qui ingenio meruerunt, ut puris et inlustribus[2] titulis[3] nobiles[4] essent. quisquis legisset eius historias ab initio bellorum civilium, unde primum veritas retro[5] abiit, paene usque ad mortis suae diem, magno aestimasset[6] scire, quibus natus esset parentibus ille, qui res Roma*nas* . . . . . .

(*reliqua perierunt.*)

[1]) de hoc indicativo conf. Aemilium Opitz 'de latinitate Senecae' pag. 23|| [2]) conf. e. g. de benef. III 16, 2. 28, 2; epist. 21, 2; 66, 33; 83, 13; dial. VI 16, 4. 23, 4; etc.|| [3]) conf. epist. 88, 38; 21, 4; de clem. I 14, 2; nat. quaest. I 17, 9; dial. IX 2, 5; VII 12, 5; III 21, 3; Ottonem Rossbach 'disquisitionum de Senecae filii scriptis criticarum capita II' Vratislaviae 1882 pag. 26|| [4]) conf. e. g. de benef. III 16, 2. 28, 2; dial. XII 11, 3; etc.|| [5]) conf. epist. 1, 2; 44, 7; 58, 8; 66, 7; 71, 35; 75, 9; 82, 12; 122, 18; de benef. VI 2, 3. 33, 2; nat. quaest. III 15, 5. 27, 10; VI 13, 1. 15, 1. 32, 6; VII 21, 2. 25, 5; dial. I 3, 7; III 17, 4; V 1, 1|| [6]) *magno aestimare* scripsit Seneca dial. IV 36, 6; V 31, 3. 34, 2; VII 14, 3; IX 1, 11; X 7, 8; XII 16, 6; nat. quaest. II 59, 7; III praef. 14; de benef. IV 6, 3 (ubi codicis Nazariani manus secunda *magni* correxit); V 3, 1. 6, 7; VI 34, 1; epist. 104, 34; conf. etiam de benef. I 8, 2 (*parvo*); dial. V 32, 2 (*quanto*); etc. Idem autem *magni aestimare* scripsit de benef. I 1, 8; nat. quaest. VI 2, 4; epist. 95, 55; conf. etiam dial. VII 24, 5 et de benef. VI 15, 7 et nat. quaest. I praef. 16 et IV praef. 16 et epist. 73, 11 (*quanti*); de benef. II 28, 1 (*tanti — quanti*).

Non ad unum omnia similibus exemplis Annaeanis confirmari posse apparet, nec desunt loci, de quorum lectione vel interpretatione dubitem (conf. fr. I med. *contrahat plurimum*; fr. II sub finem *Ubi . . . pones*; de vit. patr. *puris et inlustribus titulis*).

Supra pag. XV *fol.* 39ᵛ vers. 4 deleas typographi sordes inter ABSEN et TE.

Vale, Vir Doctissime, et me amare perge.

Scribebam Vratislaviae id. Nov. a. 1887.

L. Annaei Senecae, quem philosophum appellamus, libros soluta oratione conscriptos, cum summo aequalium favore excepti essent atque generosa Neronianae tyrannidi adversantis morte nobilitati et quodam modo confirmati, sub Flaviorum imperio acriore etiam studio lectitatos neque Quintiliani superciliosa improbatione aut Frontonianorum rusticis conviciis ita oppressos esse, ut rarius legerentur, ipsa ostendunt verba, quibus scripta eius *ex adulescentium manibus extorquere* conabantur.[1]) nam apud grammaticos pertenuem Senecae librorum memoriam superesse non obiciet is, qui consideraverit, quam rarae apud hunc voces et dictiones inusitatae sint, quas illi fere solas venabantur. itaque patres ecclesiae non e tenebris eos in lucem protraxerunt, sed scriptoris ex rhetorum disciplina, qua ipsi adulescentes in scholis imbuti fuerant, notissimi sententias morales acute et eleganter expressas in usum suum converterunt. id quod probant exiles et insulsae epistulae Senecae et Pauli ante Hieronymi aetatem ab homine quodam Christiano ideo fictae, ut apostoli nomini religionis tantum suae sectatoribus noto laudem etiam apud paganos pararet; probat ipsum patrum quorundam dicendi genus, quod haud raro etiam iis locis, quibus Senecam non exscribunt, prope ab Annaeano abest. utebantur igitur libris moralis philosophiae, exhortationibus, libris de superstitione, de

[1]) Et Quintilianus (inst. orat. X I, 126) et Gellius (XII 2, 2) Senecam ideo a se vituperari, quod Ennium, Ciceronem, Vergilium improbaverit, libere profitentur. accedebat quod ille grammaticos, philologos, historicos nunquam non contemptui habuit. (v. epist. mor. VI, 6, 5; XIII 2, 17; 3, 3 sq; XVIII 5, 23, sq; apocoloc. 5, 4; nat. quaest. III praef. 5 sq; VII 16, 1 sq.), philosophos non solum saepissime laudat, verum etiam contra calumnias quasdam defendit. quare etiam nat. quaest. VI 26, 3 eum scripsisse puto: *hanc* (Delon) *philologi* (*philosophi* cdd.), *credula natio, dixerunt non moveri auctore Pindaro.* quid enim cum Pindaro est philosophis?

matrimonio, de immatura morte et pauca ex iis fragmenta servaverunt, orationes tamen, quibus ille apud aequales non minorem famam quam philosophiae libris adeptus erat et carmina minora, quia nimirum nihil in iis inesset, quod ad mores emendandos spectaret, illis temporibus videntur periisse.

id vero patrum ecclesiasticorum laudibus effectum est, ut philosophiae librorum magna pars medio, quod dicere solemus, aevo et legeretur multum et describeretur. mox tamen ea quae supererant scripta novum detrimentum ceperunt. magis enim magisque aucta Latini sermonis imperitia existebant homines commodo legentium servientes, qui aut sententias illas, quas Seneca tanquam lumina orationi suae inseruerat, ex variis eius scriptis excerperent aut singulos libros servato disputationis ordine in angustum contraherent. quare factum est, ut integer dialogus de remediis fortuitorum et is liber, quo Martinus Dumiensis saeculo sexto in componenda *formula honestae vitae* usus erat, perirent. supererant tamen et describebantur libri quidam, quorum hodie praeter fragmenta Palatina rescripta de amicitia et de vita patris omnis memoria evanuit.

ac ne turbis quidem et barbarie saeculi septimi aut octavi studia librorum Senecae oppressa esse constat ex chronicis Casinensibus (*Monumenta Germaniae historica,* script. VII p. 746), quibus traditum est Desiderium, Langobardorum regem, praeter alios scriptores Latinos *Senecam* in illo monasterio describi iussisse.[2]) praeterea habemus etiam nunc eodem saeculo exaratum librorum de beneficiis et de clementia codicem Nazarianum.[3]) ex talibus igitur codicibus manaverunt epistularum prioris et posterioris voluminis et dialogorum libri, qui saeculis nono, decimo, undecimo scripti in bibliothecis Parisina, Bambergensi, Laurentiana, Ambrosiana asservantur. eiusdem aetatis sunt catalogi vetusti bibliothecarum monasterii Laureshamensis, Sangallensis, Pomposiani, Schaffhusiani (Allerheiligen), quinti cuiusdam ignoti, in quibus qui enumerantur codices Annaeani omnes fere videntur periisse[4]). praeterea saeculo decimo Ratherius, episcopus Veronensis crudi-

[2]) v. catalogum monasterii Casinensis saeculi XII apud G. Becker *Catalogi bibliothecarum antiqui,* Bonnae 1885 nr. 119, 18 *Senecam magistri amici, quem abemus pro alio. Seneca monasterii in pignore I,* ibid. 12 *Seneca de beneficiis I.*

[3]) v. infra p. 14.

[4]) G. Becker nr. 15, 321; 333; 23, 19; 37, 381; 382; 389; 69, 94; 70, 26.

tissimus, librorum de beneficiis et de clementia locos quosdam commemorat.[5])

crebrius etiam saeculis duodecimo et tertio decimo Senecae libros descriptos et lectitatos esse et ex magno huius aetatis codicum numero apparet[6]) et ex frequenti, quae fit librorum eius in bibliothecarum catalogis illo tempore compositis, mentione.[7]) neque pauci ores loci Senecae apud Abaelardum[8]), Ioannem Saresberiensem[9]), Vincentium Bellovacensem[10]), Othonem Frisingensem[11]), Emonem[12]),

[5]) *Ratherii opera ed. Migne* (patrologiae tom. CXXXV) p. 172 sq., 181, 323.

[6]) una bibliotheca Parisina nationis quae dicitur triginta et quod excurrit codices Senecae illis saeculis scriptos habet.

[7]) G. Becker no. 79, 284; 80, 231; 86, 104; 107—110; 114, 72; 116, 37; 117, 22; 119, 12; 18; 127, 153—156; 136, 333; 337. add. L. Delisle *Cabinet des manuscrits,* II p. 454 nr. 247, p. 495 nr. 30, p. 502 nr. 257.

[8]) v. *Hermes* XVII (1882) 375 adn. 2.

[9]) v. ibidem p. 375 adn. 3.

[10]) plurima in eius *speculis* ex omnibus Senecae libris excerpta sunt, sed praeter naturales quaestiones nondum ita ut par est a viris eruditis adhibita. catalogus librorum Annaeanorum hic ab eo proponitur *specul. histor.* VIII 102 (vol. IV p. 309 ed. Duacensis a. 1624): *Porro Claudius, ut in chronicis legitur, anno aetatis suae LXIV in palatio moritur. de cuius scilicet morte Seneca, successoris eius Neronis praeceptor, eleganti metro lusisse reperitur. praeter hunc autem librum, qui dicitur ludus Senecae de morte Claudii, scripsit etiam idem Seneca libros morales perutiles: ad Eburcium liberalem de beneficiis libros VII, ad Neronem de clementia libros II, ad Paulum vero de quatuor virtutibus librum unum. scripsit quoque libros de moribus et librum de remediis fortuitorum. libros quoque de immatura morte, de causis naturalibus sive quaestionibus libros VII, libros quoque declamationum V, de sententiis diversorum oratorum librum I, tragedias quoque decem, epistolas autem ad Lucium Balbum plurimas et ad Paulum apostolum nonnullas.* apocolocyntosin igitur, quam Ioannes Saresberiensis (v. *Hermes* l. c.) non noverat, habebat et declamationes filii, non patris esse putabat. librorum de immatura morte notitiam non aliunde nisi ex Lactantio petivit (v. Haasii edit. vol. III p. 423 adnot.). epistularum quod nullam sententiam commemorat, quae post librum decimum tertium legitur, prius tantum volumen cognovisse videtur. ceterum Balbi cognomine amico, ad quem Seneca epistulas dedit, male indito explicatur fortasse, cur Ioannes Saresberiensis *sententiis diversorum philosophorum* sine nomine in codicibus traditis nomen Caecilii Balbi imposuerit. constat enim hunc Senecae amicum per medium aevum notissimum fuisse et liberrime Ioannem in libris anonymis scriptoribus, qui nunquam fuerant, tribuendis eorumque nominibus fingendis vel immutandis versatum esse.

[11]) *Monumenta Germaniae historica* script. XX 162 sq.

[12]) ibid. XXIII 529 et 531.

Menkonem[13]), Albricum[14]), alios saeculorum duodecimi et tertii decimi scriptores commemorantur. ex indicibus autem librorum eius, quos Ioannes et Vincentius composuerunt, omnes Senecae libros integros, qui hodie extant, praeter dialogos tunc in Britannia et Gallia notos fuisse perspicitur.

iam vero iis, quae insecuta sunt, temporibus et renascentium litterarum aetate studia Annaeana novum incrementum ceperunt. quamquam autem oratio librorum saepissime descriptorum et perverso emendandi studio vexatorum interdum tantopere immutata est, vix ut Senecam agnoscas, quidam eorum, velut dialogi et apocolocyntosis, antea paucis cogniti tunc demum in vulgi notitiam pervenerunt. peculiares huic aetati, quamquam quosdam iam saeculo decimo tertio exaratos esse constat, magni quidam sunt voluminis codices, quibus omnes aut quam plurimi libri Annaeani comprehendebantur. hoc igitur modo factum est, ut, quamvis plurimos optimosque codices ante haec tria saecula periisse constet, vix ulla sit per Germaniam, Galliam, Italiam, Britanniam, Hispaniam bibliotheca paullo vetustior, quin unum certe aut plures Senecae libros manu scriptos habeat.

apparet iam ex his librorum Senecae fatis, quae primis tantum lineis adumbravimus, parum probabiliter quosdam hodie opinari artem criticam ad paucos quosdam codices vetustos, qui ad aetatem nostram pervenerint, dirigendam esse, recentiores vero, quippe qui ex illis vel simillimis eorum ad unum omnes derivati sint, abiciendos. cui opinioni patrocinatum quodam modo est exemplar Fickertianum, in quo quamquam prima iustae recensionis fundamenta iacta sunt, cum farrago omnium omnis generis et aetatis codicum neglegenter fere collatorum congesta sit et saepe genuinis vetustiorum librorum scripturis recentiorum interpolationes praelatae, fieri non poterat, quin saepe cum pravis eorum lectionibus spernerentur etiam optimae.

ergo necessarium erat, ut denuo bibliothecae pervestigarentur, num codices vetustiores adhuc incogniti ex iis protrahi possent et recentiores diligentius, quam ante factum erat, examinarentur. quod negotium quamquam incohatum a me potius quam ad finem perductum esse haud ignoro, tamen, quae repperisse

[13]) ibid. p. 481.
[14]) ibid. pag. 793.

mihi videor, hic proposui eam maxime ob causam, ut alios quoque ad examinandos codices Annaeanos incitem, quorum sat multi in iis bibliothecis, quas mihi aut non visere aut non exhaurire licuit, asservantur. adiunxi de orthographia, de singulis quibusdam locis, de libellis, qui sunt de remediis fortuitorum et de formula honestae vitae, medio aevo in epitomas redactis observationes de naturalibus quaestionibus, de quarum codicibus superiore anno prudenter G. G. Muellerus disputavit in dissertatione Bonnensi, cui inscripsit: *De L. Annaei Senecae quaestionibus naturalibus,* alius dicendi erit locus. in codicum aut primum aut denuo adhibitorum scripturis indicandis et forma describenda aliis fortasse iusto brevior, aliis verbosior videbor, eam tamen mihi legem scripsi, ut eos tantum libros, qui nondum innotuerunt, prolixius describerem, neque integra lectionis discrepantia indicata disputationis cursum interrumperem, nisi exiguum locum occuparet.

restat, antequam ad singulos Senecae libros accedamus, gratissimum officium, ut viris inlustrissimis, qui instituto imperii Germanici archaeologico praesunt, amicis, bibliothecarum praefectis, qui studia mea egregia liberalitate et benevolentia promoverunt, quas debeo gratias publice profitear.

I.

De dialogis recensendis.

Duodecim dialogi, quos Ambrosianos appellare liceat[1]), medio aevo ceteris Senecae libris multo rarius lectos esse iam inde apparet, quod nemo, quod sciam, eius aetatis scriptor eos commemoravit neque in catalogis bibliothecarum vetustis eorum mentio fit[2]). superest tamen codicum, quibus servati sunt, manu scriptorum numerus haud ita parvus. inter quos cum et aetate et bonitate primarium locum Mediolanensis Ambrosianus C 90 inf. saeculi X—XI (A apud Fickertum et Gertzium) teneat, mirum non est, quod, cum iam Fickertus (vol. III p. III) reliquos multo deteriores esse dixisset, Madvigio praeeunte[3]) H. A. Kochius[4]) et Gertzius illos tanquam ex ipso A vel ex codicibus ei simillimis derivatos aut prorsus abiecerunt aut vix dignos putaverunt, quorum lectiones commemorarent. attamen si paullo accuratius eorum adnotationes perlustraveris, haud paucos locos invenies, quibus *deteriorum* illorum lectiones iis, quas A habet, praelatae sint. ac ne Gertzium quidem, qui ut codicem A Kochio multo diligentius contulit, ita reliquis accuratius in hanc quoque rem inquisivit, fugit quasdam recentiorum codicum scripturas ex A solo derivari non potuisse. sed cum multa iis menda cum illo

[1]) Dialogorum nomen praeter Mediolanenses ad libros de beneficiis, de clementia, de remediis fortuitorum, alios qui perierunt, pertinere demonstravi *Hermae* vol. XVII (1882) p. 365 sq.

[2]) qui in catalogo saeculi XII coenobii montis S. Michaelis (G. Becker l. c. 80, 231) memoratur *Senecae ad Novatum lib. I*, num libros de ira continuerit, quae est G. Beckeri sententia, dubito. fieri etiam potest, ut declamationes Senecae rhetoris significatae sint, quibus ob praemissam patris ad Novatum, Senecam, Melam filios epistulam nomen illud in codice Parisino 8542 impositum est. v. Meloti catalogum vol. IV nr. 8542.

[3]) *Adversaria critica* II 338 sq.

[4]) *Senecae dialogorum libri duodecim ex rec. H. A. Koch, editionem Kochii morte interruptam absolvendam curavit I. Vahlen*, Ienae 1879 p. XIII.

communia esse vidisset, multa, quae is sana haberet, depravata, eum ipsum ceterorum omnium parentem dicere non dubitavit[5]). quam sententiam nuper ita mutavit, ut quosdam codices deteriores non ex Ambrosiano descriptos esse putaret, sed ex alio quodam archetypi eius apographo[6]). tam exiguum tamen fructum ex iis ad dialogorum emendationem capi existimat, ut profiteatur[7]) *nullam olim extitisse textus traditionem ab ea quam Ambrosianus exhibeat ita diversam, nedum ita meliorem, ut non solo Ambrosiano ad textum constituendum contenti esse possimus.* quaecunque vero illi bona praebent, ea praeter unicum lacunae cuiusdam (de ira III 8, 8 p. 126, 24 Gertzii) supplementum a scribis lectoribusve coniecturis reperta esse dicit.

at erravit vir de Senecae scriptis optime meritus. nam eorum quidem vitiorum, quibus A cum deterioribus congruit, origo iam ex eo archetypo, ex quo et hic et illi manaverunt, repetenda est. quem Ambrosiano aliquanto vetustiorem fuisse historia critica librorum Senecae et similibus aliorum scriptorum fatis consideratis negari vix potest. liberum autem esse A multis vitiis, quibus omnes codices recentiores inquinati sunt, mirandum non est, quod, quoscunque Fickertus adhibuit, saeculo XIV vetustiores non sunt, quo quanta damna omnes scriptores Latini a librariis, quae non intellegebant, mutantibus passi sint, nemo nescit. nam Ambrosianum B 2 sup. (D apud Fickertum vol. II p. XII), quem saeculo XIII vel XIV ineunte scriptum esse Branca et Bugatus indicaverant, saeculo XIV attribuendum esse testis oculatus affirmo. Laurentianus autem LXXVI 32, quem Gertzius primus examinavit et qui ab aliis[8]) saeculo XII scriptus esse dicebatur, illi *certe uno saeculo recentior* visus est, tres tantum libros de ira continet necdum totus excussus est[9]).

iam vero nonnullos eorum locorum afferamus, ex quibus codices quosdam recentiores neque ex A neque ex codice ei simillimo fluxisse apparet. omittam consulto eos, quibus ob ra-

[5]) *Studia critica in Senecae dialogos*, Hauniae 1874 p. 37 sq.

[6]) *Senecae dialogorum libros XII ad codicem praecipue Ambrosianum rec. M. C. Gertz*, Hauniae 1886 p. XXV sq.

[7]) ibid. p. XXVIII.

[8]) Bandinius in *Catalogo codicum Latinorum bibliothecae Laurentianae* vol. III p. 105 saeculo XIII ineunti eum tribuit.

[9]) v. Gertzii edit. p. XXX.

suras vel alias ob causas, quid manu prima in A scriptum fuerit, non liquet[10]).

p. 55,16 Gertzii *regium est illud et principale* E P_2 L cod. Pinciani, *regumē illud et principale* A

56,24 *crudelius est? quid homine* V B D E Pinciani vetus lectio, *crudelius est homine* A

65,14 *ullius boni* V B L, *illius boni* A

79,5 *inde est quod adridemus* L[11]), *id est quod adridemus* A D (p. m.) E Col.

126,24 *ante quam robur accipiat: alit* L alii, *robur accipiat* om. A β P_3 Col.

175,19 *amet ut recessura* F D (m. 2) Cuiacianus Bongarsii, *ametu ire . cessura* A

177,1 *in metus et in dolores* VP_2[12]), *in multos et in dolores* A

190,2 *officia volventem* omnes praeter A, qui *officia volentem* habet

255,5 *inter officia divisis* recentiores, *inter officia divitis* A

293,8 *incendi*[13]) *vivus* Bongarsianus (idem coniecit Pincianus), *escendit iussus* A

330,10 *cupieris haurias* pars librorum veterum Mureti, *caeperis haurias* A

[10]) ne eorum quidem locorum, quibus codices recentiores, quamquam corrupti sunt, propius ad veram lectionem accedunt quam A, ullum attuli. de vit. beat. 13, 3, ubi de Epicuro sermo est, et A et illi depravati sunt, sed quod Madvigius (*Advers. crit.* I 32) in huius scriptura *et inscriptio ipsa excitans animum quae statim venerunt vitia* latere putat: *quae stat, invenerunt vitia,* probari nequit. neque enim unquam Seneca dicendi genere tam obscuro usus est: saltim addere debebat voculam *eam.* praet ea num standi verbum hic aptum sit, valde dubito. contra quae DE habent *excitans animum ad ea depellenda quae statim (statura* D*) venerunt vitia* et quae P_3 ex. Fac. et Prim. (similiter V Col. ex. Pinc.) *excitans animum quae statim enervant cum venerunt vitia,* corrupta illa quidem sunt, sed viam veri inveniendi monstrare videntur. scriptum fuisse puto: *excitans animum, at ea depellenda, quae statim enervat, cum venerunt vitia.* apparet, quam facile verba *enervat cum* ante *venerunt* excidere potuerint. de re v. epist. moral. II 9, 10.

[11]) hunc locum inter eos, qui a librariis correcti sint, numerat Gertzius. sed si diligentius eum consideraveris, quam difficilis sit eius emendatio, intelleges. — codicum notis iisdem utor quibus Fickertus et Gertzius.

[12]) praefero hanc scripturam a Madvigio commendatam ei, quam Gertzius ex F aliisque recepit, *in multos dolores.*

[13]) non necessarium existimo quod Gertzius scribere mavult *succendi.*

389,6 *velocius meandi vel tardius* cod. bibliothecae Parisinae armamentarii[14]), *velocius meandi vel diu* (post *u* erasa est *s*) A

his igitur locis, quorum numerus facile augeri potest, omnibus aliorum librorum scripturae iis, quas A habet, praeferendae et ita comparatae sunt, ut nullo modo ex librariorum coniecturis ortae esse possint. nam tandem aliquando deserenda est perversa illa opinio et ab iis tantum, qui magis critici, quem vocant, apparatus commoditati quam scriptoris emendationi consulunt, comprobata locos corruptos ab homuncionibus linguae Latinae aut nulla aut perquam exigua cognitione imbutis eadem, qua summi philologi usi sint, sagacitate et artis palaeographicae peritia in integrum restitutos esse. quamquam autem fieri potest, ut inter peculiares illorum librorum lectiones quaedam extent a viris eruditis maxime Italis litterarum quae dicuntur renascentium aetate repertae, tamen hos violentioribus plerumque remediis usos esse et poetis magis quam argenteae aetatis scriptoribus operam dedisse notum est. accedit, quod hae correctiones in exeuntis demum saeculi XIV libris frequentiores esse solent et a genuinis et per saeculorum decursum traditis scripturis, quarum haud paucas coniciendo vix unquam reperias, non nimis difficile discernuntur. maiorem vero etiam ex Fickerti codicibus fructum caperemus, si praeter A saeculo XIV vetustioribus uti ei licuisset neque eorum scripturas neglegenter excerptas neglegenter edidisset.

cui incommodo iam aliqua ex parte mederi possum invento codice P(arisino) bibliothecae nationalis 15086 (olim S. Victoris 1102). continet praeter alia quaedam XII et XIV saeculis scripta in membranis formae, quam dicimus, octavae saeculo XIII[15]) exaratos inde a folio 129 libros de providentia, de constantia sapientis, de ira libros I et II, de tranquillitate animi,

[14]) v. infra p. 11.

[15]) litterarum et compendiorum formae fere cum iis congruunt, quibus *chronica Cafari* exarata sunt saeculo XIII certissime tribuenda et in scriniis bibliothecae nationalis vitro tectis exposita (cod. Parisinus Lat. 10136). quoniam igitur liber P ob rationes palaeographicas Italiae tribuendus et Ambrosianus ibidem exaratus est et Mureti Siculus ipso nomine originem suam videtur indicare, huic terrae laudem dialogorum servatorum vindicandam esse puto.

de ira librum III, de consolatione ad Marciam, de remediis fortuitorum, de quattuor virtutibus, de moribus, librorum de clementia excerpta, librum de beata vita. quamquam autem a corruptelis et interpolationibus nequaquam immunis est et quaedam vitia cum A communia habet, neque ex eo neque ex ullo eius apographo fluxit. aliquot enim mendis, quibus ille deturpatus est, caret. ad quam rem demonstrandam haec sufficiant:

p. 89, 24 haec verba: *vino quidam, alii Venere, quidam umore interdixere corporibus,* ut vulgo eduntur et in A olim scripta fuisse Gertzius affirmat, inepta esse patet. nunquam quisquam aut se aut alios ab omnis umoris usu prohibuit, ne potuit quidem. pessime autem umoris mentio, cum primo loco de vino dictum sit, post Venerem demum fit. at constat Senecae temporibus Pythagoreorum praeceptum de carnium esu vitando ita probatum esse, ut ipse quoque Sotione auctore per anni spatium id sequeretur. quid vero habet P? *quidam animalium omnium ori,* in quibus gratissimo animo accipimus vocabula *animalium omnium,* quae quomodo excidere et oblitterari potuerint, patet. *ori* autem sine dubio mutandum est in *carne*[16]). 147, 11 Madvigianum *sanare* (*sanari* A) confirmatur codice P. 195, 19 et 196, 8 in P eadem leguntur, quae Erasmus scripsit, *pendet ex eventu* et *infra quos,* cum in A ante voculam *ex* perperam *et* adiectum sit et *quod* pro eo, quod est *quos,* legatur. 272, 6 neque Kochius neque Gertzius ausus est Bentleii inventum *et ille fluctus mentis* recipere: at idem praeter recentiores quosdam servavit P, *et mille fluctus mentis* A habet. 275, 9 melius id est, quod in P extat: *Quam quid sit iustitia* eo, quod in A legitur: *nam quiquid sit iustitia.* 289, 9 id quod Lipsius Senecam scripsisse suspicatus est *humanitate larga et benigna manu* confirmat P, nisi quod *large* in eo legitur, in A inter *humana* et *largea* lacuna est quattuor fere litterarum. 289, 24 loci in A hoc modo corrupti *quidquid cariorem uitam facturus aeque* haec est in P forma *quicquid cariorem uitam facit. seque* eaque rectissima. Madvigius enim (*facit usu seque*) et Gertzius (*facit acturo seque*) dum codicis

[16]) ne quis verba *animalium omnium* supervacanea putet, legat ea, quae Seneca epist. mor. XVIII 5, 17—22 dicit. quo loco ipse Pythagoreorum exemplo se adulescentem *animalibus abstinuisse* narrat et a patre id facere vetitum esse, quia tunc alienigena sacra mota essent, quorum asseclae *quibusdam animalibus* abstinuissent.

vetustissimi vestigia anxie premunt, molestam Senecae orationem reddiderunt. similis locus est ep. mor. V 3, 6.

iam satis his probatam esse puto codicis P praestantiam. neque enim ex A eum fluxisse primum ex illis locis apparet, quorum ea ratio est, ut partim coniecturis vix unquam emendari potuerint, partim a viris criticae factitandae peritissimis sanati sint. porro dialogi alio ordine in P dispositi sunt et liber de brevitate vitae et consolationes ad Polybium et ad Helviam omnino desunt. denique omissa sunt libri de tranquillitate animi capita duo extrema. id quod non in P primo factum esse adiecta subscriptione *Explicit* perspicitur. in his igitur partibus, donec ex bibliothecarum tenebris tertius liber emergat saeculo XIV vetustior et hos quoque libros complexus, praeter A recentiores illi adhibendi erunt. quorum cum paucos Fickertus contulerit, maximopere optandum est, ut quam plurimi diligenter examinentur eorumque, quos maxime liberos ab interpolationibus esse apparebit, scripturae discrepantia plene enotetur. quod negotium propter impudentissimarum interpolationum abundantiam et magnum codicum numerum satis difficile et taedii plenum cum mihi ad finem perducere non licuerit, fructu non carere uno exemplo demonstrabo.

extat in bibliotheca Parisina, quae ab armamentario nomen accepit (*Bibliothèque de l' Arsénal*), codex membranaceus libri de providentia et consolationum ad Helviam et ad Polybium missarum saeculo XV scriptus et inter codices, qui ad *scientias et artes Latinas* spectant, numero 28 signatus. qui quamquam reliquis vix melior est, hoc tamen singulare habet, quod in marginibus duorum priorum librorum discrepantes quaedam lectiones adscriptae sunt et quod p. 392, 17 G. interpolatione illa caret, qua etiam in A ad nomen ·*G*· *caesar* cognomen *augustus* adscriptum est.[17]) id tamen maxime in his libris caveri et debet et potest, dicendi genere Annaeano diligenter observato et senten-

[17]) propter voculam proximam *quem* in codice *Gaium Caesarem* scriptum est. ceterum aliis quoque interpolationibus A deturpatus est. manifesta profero exempla haec: p. 94, 5 *praedonem* positum est pro vocabulo *praedam* et 171, 21 et 227, 7 voces rariores *clavum* et *erubescentiae* (ita scripsit Madvigius) cesserunt vulgaribus *nauem* et *adulescentiae.* quamquam autem ultimo loco dubitari potest, quid pro voce *adulescentiae* substituendum sit, interpolatam eam esse certissimum est.

tiarum nexu accurate considerato, ne quid ex iis contra codicis A fidem in orationem admittatur, nisi quod Senecam scripsisse verisimillimum sit.

maxime lubrico et infirmo fundamento in consolatione ad Polybium recensenda nitimur. nam in P eam non extare supra diximus, in A vero, in quo, ut ex dialogorum indice perspicitur, inter librum de brevitate et consolationem ad Helviam missam collocata erat,[18]) cum folia nonnulla interciderint, fol. 77a et 77b ultima tantum duo capita inde a verbis *magna discrimina* (p. 370,8) usque ad finem supersunt. ac ne supersunt quidem. tam diligenter enim earum scriptura eadem sine dubio manu, quae inscriptionis ultimo versu folii 76b servatae verba quaedam erasit (v. Gertzii adnotat. ad p. 339, 19), deleta est, ut nisi acriter intenta oculorum acie legi non possit. hoc igitur folium iam in Gertzii exemplari multo diligentius collatum habemus, quam Branca et Bugatus aut Kochius fecerant, in reliquis codicis vetustissimi auxilio aegre caremus. itaque certissimum est huius dialogi quam plurimos codices recentiores, quibus solis integer videtur servatus esse, conferendos vel certe examinandos esse.[19]) neque enim id curare debebat Kochius, ut apparatus Fickertiani moles deminueretur (praef. p. XXXIV), sed ut ex libris recentioribus quam plurimum emolumenti ad orationem emendandam redundaret. plus autem ipse et Gertzius effecissent, si praeter B(erolinensem), Ambrosianos (D E), F(lorentinum), H(auniensem) tertiae cuiusdam classis codices, quibus similes nonnullos iam Fickertus contulerat, in usum vocavissent. huius generis tres elegi et contuli libros Vaticanum 1769 saeculi XIV (T), Parisinum (bibl. nat.) 7698 eiusdem aetatis (P), Urbinatem 340 saeculi XV (U). qui quamquam multo magis interpolati sunt

[18]) merito Gertzius consolationem ad Polybium, cum apud Kochium ultimo loco legeretur, ante consolationem ad Helviam collocavit.

[19]) omnibus consolationis Polybianae libris, quotquot hoc saeculo inspecti sunt, fortasse melior fuit unus ex iis, quorum scripturas Bongarsius excerpsit. id quod ex eo loco (p. 349, 12 G.), ubi solus *uti dextere scias* servavit, cum Fickerti, Gertzii, mei libri omnes corrupti sint, satis apparet. nam quod Kochius et Gertzius hanc coniecturam esse Bongarsii existimant, decepti sunt Fickerti notis subobscuris. ceterum etiam Pincianus tria *exemplaria ms.* (Franciscanum, scholasticum, exemplar Facundi ac Primitivi) *dextere uti scias* praebuisse dicit.

quam B, quibusdam tamen locis genuinas scripturas servaverunt. velut p. 345, 13, ubi de Polybii fratre haec dicuntur: *o dura fata et nullis aequa virtutibus. antequam felicitatem suam nosset frater tuus, exemptus est,* T P ante vocabulum *felicitatem* adverbium *bene* habent. quod fieri non potest, quin recipiatur, quia Seneca, cum supra (v. 9) de potentia fratris Polybii locutus esset, hic eum ex cognatione sua nullum fructum percepisse dicere nullo modo poterat).[20]) 346, 18 ea, quae in V P extant *ad nos reducet*, praeferenda sunt sine dubio et iis, quae in B D E aliis leguntur *a nobis reducet* et vulgatae scripturae *nobis reducet.* 358, 23 interpolatores librorum B D E corruperunt brevem et nervosam Senecae orationem hoc modo: *dedit natura fratri tuo vitam, dedit et tibi: quae suo iure usa fuit* (ita DE, *sunt* B), *a quo voluit debitum suum citius exegit.* pronomen relativum, quod non solum supervacaneum est, sed orationis concinnitatem perturbat, deest in T P U. qui quamquam et ipsi locum corruperunt scribendo: *suo igitur* (*ergo T*) *iure usa est*, tamen ipsa hac correctionis diversitate et *quae* et *igitur* librariorum additamenta esse ostendunt. copulas vero *fuit* vel *est* ex voce *sunt* in B expuncta ortas et abiciendas esse patet.

II.

De libris qui sunt de beneficiis et de clementia recensendis.

Antiquissimus et optimus omnium codicum, quibus libri de beneficiis et de clementia servati sunt, Laureshamensis est S. Nazarii, nunc inter Palatinos bibliothecae Vaticanae numero 1547 signatus. cuius collationem anno 1866 a R. Kekulé accuratissime confectam M. Hauptius Madvigio intercedente M. C. Gertzio in usum permisit. cum autem post Hauptii mortem heredibus eius remissa esset, Gertzius apographo, quod in usum suum ante confecerat, in edendo uti coactus est.[1]) itaque

[20]) voculam *bene*, quae, cum haec eius nota *bn̄* in T sit, facillime exidere poterat, in superiore enuntiato post vocem *nullis* posuerunt DE. vides igitur eam in horum librorum archetypo ex codice meis simili supra versum adiectam fuisse et postea falso loco collocatam.

[1]) *Senecae libri de beneficiis et de clementia ad codicem Nazarianum rec. M. C. Gertz,* Berolini 1876.

nemo, puto, mirabitur, si ex codice saeculo octavo ea scriptura exarato, quae transitum facit a maiuscula ad minusculam[2]), neque, si primam manum solam cures, lectu difficili, sed recentiorum manuum mutationibus oppresso novas aliquot lectiones protulero. omisi orthographica et alias quasda minutias; lectiones, quae inter verba scriptoris recipi debent, *litteris diductis*, exprimendas curavi.

p. 2, 11 Gertzii post *necessitates* erasum est *ta*| 3, 4 *quidem* (*u* supra versum eadem manu, *m* delevit m. 2.)| 4, 8 *transit*[3])| 5, 12 *cohedit herit* m. 1., *coheerit* p(rimus) c(orrector), *coheret* supra versum m. 2., sed *ret* in rasura 26 *pasithean* (post *n* erasa *t*)| 6, 3 *quem suptile* (supra utramque *e* virgulas, quibus *m* significatur posuerat m. 1., sed postea erasae sunt)| 7, 1 *neliberalitatem*, 8, 1 inter *contra* et *illud* supra versum *sit* m. 2.| 9, 2 *firitilla* m. 2.| 23 *esse me*| 10, 20 *perspicuum* posteriore *e* expuncta et *a* supra versum scripta in *perspicuam* mutavit m. 2.| 11, 5 *provocante* * * * *materia*| 12, 28 *usuque ei et* (*ei* del. p. c. et m. 2.)| 13, 7 *illo sint*| 9 *ut studiis*| 14, 9 *risisset hoc alexander* in *risisset alexander hoc* mut. p. c.| 15, 4 *frenis altioribus*| 12 *ego non rogarem* (*et cum* ante *non* inseruit m. 3.)| 27 *honesta* ** *uis*| 16, 9 *peto* in *puto* mut. m. ead.| 12 supra *est* erasum eandem voculam posuit m. 3.| 17, 7 *sibi eriperetur* (virgulam, qua *ur* exprimitur, add. m. 3.)| 10 *quia nolentem*| 18, 6 *facienda* (supra posteriorem *a* virgula, qua *m* significatur, erasa)| 14 *victurum in animo* (*v* in ras. m. ead. vel 3., *que* deest)| 20 *beneficium est* in *beneficium sit* mut. p. c.[4])| 20, 1 *gratus eua est* (prior *e* erasa est, supra *eua* m. 3. scripsit *esse*)| 17 *f;* (= *sed*) ante *quam* inseruit m. 3.| 27 *nepotem aelio* in *nepote m. aelio* mut. m. 3., 33 *aliquid liberius*| 22, 28 * *et cum*, 23, 30 *summissus* in *summissis* mut. m. 3.| 24, 31 *perseuerantibus* in *perseuerauimus*

[2]) Kekulé codicem saeculo nono exeunti vel decimo ineunti tribuebat (apud Gertzium p. III), Baehrensius in *Ephemeridibus Ienensibus litterariis* anni 1877 p. 62 uno saeculo eum vetustiorem dixit, mihi eius scripturam cum Gregorii Turonensis codice Leidensi comparanti (v. Arndtii *Schrifttafeln* fasc. I tab. XIII) saeculi octavi esse visus est. qua in re me confirmavit Holder-Egger, amicus, qui codicem saeculo octavo ineunte exaratum esse putabat.

[3]) iam apparet recte Lipsium scribi iussisse *credentis transit.*

[4]) non sum ignarus eorum, quae Gertzius p. 201 de hoc loco exposuit.

mut. m. ead.| 25, 7 *se* ante *remiserit* add. p. c.| 17 *patiar* supra versum add. non m. 3., sed p. c. aut m. 2 (?) alio tempore atque verba *si nullo modo potuero ad se ipsum reuocare*| 26, 3 *confert it* in *confer et* mut. m. 3. (post *r* non vocula erasa, sed littera *t*)| 16 *congiaria* (priorem *i* add. p. c., *ria* erasum est)| 18 *quam in sinu eius condenda est ciuitas* (om. *ut*, supra est m. 3. posuit *sit*) 27, 5 *exercitat*o* (erasa *i*), 28, 4 *sunt* post *gerenda* om.| ib. *dandum**| 7 *dedissemus* (supra id verbum *vel debuissemus* m. 3.) *uideamus*[5])| 29, 5 *nisi a nolente. nisi uolenti*, 18 *nec faciendi animo* (*bene* om.)| 25 *magnus. in aliis fuerit*| 30, 1 *tamen habere* (om. *non*)| 2 *loco quia*| 25 *grecini iuli* (*iulii* m. 3.) * * * *uiri*| 31, 5 *quos non ipso*| 28 *faciat*| 32, 21 *nimium*| 33, 22 *ab seipso*| 34, 1 *sunt*| 4 *densior ur**sis* (erasae videntur litterae *si*)| 35, 20 *efficet peruenetque* in *effecit peruenitque* mut. p. c.| 25 *si** bene*, 26 ante *emolumenti* eras. *ex*| 34 *nisi* et*| 36, 2 *beneficium suum* in *officium suum* mut. m. ead.| 37, 5 supra *aurum* m. 3. *uerum uel auarum*| 26 *intellegis*| 38, 10 *bona* in *bono* mut. p. c.| 15 *iam magnae*| 40, 13 *meminit* ** *sine* (in rasura latere videtur *is*, non *et*; quicquid tamen fuit, iam delevit p. c.)| 26 *in id quod est quod adp.* (infra posterius *quod* m. 3. *quicquid* scripsit)| 45, 24 *aut in haec aut in illa* (*in h* in ras. m. 3., eadem supra versum add. posterius *in*)| 47, 6 *credatur*| 12 *sponso rede** mus* (*non* supra *rede* posuit p. c.)| 34 *auctiores* (*i* supra versum add. p. c.)| 48, 7 *oculorum* ante *cuius aures* supra versum add. p. c.[6])| 50, 29 *quam quod* (*in* om., *quod* in *quot* mut. m. 3.)| 33 *uidetur tibi*| 35 *fecerunt*, 51, 36 *militi illi ipsi*[7])| 54, 5 *penulati in militum quidem*| 17 *afiliis* (tertiam *i* add. p. c.) *quoque uindicaretur* (*n* ante *tur* del. p. c., postea erasa est)| 57, 2 ante *quisquam* vocula *est* deleta est a p. c. et erasa| 58, 3 *nobili* ** (eras. *um*) *uiro*| 5 *uicerat*| 14 *aliquid Iam* (*I* ex ˜*d*, ut videtur, radendo correcta)| 26 *proferre*| 60, 9 *effu* * * * disset*| 23 *accusatorem an non* (*an* add. m. 3.)| 63, 6 *iniquis*| 64, 13 *facientibus*| 65, 32 *es* ex *est*

[5]) idem Senecam scripsisse Madvigius apud Gertzium suspicatus est.

[6]) vocabulum *oculorum*, cui *aures* postea opponuntur, deesse nequit.

[7]) non intellego, cur in iis, quae praecedunt, ab omnibus praetoris Marsorum nominis forma *Vettenus* in N ceterisque tradita cum notiore *Vettius* mutata sit. nam quod alii scriptores, qui apud Fickertum memorantur, hanc praetulerunt, non ideo quisquam contendet Senecae altera uti non licuisse.

corr. rad.| 66, 26 supra *notum susceptum* p. c. scripsit *uotum romuli*| 68, 15 *non recipimus*| 33 *spes se nulla* (tertia *s* erasa)| 69, 17 *hunc ego* (ante *g* erasa *r*), 18 ante *huius* eras. *in*| 24 *reculam* (*in* del. p. c., postea erasa est)| 72, 11 ante *aduersus* supra versum add. m. ead.: *Quid autem cum tibi narratur*| 12 *ingratus est*[8])| 74, 21 *eximiam ac singularem*| 75, 1 *quia aegro adsidit quia* (*a* primam et quartam expunxit m. ead.)| 6 *ex proximo*| 10 *quia* (*a* expunxit m. ead.) *aliquid*| 76, 4 *quid* *** *nunc* (tres vel quattuor litterae erasae, quarum prima videtur *t* fuisse)| 17 *admiratio luminis*| 79, 7 *stultus est tam* (om. *non*)| 80, 10 *et homicidae*| 17 *admiratio luminis*| 79, 7 *stultus est tam* (om. *non*)| 80, 10 *homicidae*| 15 *atq*^{i} *pu***plice* (q in N interdum pro *q.* = *que* ponitur, *i* superscripsit m. ead.)| 18 *deliberanti* * *dabis*| 81, 30 *ancillarum illum suarum*| 83, 10 *credidimus*| 30 *facies*| 85, 18 *sua inpensa*| 32 ante *caeterum* eras. *et*| 86, 11 *est fixum ratumque* * (supra rasuram *sit* posuit m. 2., ut videtur)| 20 *x. cui dam* (*x. cui* m. eadem in ras., eadem superscripsit *signum ponderis*, idem vocabuli *denarius* compendium redit v. 28)| 87, 15 *possum* ** *quam*, 20 *mihi de est* (post *de* erasa *s*)| 88, 16 ante *eo statim* duae litterae erasae, ut videtur *ad*| 89, 19 *aliter plus*| 29 *pancratios*| 91, 9 *fortune* ** *magnitudo*| 93, 33 *mihi non possim*[9])| 94, 11 *prodesset*, set *t* erasa| 14 *beneficium accipit* (om. *dum*)| 20 *est* eras.| ib. ante *sequebantur* duae litterae fortasse *ex* erasae| 29 *habet huic propositae*| 31 *potest quicquam* (posterior *t* erasa)| 95, 18 *dat* (*at* in ras. posuit p. c.)| 97, 3 *utilitatis interim suae*| 98, 3 inter *potest* et *bonus* extant verba: *malo uiro beneficium nemo dare potest*| 20 *profuturaque similiora darentur*| 99, 33 *discite*| 103, 14 *filio* (*o* ex *i* corr. p. c.) *bono*| 21 *cuius non commodum*[10])| 105, 7 *quid enim illi per hoc commodi accessit* (*t* supra versum add. p. c.)| 106, 6 *ultima quoque me necessitas*[11])| 108, 3 *militio suo*| 113, 8 *qui in*|

[8]) patet igitur totum hunc locum sic conformandum esse: *quid autem, cum tibi narratur: „adversus summa beneficia amici sui ingratus est“, quomodo adficeris?* pronomen *aliquis* ex iis, quae praecedunt, facile suppletur.

[9]) idem Gertzius restituit, qui in codice *possum* legi opinabatur.

[10]) Gertzius *non*, quod in N deesse putabat, ex coniectura inseruit.

[11]) *me* voculam si receperis, simul *in hoc aget* cum N, quem Gertzius secutus non est, scribendum erit.

20 *si quis aput*| 117, 25 *respondeo*| 118, 23 *meriti* in *meritis* mut. p. c.| 119, 3 *uela substringi*| 120, 5 *et ad laborem* (*ad* expunxit p. c.)| 15 *in diem locanti manus suas corollarium*| 32 *radum* in *padum* mut. p. c.| 33 *facit enim aut sua causa*| 123, 4 *qui non*| 17 *quae coercuit* (*non* om.)| ib. *in partem omnem sui*| 124, 17 *ex his*| 21 *suo periculo*| 125, 28 *minus tibi uolet*| 128, 32 *uerbum,* sed *b* erasa| 131, 20 *sed tantum usque ad*| 134, 3 *ipsam hanc*| 137, 32 *sine ulla mora*| 139, 31 *ad regem*| 140, 20 *sicut etant mutum* in *sic uetant et mutuum* mut. p. c.| 141, 12 *illius sunt*| 143, 8 *ipsa illa*| 12 *accendit* * (fortasse virgula, qua *ur* significari solet, deleta)| 144, 11 *delectant,* sed *n* erasa| 145, 6 *dico habere me in equestri locum*| 146, 31 *nemo fugiebat* (om. *non*)| 149, 18 *potes* *| 150, 7 *phalarim* (*m* ex *t* mutata eadem m. et a p. c.) *et tyrrannum* (priorem *r* del. p. c.)| 14 *si arx* (*x* expunxit m. ead.) *eius*| 152, 34 *aut multum erat*| 155, 14 *inique*** *publico*| 157 subscriptio haec est: LB ANNEI SENECE DEBENEFICI (sic!) LIB. VII. EXPL. JNCIP. LIB. IDECLEMENTIA FELICITER[12])| 158, 12 post *fortuna* erasum est *tum*| 159, 20 *nemo* *** *iam*| 161, 27 *est sine hic*| 162, 2 *magnus s pedes* (*g* et secunda *s* erasae)| 168, 5 *decori sunt*| 170, 9 *contrucita* ** *ri* (erasae litterae *tu*)| 10 *sub gaudio*| 18 post *habet* erasum est *et*| 172, 17 *temperantissima*| 174, 23 post *nulla* eras. *ne*, ut videtur ; post *regi* erasa littera *s*| 176, 21 *sidi immortalem potestatem*[13])| 178, 6 *uibant. ipso*| 182, 5 *erupuit*| 6 *adduxit****| 186, 4 *sapiens ac prouidet*| 23 *pannoiam* (virgulam ˆ litterae *o* impositam del. ead. m.)| 31 *exsigit* (post *si* erasa *g*).

ex hoc igitur Nazariano ipso *aut ex codice plane gemino* cum Gertzius omnes codices recentiores, quorum notitiam ex Fickerti apparatu habebat, descriptos esse sibi persuasisset (praef. p. VI), eos prorsus abiecit. summa, ut mihi quidem videtur, iniuria. plurima enim in iis rectius quam in N leguntur. quae cum omnino spernere non posset, tanquam coniecturas librariorum bonas in editionem recepit. iam vero ut ponamus, quod valde

[12]) quod libri primus usque ad quartum in subscriptionibus *institutionis oratoriae* nomen habent, vix aliter explicari posse videtur, nisi ita, ut statuatur praecessisse in eo volumine, ex quo N derivatus est, libros de beneficiis opus aliquod rhetoricum ita inscriptum eiusque titulum errore frequentissimo ad illos relatum esse.

[13]) iam igitur vocabulum *talem*, quod Gertzius recepit, cum neque necessarium sit, neque in ullo, quod sciam, codice inveniatur, delendum est..

dubium est, iam saeculis duodecimo et tertio decimo, quibus quidam libri Fickertiani exarati sunt, tam eruditos librarios extitisse, ut vitia in codicibus perversa plerumque distinctione exaratis detegerent detectaque leni et perita manu sanarent, illi opinioni praeter ea, quae infra exponam (p. 20 sq.), adversantur loci haud pauci:

de benef. II 13, 1: *o superbia, magnae fortunae stultissimum malum. ut a te nihil accipere iuvat. ut omne beneficium in iniuriam convertis. ut te omnia nimia delectant. ut te omnia dedecent.* uncis inclusit Gertzius verba haec, quae ipse *miram interpolationem* dixit, *omnia nimia delectant ut te* eam solam ob causam, quod in N et aliis quibusdam libris non leguntur. at extant in V aliisque recentioribus neque abesse ullo modo possunt, quia iis, quae sunt *ut te omnia dedecent,* eodem modo respondent atque duo, quae praecedunt, enuntiata: *ut a te nihil accipere iuvat* et *ut omne beneficium in iniuriam convertis* inter se opposita sunt. praeterea non ita comparata sunt, ut ex coniectura suppleri potuerint. patet vero facillime ea excidere potuisse. similis ratio est loci, qui invenitur I 4, 3, ubi verba *libenter dare* propter bis repetitum in proximis adverbium *libenter* in N omissa, in T C servata sunt. I 5, 2 supplementum hiantis orationis hoc: *est parvi pendunt* ex libris recentioribus per editionum seriem propagatum multo melius est eo, quod Gertzius recepit: *est neglegunt.* II 24, 1 verba *et qui meminit* utique necessaria solus non omisit codex Franciscanus a Fernando Pinciano inspectus.[14]) III 18, 4 enuntiatum hoc: *adeo quidominis servi*

[14]) immerito fraudis virum diligentissimum et acutissimum insimulare conatus est Fickertus (I p. XV et alibi). nam quas ille lectiones ex libris mss. *quindecim et pluribus* a se inspectis protulit, saepius iis codicibus, quibus Fickerto uti non licuit, confirmatas vidi. ut unum exemplum proferam, quod Pincianus de benef. V 24, 2 in exemplari scholarum Salmanticensium scriptum fuisse dicit *pro militio homo*, repperi in codice Laurentiano LXXVI 36. rectissime autem nomen proprium *Militio* restituendum esse intellexit. (v. C. I. L. III 5955.) nam in N quoque aliisque hoc loco *militio* et in § 3 *militio* (cf. p. 16) legitur. *pro* vero, quod nihil aliud nisi compendium vocis *proprium* (i. e. nomen) esse iam Fickertus vidit, non mutare debebat ille in praenomen *P* neque magis § 1 *paulo violentior* in *P. Militio* aut *quendam ex commilitonibus* in *P. Militionem.* eo libentius autem hac occasione utor virum, quem *germanae criticae exemplar* Iustus Lipsius appellare non dubitavit, ab opprobiis in eum iactatis defendendi, quod in H. A. Kochii dialogorum Meliolanensium editione aliquot lectiones ab eo ex codicibus ductas tanquam coniecturas eius proferri video, velut p. 39, 19; 40, 19; 46, 28; 49, 8; 53, 31; alibi.

beneficia possunt dare in N vitio eius generis corruptum, quod librarii aut non odorantur aut perversis mutationibus etiam gravius reddunt, rectissime se habet in V ita: *quidem dominis.* III 28, 5 *isti,* quod post *paenulati* in N deesse supra dictum est et facillime excidere poterat, non omittitur in recentioribus. III 30, 4 *si non,* quas voculas supplendas esse non primo statim obtutu intellegitur, ante *sine* servatae sunt in W et P_1 easdemque in codice quodam suo Pincianus repperit. de clem. II 4, 4 in eiusdem viri libro quodam ms. haec legebantur: *ne per speciem severitatis in crudelitatem, ne per speciem clementiae in misericordiam incidamus,* cum N omissis verbis *ne per sp. sev. in crud. ne* et *incidamus* nihil habeat nisi *per speciem clementiae inmisericordiam.* a scriptura codicis Pinciani prope absunt Gruteri P3 et Parisini mei 8542 et 8615 (v. infra), qui *per speciem severitatis crudelitatem, per speciem clementiae misericordiam* omissis praepositionibus et vocibus *ne* et *incidamus* praebent. quamquam non nego ea, quae in Pinciani libro legebantur, partim interpolata esse posse.[15]) quare videamus, num ex scriptura Gruteriani et Parisinorum corrupta illa quidem, sed hac ipsa re se ab interpolationis suspicione defendente verum elici possit. mihi quidem, cum initio proximi enuntiati in N *Inholeuiore* scriptum sit pro eo, quod est *in hoc leviore,* in mentem venit ante id verbum *inolevere* excidisse et totum enuntiatum sic conformandum esse: *per speciem severitatis crudelitas, per speciem clementiae misericordia inolevere.* interdum enim Seneca nudo perfecto ad ea, quae saepius usu venerunt, significanda utitur (v. quae in capite ultimo de hoc usu disputabo). ut vocabula *crudelitas* et *misericordia* in *crudelitatem* et *misericordiam* mutarentur, factum est ideo, quod a verbo *vitare* pendere videbantur; codicis autem N librarius *inmisericordiam* pro eo, quod est *misericordiam,* scripsit, quia *misericordiam* vitium dici posse haud credebat. — adde praeterea hos exemplaris Gertziani locos: p. 59, 22; 63, 7 (non necessaria est Gertzii coniectura); 76, 7; 155, 7; 166, 26; 185, 27; alios. ac ne id quidem sententiae meae obstat, quod omnium codicum praeter aliquot corruptelas lacunae quaedam

[15]) intellexit hoc Gertzius, qui locum ita sanare conatus est, ut scriberet: *per speciem severitatis in crudelitatem incidimus, per speciem clementiae in misericordiam.* quamquam autem sic facilius explicatur, quomodo verba illa interciderint, id tamen displicet, quod nimis magna lacuna statuitur.

communes sunt. quas non in N primo ortas esse inde patet, quod nihil casu in eo periit, neque ullo loco quicquam deesse indicatum est.[16])

iam vero magnopere dolendum est, quod librorum de beneficiis nullus codex innotuit saeculo XIV vetustior, qui ex archetypo ab eo, ex quo N fluxit, multum diverso derivatus sit. contra librorum de clementia codices Parisini 8542 et 8615, quos supra memoravi saeculo XIII exarati sunt neque dum tot interpolationes passi quot libri recentiores. Mediolanenses autem Ambrosiani D 13 inf. et B2 sup. (C et D apud Fickertum) non saeculo, ut ille refert, XII aut XIII—XIV, sed XIV scripti sunt uterque.

alterius vero codicum classis ad N accedentis neque tamen ex eo ipso pendentis iam Gronovius et Fickertus usi sunt libro Rottendorfiano, nunc Guelferbytano Gud. 274 (Eberti 776), quem saeculo XII Fickertus tribuit. huic simillimi sunt Parisini 6382 et 6383 saeculi XIII uterque, quorum alter a Fickerto inspectus tantum est, alter in eius notitiam non venit, Sorbonici 354 saeculi XIII et 1586 saeculi XII nunc et ipsi in bibliotheca nationali asservati, Laurentianus LXXVI 36 saeculi XII, Monacensis 2544 (olim Alderspacensis) saeculi XII—XIII, cuius scripturas A. Weidnerus protulit in programmate gymnasii Friderici Guilelmi Coloniensis anni 1864 p. 23 sq. qui quamquam raro novas lectiones suppeditant,[17]) saepius librorum recentiorum aut manuum Nazariani correctricium scripturas confirmant, utique ad editionem pleno apparatu instructam adhibendi erunt.

[16]) magnam illam lacunam, qua maior pars libri secundi de clementia et tertius totus hausta sunt (v. de clem. I. 3, 7 et quae exposui in *Hermae* vol. XVII p. 369 adn. 6), non in Nazariano primo ortam esse ipsa eius subscriptio ostendit, tanquam nihil deesset, addita. partis amissae fragmenta apud Hildebertum Cenomanensem superesse ostendi *Disquisitionum de Senecae filii scriptis criticarum* Vratislaviae anno 1882 emissarum capite II. ceterum mirum est, quod codex quidam in bibliothecae Pomposianae catalogo anni 1093 memoratus praeter alia Senecae scripta solos libros secundum et tertium de clementia continuisse perhibetur. v. G. Becker *Catalogi bibliothecarum antiqui* nr. 70, 26: *liber eiusdem ad Neronem de clementia lib. II et III.*

[17]) velut Laurentianus LXXVI 36 de benef. VII 30, 1 pro *explicari* praebet *explicauit* sine dubio praeferendum vulgato *explicari potuit*, quod Hauptius quoque quamvis bene sententiam assecutus ita retinuit, ut *explicari pertinacia potuit violentia* scriberet.

longe vero melior iis est codex adhuc ignotus, quem ut in bibliotheca Vaticana indagarem, mihi contigit. servatur inter libros R(eginae) numero 1529 signatus. exaratus est manu saeculi IX exeuntis vel X ineuntis aequali et perquam eleganti eaque litteratura, quam carolingicam dicere consuevimus. continet 107 moduli maximi foliis membranaceis libros de beneficiis et de clementia. correctus est duabus manibus, quarum prior (m. 2.) paulo post, quam scriptus est, in verbis ipsis pauca mutavit, saepius in marginibus notam ex litteris N et T conflatam addidit et voces aliquot memorabiles repetivit. non multo recentior mihi visa est posterior (m. 3.), quae et ipsa satis modeste corrigendi officio functa est. quamquam autem R propius ad N accedit quam reliqui eiusdem stirpis libri vetustiores atque adeo signa quaedam, quae ille in margine habet, repetit, tamen multis calami erroribus, quibus ille foedatus est, caret et haud paucos locos in illo correctionibus et rasuris oblitteratos integros exhibet. at cave credideris eius scribam codicem N aut idem atque monachum Laureshamensem archetypum expressisse. adversantur enim hi loci, quibus ab N longius discedit:

p. 4, 21 *eorum quae exciderunt* R, *eorum quae excitetur* N
5, 12 *si cohaeserit* R, *si cohedit herit* N
14, 18 *quid enim illi simile habebat* R, *quid enim ille similem* (*m* erasa) *habebat* N
14, 29 *quod in illum et uix bene notum sibi* R, *quod et in illum uix bene notum sibi* N
21, 16 *palam quae consequi gloriosum est ut militaria dona* R, *palam q. c. gloriosum militaria dona* N
29, 26 *in exstitutione stoica* R, *ex institutione stoica* N
57, 11, *maius illum beneficium dedit* R, *illum* om. N
57, 34 *spoliis etiam hostilibus* R, *spoliis et hostilibus* N
58, 30 *mortis periculo* R, *periculo* om. N, *a periculo mortis* N_3
63, 17 *sed quod omnino cum uoluptate conferatur contemptrix* R, excidit *conferatur* in N ante *contemptrix*[18])
64, 6 *sapiens est utraque* R, *est* om. N[19])

[18]) cum Erasmo scripserim *confertur*. molestissima vero oratio evadet, si cum Gertzio ex praecedente membro verbum *ponitur* supplendum esse putaverimus.

[19]) nescio an Seneca scripserit *sapiens est qui*, quod habent codices recentiores C H. potest tamen vocula *est* etiam ex *enim* orta esse.

p. 87, 28 *reiciendi dignus est* R, *reiciendi genus est* N
92, 31 *sermo procedere derisor* (post *procedere* spatium vacuum quattuor litterarum in fine versus) R, *sermo procederet derisor* N
93, 16 *eiusmodi* R, *huiusmodi* N
102, 11 *ut dicam quam ingrati uide sit iuuentus* R, *ut dicam uide quam ingrata sit iuuentus* N
102, 17 *uixi et quem dederat* R, *uixi et quem desiderat* N
108, 20 *tacendum et expectandum* R, *tacendum erat et expectandum* N
112, 17 *ac si nihil* om. R, habet N
120, 7 *adfecit animum* R, *fecit animum* N
120, 15 *et in diem locanti corollarium* R, *manus suas* post *locanti* add. N
122, 32 *sed non obaudio* R, *sed non ob aliud* N
168, 26 *uix uiuis* R, *uix ei bis* N
169, 1 *familiae suae* R, *filiae suae* N
177, 22 *plusque eius nomini confert incolomis* R, *plusque eius inomini confert colomis* N
177, 32 *paruis et* R, *paruis sed* N
184, 11 *ut usuris ille* R, sed supra *usuris* eadem manus atramento paulo fusciore scripsit *busiris, utusuris ille* N
184, 13 *in ignem uiuos* R, *ininem uiuos* N.

ob oculos tamen habuit codicis R librarius archetypum ei, quo manus secunda (N 2 et N 2 (?) apud Gertzium), quae Nazarianum saeculo XIII correxit, usa est, simillimum.[20]) quod ut appareat, hos locos ex multo maiore numero electos propono:

p. 12, 10 Gertzii *aliter enim ad animum* R N_2, *aliter enim quod animum* N
14, 10 *unus ex legatis* R N_2, *unus* om. N
19, 12 *sic unum munus* R N_2, *in unum munus* N
21, 22 *nec a quo acceperit sciat* R N_2, *sciat* om. N
23, 3 *sed et ego magis uelle me scio* R N_2, *et* om. N
25, 7 *inflammabat se remiserit* R N_2, *se* om. N

[20]) ipso codice R manum Nazariani secundam in corrigendo usam esse ideo ponere nolo, quod interdum ab eo discedit et sat multos codices librorum de beneficiis et de clementia saeculo XIII extitisse ex catalogis bibliothecarum antiquis scimus.

p. 40, 21 *exercet ac renouat* R N_2, *ac* om. N
48, 21 *parentibus et amicis* R N_2, *et* om. N
50, 13 *mancipio dari non potest* R N^2, *non* om. N
69, 21 *beneficium creditum insolubile esse, creditum autem non est* R N_2, *insolubile esse creditum* om. N
75, 20 *ingratus est et qui non rettulit* habent R N, om. N
92, 17 *sed duorum siderum* R N_2, *et duorum siderum* N
97, 9 *is autem* R N_2[21]), *is* om. N
105, 10 *nec non et debuisset* R N_2, *non* om. N
105, 14 *nullum in hoc habeo* R N_2, *in* om. N
131, 20 *infitiationem* R N_2, *inifinitiationem* N
141, 7 *ciceronis* R N_2, *cironis* N
151, 24 *redit ad eandem* R N_2, *reddi ita deandem* N
155, 23 *ei dissimiles* R N_2, *et dissimules* N
162, 29 *ut seduci* R N_2, *uis educi N*
164, 14 *quotus quisque* R N_2, *quod tu quisquae* N.

harum manus secundae Nazariani correctionum a Gertzio saepe iniuria spretarum ratio ea est, ut nisi paucae librariorum coniecturis originem debere non possint. ceterum patet alibi Reginensis scripturas iis, quas Nazarianus praebet, praeferendas esse, alibi Nazariani Reginensi, neque dubitare licet, quin codici N etiam in posterum in re critica in his libris factitanda primus locus vindicandus sit. tamen ne in eo quidem loci desunt, quibus Senecae manus non errore ex litteris male intellectis nato, sed interpolandi quodam genere leviore obscurata sit[22]). qui loci, cum in reliquis codicibus eadem vitia traxerint, iam in archetypo communi ita scripti fuerint oportet. sunt autem cum alii tum hi: de benef. III 6, 2 in verbis his: *nostri maiores, maximi scribet viri, ab hostibus tantum res repetierunt* librarius notissimae locutionis, quae est *res repetere*, nimirum ignarus verba tradita in *aes petierunt* mutavit. III 16, 4 idem memor fortasse praecedentis vocabuli *plures* pro adiectivo *audaciores* posuit *auctiores* (v. supra p. 15) et IV 28, 5 *percussores* in *persecutores* mutavit. eiusdem generis interpolatione hunc quoque

[21]) voculam *is* habet etiam Abaelardus p. 593 ed. Migne.

[22]) de similibus codicis Etrusci tragoediarum interpolationibus dixit F. Leo in *Observationibus criticis de Senecae tragoediis* p. 4 sq. et 21.

locum foedatum esse nondum intellectum est ab editoribus: (de clem. I 8, 5) *loqui non potes, nisi ut vocem tuam quae ubique sunt gentes excipiant: irasci non potes, nisi ut omnia tremant: neminem adfligere* (*adflige* N, *adfligere* RN_2), *nisi ut, quidquid circa fuerit, quatiatur.* ante *neminem* N *quia* habet manu secunda in *sic* mutatum, R *sic. quia.* quas voculas, cum aequabilem orationis decursum perturbent, tamquam supplementa librariorum duo illa membra perperam et diversis modis coniungere studentium abiciendas esse apparet.

minus grave est, sed saepius usu venit, ut variae quaedam lectiones in margine vel supra versus positae in continuam orationem recipiantur. exemplum maxime memorabile est de benef. V 12, 4, ubi enuntiatum ad haec verba: *bonus beneficium reddit, malus non accipit* olim adscriptum: *malo viro beneficium nemo dare potest* etiam in N (v. supra p. 16) in scriptoris verbis legitur. VII 31, 5 in N et Laurentiano haec extant: *eidem solo ponimus credimus,* nisi quod secunda Nazariani manus *eidem* in *eodem* mutavit. R ex archetypo alteram tantum lectionem *eodem solo ponimus* recepit, quae, cum paulo superius haec legantur: *tepente adhuc area ponimus,* probari nequit. certissimum igitur est in archetypo scriptum fuisse: *eidem solo*
ponimus
credimus. saepe enim librarii id verbum, quod in archetypo supra versum positum erat, priore loco collocarunt. similiter corruptus est hic locus (de clem. I 6, 2): *quotus quisque ex quaesitoribus est, qui non ex ipsa ea lege teneatur, qua quaerit.* haec habet N, nisi quod *ea* manu secunda expunctum est. intellegitur genuinam lectionem esse *ea ipsa,* quam in libris recentioribus inventam priores editores comprobaverunt, iniuria spreverunt Fickertus, Haasius, Gertzius. neque vero aliter vitii origo explicatur, nisi ita, ut, cum *ea* in *ex* mutatum esset, illud supra versum adiectum falso loco inter scriptoris verba reciperetur. vicinus est hic locus (5,5), quem Gertzius inter desperatos numerat: *magnam fortunam magnus animus decet, qui nisi se ad illam extulit et altior stetit, illam quoque infra terram deducit.* simplici veri sensu Lipsius ductus adscripsit: *estne aliquid infra terram? fuerit potius: in terram, vel infra, ad terram.* recte igitur in verbis traditis duas lectiones delitescere perspexit, sed

haud dubie verum est: *infra deducit.*[23]) nam terrae mentio necessaria non est. vitium autem sic ortum videtur, ut, cum supra vocem *infra* nescio quis *in terram* posuisset, postea *in* omisso vocabulum *terram,* tanquam ad *infra* pertineret, orationi insereretur.

III.

De apocolocyntosis codice Valenciennensi.

Vetustissimi omnium codicum ad recensendam divi Claudii ἀποκολοκύντωσιν adhibitorum sunt Sangallensis 569 saeculi decimi vel undecimi et Valenciennensis (olim monasterii Elnonensis S. Amandi) 393 (402) saeculi noni exeuntis vel decimi ineuntis[1]). quorum recentiorem vetustiori longe praestare recte observatum est a Francisco Buechelero, qui in *Symbolis Ritschelianis* libellum acutissime emendavit et eruditissime enarravit. apud quem cum ita collatum habeamus Sangallensem, vix ut de ulla eius scriptura dubitatio oriri possit, restabat, ut ea, quae ex Valenciennensi Th. Oehlerus in Fickerti usum enotaverat, denuo examinarentur. quod cum fecissem, intellexi neque Oehlerum ea, quam hodie merito requirimus, diligentia negotium suum administrasse, neque Fickertum, quae ab eo acceperat, satis accurate in adnotationes transscripsisse. quare subiungo eam lectionis discrepantiam, quae in Fickerti editione aut omnino non extat aut non recte relata est:

vol. III p. 721 v. 1 SENEEE (sic!) LUDUS DE MORTE CLAUDII| 3 *caelo*| 11 *quidrus illam*| 12 *in caelo* in *in caelvm* mutavit m. 2.| 722, 2 *quae incaelo*| 5 *sed rus illam* in *se drus illam* mutavit m. 3.| 6 *caelum ascendentem*| 13 *cintiaregnum*| 14 *deformis hiemps*

[23]) v. epist. mor. X 3, 10: *virtutem non flamma, non ruina inferius adducet.* ne quis offendat, quod verbo *deducere* adverbium *infra* adiectum est, adscribo Plauti versum hunc (Amph. 1108): *devolant angues iubati deorsum in impluvium duo.*

[1]) Aetas libri Valenciennensis certissime ea re definitur, quod ab Hucbaldo eum scriptum esse scimus ex catalogo librorum monasterii S. Amandi saeculi XII (cod. Parisinus bibl. nat. 1850). presbyter factus est ille anno 880, mortuus 930. v. quae eruditissime disputavit L. Delisle in libris *Journal des Savants* 1860 p. 376 sq. et *Cabinet des manuscrits* II p. 454 nr. 190.

(*p* expunxit m. 3.)| 16 *serus uindemitor* (ante *t* erasa est *a*)| 17 *dies . III . id. octob.*| 19 *inter orologia conueniet . tamen* (*tamē* in *tamen* mutavit m. 3.)| 723, 5 *noctis fessus* (linea infra vocabulum *fessus* ducta est idemque in margine repetitum)| 7 *Claudius* (prior *u* supra versum m. 3.) *animagerecoepit* (*ā* inter *m* et *a* erasit m. 3.)| 724, 2 *Seddotho* (*clotho* m. 2. in margine)| 3 *me erculus* (supra posteriorem *u* m. 3. *e* posuit)| 4 *qui super* (supra *super* m. 3. scripsit *semper*) *sunt*| 5 *brittannos togatos*| 7 *tunc capsulam*| 8 *tres fusos*| 9 *tres* (*e* in *i* mutavit m. 3.)| 16 *At lachesis* (*sis* in rasura scripsit m. 3.)| 19 *manuque* in *manuquae* mutavit m. 2.| 22 *formosa descendunt secula filo* (*filo* scriptum est in rasura sex circiter litterarum[2])| 725, 1 *implere manus*| 2 post *Sponte* erasa est *a*| 6 *Filaetusnunc*| 9 *neueramanus* (prior *n* correcta est ex *u*)| 12 *similis uultu*| 18 *solaspicit*| 21 *Aspiciet flagrat* (*l* correcta ex *r*)| 22 *Ultus*| 24 *annos* post *donat* transposuit m. 3.| 25 ΧΑΙΡΟΝ-ΤΑΥϹΘΥΦ ΗΜ · ΟΥΝΤΑΥϹΘΚ | ΠΘΙΝΑΟϹωΘω 726, 1 *Expirauit*| 4 *quodautem fecerit* 5 *Omniacerteconcauauit* (litteras *te* in rasura scripsit m. 3.)| 8 *inpresserunt* (*u* correcta ex *a* m. 3.)| *caelo*| 10 *uenis sequendam*| 11 *illum mirari* (ad *mirari* m. 3. in margine adscripsit *mari*)| *Assidue* (*e* correcta ex *ae* m. 3.) *enim capud* (supra *d* litteram *t* posuit m. 3.)| *pedum* in *pedem* mutavit m. 3.| 13 *non intelligerese*| 14 *nec gre*cumesse*| 17 *her culus* (posteriorem *u* in *e* mutavit m. 3.) *primo aspectu*| 18 *utquidetiam* (*d* expunxit m. 3.) *non omnia monstra timuerit*| 727, 3 *et implicatam*| 6 ΤΙϹΤΙΟΘΘ | ΝΙϹΑΝΟΡωΝΤΙωΝΤΙΟ ΙΝ ΤΙΟΑLϹΗΟΘ | ΤΚΗΘϹ| 10 ΙΝΟΘ | ΘΝΡΙΘ ΦΘΡΟΝΑ ΝΘΜΟΟΚΙΟ | ΝΘϹϹΙΤΙΘΜϹ ϹΘΝ·| 11 *aeque homericos.* ΘΗΘΑΘΤω)-ϹΟΛΙ | ΝΘΤΙΡΙΡΑΘΟΝωΑΘϹΑ ΛΑΥ ΤΟΥϹ· | 14 *solatum illo*| 728, 5 *multa milia* (in *alia* mutavit m. 3.) *interxantum et hrodanum inter esse*| 8 *solutae manus* (*u* in *manus* m. 3. ita posuit, ut, quid ante scriptum fuerit, non dispiciatur)| 10 *illius ēe* (virgulam add. m. 3.)| 11 *hercu lus* (posteriorem *u* in *e* mutavit m. 3.)| 16 *neperemtus terram adcadas*| 729, 2 *Edissereequidem* (*e* ante *q* inseruit *m.* 3.) *regnater gemini*| 7 *Ubirodanus* 10 *altrextui.*| 12 ΑΑωΡΟΥΠΑΠΓΗΝ·| 16 *docere* in *dicere* mutavit m. 3.| *her culus* (supra posteriorem *u* m. 3. *e* posuit)| 17 *siq.* (= sique) *ui a me*| 730, 1 *impetum fecisse.* 2 ΕΤ ΤΙ-

[2]) fortasse erasum est vocabulum *lana* vel *tela*, sed praestat haud dubie *filo*.

ΚΟΡΗΟϹ | ΘΘΟϹ· | 3 ΟΥΤΘ ΑΥΤΟϹΤΙΡΑΤΜΑ | ΕΧΙΕΤ ΤΟΥΤ ΒΑΛΟΠΠΑΡΘΧΘΙ· 5 *sinepre putio*| 6 *sime her cules*| 7 *celebrauit satur naliacius.princeps* 8 *illum deum abioue. Qui quantum* 9 *clamauit* (in margine m. 3. adscripsit *damnauit*) *incesto*| 10 *Oroper quod?*| 11 *uenerem uocarent* (*re* expunxit m. 3.)| 731, 1 *stulde.* (*d* in *t* mutavit m. 3.) *stude*| 4 *caeli scrutatur*| 6 ΜΟ ΡΟΥϹ ΙΑΑ| ΤΟΥΧΗΙΝ·| 8 *inquid* . ϹϹ 9 *me*| *rapamalia* 11 *pateris designatur. eratinkl. iulias post meridianus consul* 12 *quantumuia sua fert* ΑΜΑΡΟϹϹΟ | ΚΛ ΤΙLϹϹω· 732, 4 *uulgo dari* 7 *quia* ΡΟΥ | ΡΗΑΚΑ ΡΟΝΘ ΔΟΥϹΙΝ *aut exquo* (post *o* erasa *d*) *alit* ΖΕΙΔΟΡωϹΑ ΡΟΥΡΑ· 12 *uendedere* (*de* expunxit m. 3., ultima *e* in rasura) *ciuitatulas* 13 *adhuc uelle* 733, 3 *sitque erep* 7 *optime iurefactus*| 14 *disseruit* .ϹϹ. *Uostestes* 16 *quemgrauiorem* 18 *compescui.*| 19 *quiddicam.* (prior *d* supra versum) ϹϹ *Non* 20 *admesa lecoruini*| 734, 1 *precidet imperii . hic .* ϹϹ·| 2 *muscamextitare* (priorem *t* in *c* mutavit m. 3.) 4 *de tot actibus*| 6 ΘΝΤΥϹΟΝΤΟΝΙΚΝΝΑΙΗϹ· *Istequem*| 8 *duas sic ilias pronepotes*| 735, 1 *quanquam ex his*| 2 *dampnasti*| *incaelo*| 3 *ecce iuppiter qui tot annos regnatum uulcano*| 5 ΡΙΥΘΤΤΙΟΑ ϹΤΘΤΑΤω ΝΑΤΙΟ | ΒΗΑΥΘΘΤΟΤΟ| 8 *dii tibi*| 9 ΙϹ. *Caesarem*| 11 Ϲ. *Caesar crassifilium*| 13 *tristionias assarionem* (supra posteriorem *a* m. 3. *i* posuit)| 16 *deum* supra versum add. m. 3. *eius diis*| 736, 4 *praesentia mea hoc* (*tia mea* supra versum add. m. 3.)| 6 *appiam* (*am* in *vm* mutavit m. 3.) *sillanum*| 7 *filiesuae grassum*| 12 *caelo intra*| 13 *cillemus* in *cillenius* mutavit m. 3.| 737, 1 ad *ambulare* m. 3. in margine adscripsit *ambulabat*| 3 *et tenebris*| *gratiles* 6 *causidicos* (post *di* exeunte versu duae vel tres litterae erasae sunt)| 8 ΜΕΤΑΛωΧΟΡΙΚω | ΝΕΝΙΑ CANTABATUR ANAPϹSTIS·[3])| 10 naeniae versus eodem modo, quo in S eos scriptos esse Bucchelerus refert, dispositi sunt| 9 *Quo* (supra *o* litteram *i* posuit m. 3.)| 16 *poterat celeris*| 17 *funderepartos*| 20 *uulnere paruo*| 22 *illebrittannos*| 738,7 *Creteatenens* (*a* supra versum add. m. 3.)| 8 *Cedite mestispectora*| 15 *thalthibius*| 17 *inter tyberim*| 18 *compendiaria*| 20 *Quiddii*| 23 *narcisus*| *pro-*

[3]) nondum emendatus est hic locus. quamquam autem maxime ex iis, quae probata sunt, id arridet, quod Buechelerus in secunda editione minore anno 1871 apud Weidmannos evulgata pro *ingenti* scribendum proposuit *incinente*, tamen nescio an μεγάλω glossa sit ab eodem interpolatore ad vocem *ingenti* adscripta, qui in cap. 9 *aut ex his quos alit* ζείδωρος ἄρουρα addidit et titulum ἀποκολοκύντωσις in ΑΠΟΘΗΟϹΙϹ mutavit.

cliuia (*l* supra versum add. m. 3.)| 26 *Oratius*| 739, 2 *assueuerat*| 5 ЄIPHKAMЄNCYNXA | ITPωMEN| 5 *Hicerat* (*c* supra versum add. m. 3.)| 7 *eques ·R· quos narciosum duci cusserat* (ad *narciosum duci* m. 3. in marg. add. *narcius ducius*)| 8 *turba nostre pantomimus* (*mu* in rasura) *quam*| 11 *liberti* (*li* supra versum) *polibius miro narpocras ampheus pheronattus*| 740, 2 *rufius. pompei filius*| 3 *satur ninus lusius*| 4 *etcelerasinus*| 5 *sororis* (supra versum) *filia* (supra versum m. 3.)| *generi* **soceri* 7 ITANTA | ΦIAωNTIAPH·| 10 *inter fectos? In* (*s* posuit m. 3. obducta eadem littera)| 13. XXX. *equites R. U. ceteros* ·CCXXI·OCAYAMA ΘOC TЄKONIC TЄ·| 741, 2 *magnis* (*n* supra versum m. 3.) 4 *condempnat*| AIKЄTAICTaePЄ‡aCLKHЄYΘIAIЄ NOITO. (prorsus certum est quattuor ultimas litteras, quae lineolis inter se coniunctae sunt, legendas esse οιτο)| 6 *attoniti*| 8 *quid illum* (haec duo verba supra versum) *patio porteret*| 9 *si unidii laturam*| 12 *illi* (ex *ulli* corr. radendo) *ex ueteris*| 24 *illilaborem irritum, spes sinefine effectu*| 742, 6 *Fallax assiduo*| 8 *Irrita sisifilo,* 9 *Apparuit*| 10 *illa* (supra *a* litteram *o* posuit m. 3.)| 11 *illum ea codonat* (inter *o* et *d* litteram *n* posuit m. 3.)| in duorum, qui in fine adiecti sunt, hexametrorum priore vocis *tempus* prima littera in rasura posita est.

ex his igitur, inter quae, quo accuratior imago libri vetustissimi repraesentaretur, etiam leviuscula quaedam recipere non dubitavi, iis maxime in rebus peccasse Oehlerum apparet[4]), quod, ut alia graviora praeteream, neque manus correctrices duas eidem, qua codex scriptus est, aetati tribuendas distinxit[5]), neque rasuras omnes memoravit, neque quomodo verba divisa essent, accurate indicavit. ad descriptiones codicis ab Oehlero apud Fickertum (vol. III p. VIII), ab I. Mangearto (*Catalogue des manuscrits de la*

[4]) ne iniuria fiat manibus viri seduli et protractis codicibus Latinis, qui in bibliothecis oppidorum Gallicorum ne nunc quidem exhaustis delitescebant, bene de litteris nostris meriti, profitendum est multo diligentius eum in conferendo Valenciennensi quam Fickertum in aliis Senecae codicibus versatum esse. praeterea constat, quam neglegenter Fickertus et iis, quae ipse et quae alii in eius usum excerpserant, usus sit.

[5]) raro Valenciennensis correctores ad coniecturas confugisse, sed plerumque archetypo aut altero quopiam libro usos esse ex iis, quae supra enotavi, facile apparet. tertiam manum viri cuiusdam eruditi saeculi XVI (fortasse Hadriani Iunii; v. adnot. proximam), quae nonnullis locis Graeca litteris minusculis in marginibus adscripsit et uno loco Latina mutavit, non memoravi.

bibliothèque de la ville de Valenciennes, Paris-Valenciennes 1860, nr. 393) ab A. Riesio (*Anth. Lat.* vol. II p. XX sq.) propositas quod addam non habeo.[6])

quamquam autem iis, quae supra excerpsi, Buechelerum recte Valenciennensem Sangallensi postponere intellegitur, tamen paulo iniquius eum iudicasse, cum ex S solo libelli Annaeani verba constituenda esse diceret (*Symb.* p. 75), iam perspicitur. atque hoc quidem vir eruditissimus concessit, S et V ex eodem archetypo descriptos esse. quem cum saeculi noni librarius neglegentius, saeculi decimi fidelius expressisset, tam ignarus tamen uterque eorum, quae scribebat, erat, ut cum multa verba minus usitata corrumperet, tum ea, quae in capite duodecimo naeniam praecedunt et iam ab eo, qui archetypum litteris minusculis exaraverat, praesertim cum Graeca praecederent, intellecta non erant, NЄNIA CANTABATUR ANAPЄSTIS. repeteret.[7]) quare a tali homine locos, quos S. depravatos habet, velut 6 *ad hoc manusatis firmae (ad hoc unum satis firmae* V) et 9 *designatus consul num mariolis (designatus consulnummulariolus* V) et 15 *Coepit producere testes (coepit. Producit testes* V), qui non fugerunt Bucchelerum, corrigi potuisse nullo modo mihi persuadere possum.[8]) accedit quod in Graecis, quae cum ne intellegerentur quidem illis temporibus, emendari non poterant, Hucbaldus quaedam (v. quae adnotavi ad p. 732, 7 et 741, 5) accuratius quam monachus Sangallensis descripsit. denique his

[6]) primus codice etiam tum in monasterio S. Amandi asservato usus est Hadrianus Iunius Hornanus. qui quamqum in adnotationibus ad ἀποκολοκύντωσιν anno 1557 apud Plantinium editis more illius saeculi non accurate eius lectiones commemoravit, iniuria post Fickertum vituperatus est a viris eruditis, quod ex illo libro scripturas protulisset, quae in eo non extarent. immo Fickertus confudit cum codice nota *S. A.* (= Sancti Amandi) significato alterum quendam, quem *codicem nostrum* vel *manuscriptum* ille appellare solet et se ab Ioanne Caucho (Ian van Cuyk Ultraiectinus mortuus est anno 1566) accepisse in praefatione narrat. videtur autem ne hic quidem codex, cum Graeca in eo fuisse constet, e deterioribus fuisse. ceterum non exigui momenti est quaerere, quae H. Iunii fides sit in afferendis librorum vetustorum lectionibus, cum etiam codex Atrebatensis laudis Pisonis, quo ille usus est, iam non extet.

[7]) simile vitium memorat H. Keilius in Plinii epistularum editione anni 1870 p. IX adnot.

[8]) alios similes locos C. Schenkelius commemoravit in *Actis academiae Vindobonensis* anni 1863 p. 12.

locis V vetustam archetypi orthographiam in S oblitteratam servavit: p. 722, 7 *adfirmauit* (*affirmauit* S), ib. 19 *philosophos* (*filosofos* S), 724, 9 *tris* (m. 3.) *uno anno* (*tres uno anno* S[9]), 725, 8 *citharam* (*cytharam* S), 729, 5 *inminens* (*imminens* S).

quae cum ita sint, etiam aliae quaedam codicis V lectiones iis, quae in S extant, aut praestare videntur, aut ab eo, quod Seneca scripsit, propius abesse. in capite primo facete irridetur Livius Geminus his verbis: – *ex quo in senatu iuravit se Drusillam vidisse caelum ascendentem et illi pro tam bono nuntio nemo credidit, quod viderit verbis conceptis adfirmavit se non indicaturum, etiam si in medio foro hominem occisum vidisset.* si S solum sequaris, verba quae sunt *quod viderit,* cum Heumanno (*Supplement. ad acta erudit.* VI 298) tanquam interpolata eicias necesse est. at nonne verisimilius est eum, quicunque addidit, illa post *indicaturum* aut post *adfirmaverit* positurum fuisse? porro plusquamperfecti temporis coniunctivo uti debebat, non perfecti. ecce succurrit V scribendo *quid viderit.* nam haec ex iis nata esse, quae Paschasius Radbertus saeculo nono legit *quicquid viderit* (*Acta Sanctorum ordinis Benedicti ed. Mabillon* IVa p. 436, v. quae dixit F. Ionas *Hermae* vol. VI (1872) p. 127), maxime est probabile. pendent autem ea a verbo *credidit*[10]) simili modo hic locus (6) videtur corrigendus esse: *excandesit -- Claudius et quanto potest murmure irascitur. quid diceret nemo intellegebat.* S habet *diceret,* V *dicebat.* itaque cum magis probabile sit propter *quid* verbum *dicebat* in *diceret* mutatum esse quam *diceret* in *dicebat* ob id, quod sequitur *intellegebat,* et cum Seneca iam supra narraverit Herculem Claudii verba non intellexisse, eo inclino, ut *quidquid dicebat, nemo intellegebat* scribendum esse existimem. in capite quarto is modus, quo manus tertia, quam archetypo vel altero codice adhibito V emendasse supra diximus, verba disposuit: *at Lachesis-----fecit illud plena manu et Neroni multos de suo donat annos,* praeferendus est ei, quo S *annos* post *multos* habet. Senecae enim

[9]) non dubito, quin etiam paulo superius Seneca *tris fusos profert* scripserit. quamquam enim his in rebus veteres nobis multo neglegentiores fuisse constat, diversas eos formas tam paucorum verborum intervallo diremptas posuisse vix est probabile.

[10]) modus coniunctivus post *quisquis* legitur etiam de clem. I 8, 5.

generi dicendi soluto et paratactico ille verborum ordo maxime convenit. capite decimo quarto extremo, ubi S male habet: *spes sine effectum,* quod Rhenanus et Schefferus in *speciem sine effectu* mutaverunt, propius V ad archetypi vestigia accedere puto, in quo haec leguntur: *spes sinefine effectu.* facile omitti poterat vocabulum *fine,* vix addi. fortasse igitur scribendum est: *speciem sine fine et effectu,* quod est in plurimis editionibus ante Fickertum emissis, aut: *speciem sine fine, sine effectu.* porro in capite decimo tertio multo melius est, quod V habet: *quomodo uos huc uenistis?* quam quod S: *quomodo huc uenistis uos?* (v. quae Buechelerus in editione minore tertia dixit). supersunt duo loci, quibus ambigas, utrum in S an in V verba rectius collocata sint: (7) *neminem sibi romeparem fuisse* V *neminem Romae sibi parem fuisse* S et (14) *uetus eius conuictor* V *uetus conuictor eius* S.

IV.

De epistulis moralibus recensendis.

Epistularum moralium[1]) a Seneca sene mira quadam velocitate scribente et amanuensium opera utente (v. Quintiliani inst. orat. X 1, 128) ad Lucilium missarum Gellius libro vicesimo secundo usus est, nobis viginti tantum libri supersunt per medium aevum studiosissime et descripti et lectitati. commendabantur enim non solum disputationis elegantia et sententiarum maxima copia, sed praeponi iis solebat vita ab Hieronymo composita et Senecae et Pauli epistulae ficticiae[2]). quare plures earum codices

[1]) *Epistularum moralium* inscriptio, quam praeter alios codices Metensis 300 saeculi XI habet, Gellii auctoritate (XII 2, 3, cf. praef. 9) confirmatur. in Parisino 8658a (P) *litterarum moralium* nomen gerunt idemque libro quarto in Laurentiano LXXVI 40 saeculi IX—X subiectum esse me interrogantem Ludovicus Zdekauer officiose edocuit. v. praeterea similem subscriptionem ab Aem. Chatelain (*Revue de philologie* 1877 p. 126) ex Parisino 8540 (p) prolatam. contra libro secundo Laurentianus et p subscribunt: *L. Annaei Senecae moralium* (*Senecae memoralium* p) *ad Lucilium explicit liber secundus* (*lib. II explicit* p).

[2]) tertio loco antiquum neque invenustum epitaphium Senecae saepe adicitur (anth. Lat. Riesii 667). quod quis composuerit quamquam nescimus, tamen si in re incerta coniecturam facere licet, eidem tempori tribuerim, quo Buechelero praeeunte (*Mus. Rhenan.* XXVII 474) Octaviam compositam

servati sunt quam ceterorum eius librorum omnium. cum autem magnae molis opus ante saeculum nonum in duo volumina discissum esset, quorum prius tredecim, posterius septem tantum libros complecteretur, hoc multo rarius et descriptum est quam illud et in excerptis, quae multa non magni pretii neque saeculo duodecimo vetustiora supersunt, usurpatum. quae volumina sacculo duodecimo denuo coniungi coepta esse docent tres codices viginti epistularum libros complexi: Abrincensis 239 sacculi XII, Montepessulanus scholae medicinae H 445 saeculi XIII, Cantabrigiensis 1768 eiusdem aetatis. neque tamen duos saltem eorum ex fontibus diversis ab iis, ex quibus vetustiores codices fluxerunt, derivandos esse inde perspicitur, quod et in Montepessulano, quem Parisios transmissum mihi inspicere licuit, et in Cantabrigiensi (v. *Catalogue of the mss. of the university of Cambrigde* III p. 406) posterioris tantum voluminis epistulae in libros dividuntur. apparet igitur ad haec exemplaria conficienda duo archetypa adhibita esse, quorum alterum prioris voluminis singulas epistulas numeratas, alterum posterioris in libros distributas contineret. libri Abrincensis num similis ratio sit ignoro[3]). certe in catalogo, qui inest in libro ita inscripto: *Catalogue général des bibliothèques publiques des départements* vol. IV p. 548, nihil de ea re traditur.

prioris epistularum voluminis recensio adhuc Fickerti instrumento critico ab Aemilio Chatelain laudabili cura adaucto (*Revue de philologie* I 1877 p. 101 sq.) nititur[4]). cum tamen multi

esse nunc omnes existimant, h. e. primis post Neronis mortem annis. Baehrensium enim sine idonea causa illud C. Sulpicio Apollinari periocharum Terentianarum scriptori attribuentem (poet. Lat. min. V p. 386) non est cur audiamus. ceterum quod in codice quodam Hildeberto Cenomanensi (*Hildebertus ed. Benedictini* p. 1369) tribuitur, quamquam codex Valenciennensis, quo vetustior nullus est eorum, quibus epitaphium continetur, duobus saeculis hunc virum antecedit, nemo mirabitur, qui consideraverit, quam libenter poetae medii aevi antiqua carmina pro suis venditaverint.

[3]) omnes Senecae epistulas, sed primis quaternionibus deperditis etiam Franciscanus quidam optimus eorum codicum, quos Fernandus Pincianus ad Senecam emendandum adhibuit, videtur continuisse, quippe ex quo variae lectiones inde ab epistula IV 8 (37) usque ad ultimam afferantur. plura dixi de eo p. 40 adnot. 20.

[4]) quicumque hodie ad Senecam tractandum accedunt acerbe vituperare solent Fickerti neglegentiam et stuporem. at quamquam nullo pacto ex-

codices nondum innotuerint, neque Fickertiani recte aestimati aut in classes discripti sint, denuo haec quaestio instituatur necesse est.

I. codices vetustiores:

magnus horum codicum numerus id habet commodi, quod libros saeculo decimo tertio recentiores multo minus quam in aliis Senecae operibus curare licet[5]). nam aetate et bonitate

cusari potest eum spretis virorum eruditorum certissimis emendationibus codicum sordes denuo intulisse, ne obliviscamur eum prima fundamenta iecisse, quibus quicunque post eum in Seneca recensendo et emendando elaborarunt sua superstruerent. quantopere autem codicum conferendorum ratio iam mutata sit ab ea, qua ante hos quadraginta annos utebantur, intelleges, si legeris (praef. p. VIII) Fickertum *diversum verborum ordinem iis tantum locis notavisse qui alias quoque essent corrupti* et, ut aliunde exemplum petam, I. C. Orellium codicis Ciceroniani Abrincensis collationem quandam accuratissimam dixisse, quoniam ne verborum quidem ordo neglectus esset (Ciceronis opera edd. Orelli, Baiter, Halm vol. I p. VI).

[5]) Codicibus recentioribus, quibus Senecae epistulae continentur, bibliothecae plurimae abundant. Horum nullam mentionem facere volui, quippe quorum notitia ex catalogis typis expressis facile peti possit. Attamen propter brevissimi catalogi raritatem ea addam, quae G. Studemundus de nonnullis Senecae codicibus, qui in bibliotheca Phillippica Cheltenhamiana adservantur, anno 1887 velociter ab eo inspectis benevolentissime mecum communicavit: I) Codex 1278 membr. fol. min. saeculi XIV (qui olim fuit *Sancte Marie de Camberone*. Insunt in eo: 1) *Ieronimus in libro de viris illustribus sic de seneca scribit.* [inc.: *Lucius Anneus Seneca,* des.: *a Nerone interfectus est*]; 2) *Incipiunt eplē senece ad paulum et pauli ad senecam. Anneus seneca paulo salutem* [inc.: *Credo tibi paule nuntiatum,* des.: *Vale seneca karissime. Data kalendas augusti. lucone et sauino consulibus.*]; 3) *Epitaphium senece* [inc.: *Cura labor,* des.: *reddimus ossa tibi.*]; 4) *Continentur in hoc codice lucii annee senece litterarum moralium libri numero viginti ad lucilium. Ad ebutium liberalem amicum suum de beneficiis sive liberalitate libri septem. Ad neronem de clementia libri duo. Liber eiusdem de quatuor virtutibus. sive secundum quosdam de copia verborum quem misit paulo apostolo. Item parabole eiusdem secundum ordinem alphabei* (sic) *distincte. Incipit eplā prima senece ad lucilium*| *Lucius anneus Seneca lucilio salutem. capitulum I.* (haec omnia inde a *Continentur* minio scripta sunt) [inc.: *Itaque mi lucili vendica te,* des. in epistulae XII 3, cui numerus LXXXIX praepositus est, verbis extremis his: *ad hunc pervenere mansueta sunt. Vale.*]; 5) *Incipit eiusdem liber primus de beneficiis ad ebutiuṃ liberalem amicum suum.* [inc.: *Inter multos et varios errores,* des.: *est magni animi perdere et dare.*]; 6) *Incipit eiusdem liber primus de clementia ad imperatorem neronem discipulum suum.* [inc.: *Nero cesar institui ut quodammodo,* des.: *quomodo in rectum parva flectantur.*]; 7) *Incipit liber eiusdem de copia verborum sive de quatuor virtutibus ad paulum apostolum* (ultima tria verba alia manu adiecta sunt). [inc.: *Quatuor virtutum species,* des.: *que per negligentiam fit.*]; 8) *Incipiunt pro-*

insignes duces primarii plures quam in illis nobis praesto sunt. quorum quamquam nullus supra saeculum nonum ascendit et tam similes inter se sunt, ut ad eandem omnes familiam pertinere appareat, suas tamen quisque virtutes habet, ut hunc prae illo

verbia eiusdem, immo Publilii. [inc.: *Alienum est omne quicquid optandum evenit,* des.: *Velari autem hominibus vitiosum est.*]; 9) Parabolae = varia excerpta ex Senecae libris. [inc.: *Avida est periculi virtus et quo tenditur, non quid passura sit cogitat,* des.: *Vltionis contumeliosum genus est non esse visum dignum ex quo petat ultio.*]; 10) inc.: *Cum multa iam mihi ex me desideranda senectus fecerit,* des.: *Ita ex memoria mea quantum vobis satis sit superest.* — II) Codex 9476 chart. fol. min. saeculi XV continet Senecae epistulas *ad lucillum,* quarum prima sic incipit: *<I>ta fac mi lucili vendica te tibi,* ultima (XX 7) in haec verba exit: *intelliges infelicissimos esse felices.* sequuntur post vitam ab Hieronymo compositam Senecae et Pauli epistulae. — III) Codex 9072 chart. fol. saeculi XV continet hos Senecarum et Pseudo-Senecae libros: 1) Senecae et Pauli epistulas; 2) epistulas Senecae ad Lucilium easdem, quas codex 9476 habet; 3) de remediis fortuitorum; 4) de VII liberalibus artibus; 5) de quatuor virtutibus; 6) *declamationes* (id est Senecae patris controversiarum libros decem) [inc.: *Exigitis rem magis iocundam*]; 7) de verborum copia [inc.: *Quisquis prudentiam*; cf. Seneca ed. Haase III p. 469]; 8) additurus erat librarius apocolocyntosin nec tamen quicquam scripsit praeter hanc inscriptionem: *ludus Senece.* — IV) Codex 12306 membr. saec. XIV—XV; insunt haec Annaeana et Pseudo-Annaeana: 1) Vita Senecae Hieronymiana et Senecae et Pauli epistulae; 2) Senecae epistularum liber I sic inscriptus: *liber primus de colligenda et sistenda fuga temporis et non esse pauperem cui* etc.; 3) *liber de moribus* [inc.: *Omne peccatum actio est*; cf. Sen. ed. Haase III p. 462]; 4) *de proverbiis* [inc.: *Avida est periculi virtus*]; 5) *parabole senece philosophi* [inc.: *Nunquid sed quemadmodum feras*]; 6) *de quatuor virtu. nalibus* [inc.: *Quatuor virtutum species*]; 7) *de remediis fortuitorum* [inc.: *Hunc librum composuit seneca* etc., deinceps: *Licet cunctorum poetarum carmina*]; 8) *de VII liberalibus artibus ubi docet de eis singulis que animum ad virtutem non perducunt set properant* etc. [inc.: *De liberalibus studiis quid sentiam*]; 9) *ad Pollionem de consolatione* [inc.: *Nostra compares firma sunt*]; 10) *liber Senece. de copia verborum* [inc.: *Quisquis prudentiam sequi desideras tunc per*]; 11) *Incipit liber senece qui dicitur ludus de morte claudii* [inc.: *Factum sit incelo ante diem tertio ydibus,* des.: *ut acogitationibus abesset*]; 12) *Seneca de formula et honestate vite* [inc.: *Superfluo et*]; 13) *Seneca de preceptis sapientie* [inc.: *Non hoc te liberalis carmine longo*]; 14) *Seneca de paupertate* [inc.: *Honesta res est inquid epicurus,* cf. Sen. ed. Haase III p. 458]; 15) *Senece de quatuor virtutibus* [inc.: *Quatuor virtutum speties multorum sapientium*]. — V) Codex 6966 membr. 4° saec. XV continet haec: 1) de quatuor virtutibus; 2) de moribus; 3) de clementia [inc.: *<S>cribere de clementia*]; 4) consolationem ad Polybium [des.: *et barbaris quoque humanioribus gravis fremitus circumsonat.*]; 5) Publilii sententias [inc.: *<A>lienum est omne quicquid optando evenit,* des.: *zelari*

neglegere nullo modo liceat. saeculi decimi duo tantum codices Fickerto noti erant Parisini bibliothecae nationalis 8540 (p) et 8658a (P). nam p, quem Fickertus catalogum secutus (vol. IV p. 448) undecimo tribuerat, a Chatelainio (l. c. p. 101) ad initium decimi relatus est. quin etiam cum membranarum forma elegantiaque Laurentiano, de quo mox dicam, Bambergensi et Argentoratensi alterius epistularum voluminis, Reginensi librorum de beneficiis et de clementia simillimus sit ac ne litterarum quidem aequabilitate his multo inferior, dubitatio movetur, num forte iam nono saeculo exeunte scriptus sit. liber P autem, qui in foliis formae octavae minoris litteris multo minutioribus exaratus est, codice p et paulo recentior esse et paulo minoris pretii videtur. nam cum Fickertus (vol. I p. XXIII) codicem P ab altero *praestantia fere aequari, aliquando etiam superari* dixisset, melius Haasius (vol. III p. VI sq.) p, cum a manifestis quibusdam glossematis et mendis liber esset, libro P praestare perspexit. iure tamen hic quoque a Madvigio vituperatus est (*Adversar. crit.* II 459 et 469), quod libro p aliquanto plus tribuisset quam tribuere oporteret. quod quo certioribus argumentis comprobetur, exemplis a Madvigio et a Chatelainio (p. 162 sq.) prolatis nonnulla addere liceat: I 4, 7 voculam *ubi,* quae in p, cum verba *lux est et* supra versum adiecta sint, casu omissa videtur et sententiarum conexu flagitatur, perperam seclusit Haasius. — I 5, 9 *futuro,* quod creberrimo errore in uno p pro *venturo* legitur, idem recepit, sed postea se errasse intellexit[6]). — I 6, 1 P, p.

autem hominibus viciosum est]; 6) sententiarum collectionem alphabeticam alteram [inc.: *Audita est periculi virtus,* des.: *ultio.*]; 7) de beneficiis [inc.: *<I>nter multos ac varios errores temere inconsulteque viventium,* des.: *dare et perdere. hoc est magni animi perdere et dare*]. — VI) In medio codice 2144 membr. 8° saec. XIV—XV decem paginis binis columnis scriptis continentur haec: 1) *Incipiunt proverbia senece* [inc.: *Alienum est omne quicquid optando evenit* id est Publilii sententiae; des.: *Zelum de deo tm habeas, non contra homines*| *Zelari autem hominibus viciosum est.*]; 2) collectio illa altera, quae continetur codice 6966: *Item proverbia eiusdem* [inc.: *Avida etc.,* des.: *non esse visum dignum ex quo petatur ultio*]. — VII) Codex 12305 membr. saec. XIV continet Senecae de beneficiis et alios eiusdem scriptoris libros. — VIII) Codex 9944 membr. saec. XV (non saec. XIV) eleganter scriptus continet Senecae tragoedias decem. — ceteros Senecae codices Phillippicos Studemundus propter temporis angustias non inspexit.

[6]) praef. vol. III p. VII. locis ab Haasio commemoratis adde, si placet, hos: ep. mor. VIIII 1, 8; XVI 3, 6; XX 7, 17; Agam. 469.

corrigi maluit ex auctoritate libri p pro eo quod verissimum est *colligi* (opponuntur inter se verba *extenuari* et *attolli*) et servatur in P aliisque. — I 9, 10 *paro,* quod Haasius probavit, male scriptum est in p nimirum propter verba quae subsequuntur: *habeam, possim, habeam, sequar.* at cum paulo inferius haec legantur: *ista quam tu describis negotiatio est, non amicitia,* certum est illis verbis Senecam adversarium, quem fingere solet[7]), interrogasse et veram esse codicis P aliorumque scripturam *paras.* — I 12, 8 *parentaverit* paulo inusitatius verbum in *presentaverit,* quod medii aevi hominibus in deliciis erat, mutatum est in p. — II 1, 12 coniunctivum *timeatur,* quem p habet, ex *timeretur* correctum, sed, cum *est* praecedat, nequaquam necessarium non praeferre debebat Haasius indicativo, quem P servavit. — II 2, 3 anaphorae figura, quae quantopere Senecae placuerit dici vix potest, cum displicuisset libri p interpolatori, verba haec: *timetur inopia, timentur morbi, timentur* eqs. mutata sunt in *timetur inopia atque morbus, timentur.* — II 3, 10 in iis quae P sic scripta habet: *stulta uita ingrata est, trepida, tota in futurum fertur.* haec discrepant in p: *stulti uita* et *ingrata est et trepida.* quorum prius cum nullo modo recipere posset Haasius ob ea quae statim Seneca dicit: *quam tu nunc vitam dici existimas stultam,* tamen voculam *et,* quam libentissime addunt interpolatores, probavit. quare orationem, quae asyndeto gravis et nervosa fit, foede discerpere coactus est hoc modo: *stulta vita ingrata est et trepida. tota in futurum fertur.* — II 4, 3 in p id quod recte legitur in P et ceteris *otio nausia* primum corruptum est in *otionan,* deinde in *otium namque* mutatum. — ibidem 5 *disponit* librum p secutus dedit Haasius. at praestat utique altera scriptura *disposuit,* quae est in P aliisque. nam opponuntur deus et providentia, qui omnia dudum disposita habent, casui, qui *res humanas sine ordine inpellere et iactare* dicitur. quare ubi de deo vel providentia dicendum est, requiritur perfectum vel perfectae significationis verbum, ubi de casu, praesens. cf. de provid. 5, 8: *ille ipse omnium conditor et rector (deus) scripsit quidem fata, sed sequitur. semper paret, semel iussit.* — ibidem 9 Haasius particulam *ergo,* qua nullo modo

[7]) v. quae de hoc Senecae more dixi *Hermae* vol. XVII (1882) p. 367 sq. et adnot. 5.

carere possumus, codici p adstipulatus seclusit. — II 9, 9[8]) *confugiunt* idem recepit ex p solo, cum P aliique *confugient* habeant. praesens tempus substituit interpolator propter id quod sequitur *existimant,* nec curavit infinitivum cum hoc coniunctum *habituros (esse).* — III 8, 3 codicis p librarius pronomine *quae* plurativi numeri formam contineri opinatus *venit,* quod reliquorum omnium consensu comprobatur, in *veniunt* mutavit. quo recepto et particula *si* post voculam *ars* inserta Haasius structuram molestissimam reddidit. — IV 8, 4 haec verba: *si vis omnia tibi subicere, te subice rationi.* solus codicis p librarius, cum oculi eius ad vocem *omnia* aberassent, sic depravavit, ut *omniæ subteratione* quod primum scripserat, in *omtæ subite rationi* corrigeret. nam *omnem subice te rationi* vel *omnem te subice rationi* olim scriptum fuisse neque Haasius (p. XXVI) neque Chatelainius (p. 107) mihi persuaserunt[9]). abundat enim vocabulum *omnem* et in proximo quoque enuntiato, cuius simillima est sententia, voci *multos* nihil opponitur nisi pronomen *te.* — VII 5, 1 P solus ea quae sunt: *nondum committo me frigidae,* interpolatione libera tradidit. contra scriba archetypi librorum p Pr. a Pr. b, cum quid *frigida* esset, nesciret et primis epistulae verbis mentionem veris fieri meminisset, *frigido ueri* scripsit, quod in p verbis *frigide uere* cessit. haec igitur hactenus. satis enim demonstratum esse puto etiam codicem P dignissimum esse, qui denuo totus — id quod non fecit Chatelainius — conferatur.

sed tertius liber servatus est codicibus p P non post- F.
habendus: F(lorentinus Laurentianus) LXXVI 40 in quadratae formae membranis litteris elegantissimis et Parisino p, Bambergensi, Argentoratensi tam similibus exaratus, ut neque cum Bandinio (vol. III p. 112) ad saeculum undecimum aut cum Kochio ad decimum, sed aeque atque illi ad saeculum nonum exiens vel decimum iniens referendus esse videatur[10]). ex hoc,

[8]) quod ex eadem epistula (§ 4) post Haasium (p. VII) Madvigius (II 549) attulit interpolationis libri p exemplum, nullum esse docuit Chatelainius (p. 102 et 120). prima enim manu in p quoque legitur *magisthana,* quod secunda manus saeculi XII in *magistratus* corrupit.

[9]) uti non debebat Gertzius in miscellaneis in Caroli Graux memoriam Parisiis anno 1884 emissis p. 369 hoc loco ad commendandam incertam coniecturam, qua ep. mor. VII 6, 14 scribi iussit: *quisquis senex ad sapientiam pervenit, omnis* (*annis* codd.) *pervenit.*

[10]) eidem tempori Aemilius Chatelain, vir rei palaeographicae peritissimus,

quem Nicolaus Anziani indicaverat, primus H. A. Kochius paucas quasdam lectiones in *Annali philologo* anni 1875 p. 715 sq. edidit[11]). quo tamen certius de libri tam vetusti pretio iudicari possit, primi epistularum libri locos, quibus a Fickerti editione discrepat, infra subicio. omisi orthographica, in quibus fere concinit cum p P, leviora quaedam menda, ineptissimas et creberrimas mutationes tertiae cuiusdam et quartae manus saeculo decimo quarto recentiorum, quibus primaria scriptura saepe deleta est. contra pauca illa, quae manus secunda adscripsit, summi pretii esse mox intellegetur. quae quidem paulo post quam codex scriptus est, ex exemplari quodam ab archetypo diverso videntur petita esse.

p. 3, 1 *L. ANNAEI* usque ad *EPISTVLA I.* om.| 4, 8 *expellitur*| 5, 7 *incipias* corr. ex *incipies*| 12 *SENECA LVCILIO SVO SALVTEM* om.| 7, 13 *pascat aut feneret* m. 1.[12])| 9, 8 inter *illi* et *peccandi* duae litterae crasae sunt| 9 *quare ergo ulla*| 10, 12 *fecis se se et*| 15 *quod diutius*| 12, 3 *amici* (posterior *i* ex *e* correcta est m. 1. ut videtur)| 12 *fluctuantur* (litteras *ur* expunxit m. 1.)| 13, 1 *nolunt mori* (*et* om.[13])| 5 *aduersus haec quae accidere* (*ac* in rasura scripsit m. 2.)| 15, 17 *frons populo nostra*| 18 *in quo solidi*| 16, 10 *contra natura* (in margine adscriptum est: *uel ram*)| 12 *tantum uirilibus*| ib. *certis et* (ex signo hoc: ⌣ supra priorem litteram *e* posito et in margine repetito apparet librarium

F adscripsit, qui Kochii commentatiunculae ignarus paucorum quorundam locorum scripturas ex eo protulit in *Revue de philologie* IV (1880) p. 125 sq. recte tamen, quamquam eum lacunae, de qua mox dicendum est, supplementum fugit, codicem modo cum p modo cum P facere observavit.

[11]) aegre fero quod propter temporis angustias neque mihi librum F ea qua par est diligentia conferre licuit, neque L. Cohn et L. Zdekauer omnia, quae ex eo enotaveram, denuo examinare potuerunt. sed medebitur fortasse huic incommodo Gertzius, qui eius libri collationem penes se esse nuper professus est. idem propediem se de codice Veneto S. Marci 143 epistularum libros VI—XIII complexo et a Valentinellio catalogi vol. IV nr. 143 saeculo XI adscripto, neque tamen a me inspecto acturum esse promisit.

[12]) idem in P p legi, *non quantum pascat, quantum feneret* affirmat Chatelain p. 116. itaque iure in *Exercitationis grammaticae speciminibus* F. Buechelero a 1881 oblatis p. 33 commendatur a Woltersio, qui eam ipsam lectionem in codice Metensi repperit. v. ep. mor. IX 5, 15: *nihil ad rem pertinet quantum aret, quantum feneret, a quam* (*et quam* male Haasius ex P) *multis salutetur* eqs.

[13]) cum vocula *et* etiam in P p M omissa sit, Woltersio, qui eam deleri iubet, (p. 34) assentior.

aliquid adscripturum fuisse, nisi oblitus esset)| 13 *dilicatas res luxoriast*| 17, 1 *nostram s***| 18, 5 *sunt* post *securae* add. m. recens, sed fortasse eodem loco periit *s*| 15 *ignorabat uideo*| 16 *ipsos aegros*| 19, 2 *utilitatis seucura*| 7 *animo non potest*| 13 *reiciam* (supra *c* positum est hoc signum: ⌣ quod repetitur in margine)| 20, 10 post *mihi* add. *coepi*| 22, 2 ad *sales* in margine add. *deos*| 14 *meruit? Ut suspendatur* om.[14])| 23, 4 ad *plagis agitur* add. in margine: *uel plangis igitur*| 12 *mortem suam*| 24, 12 *intelligere rete*| 26, 4 *a meis rebus*[15])| 13 *uestrum tutam*[16])| 28, 7 *adhunc epicurum complicamus*| 15 *quae a philosophis* (praepositionem *a* supra versum add. m. 1.)| 29, 1 *quam mult**| 4 *fortuita in nostro* (hoc vocabulum in rasura)| 30, 1 *exprimere* aphathan *uno*| 30, 5 *nullum referre*| 13 *oculum uel oculos casus*| 15 *quam in integro*| 31, 16 *artifici** (erasa est *i*) *iocundius*| 33, 5 *Istam* (*m* in rasura) *quam*| 7 *quicquid consecutura*| 13 *an amicitia* <*propter se ipsam adpetenda sit. immo nihil magis probandum est.*> *Nam si propter se ipsam expetenda est, potest* (verba uncis inclusa in margine add. m. 2.)| 34, 4 *detrahis* (supra *i* m. 2. posuit *t*)| 10 *multis illi* rebus*| 12 *nulla re egere*[17])| 35, 2 *necesse sapientem* (litteris *em* expunctis *i* imposita est)| 6 ad *colitur* in margine adscriptum est *uel queritur*| 11 *qualis est ionis*| 12 *sibi agitationibus*| 15 *tulit se contentus est et*| 36, 5 *stilboni ille*| 21 ad *designat* in margine adscripta sunt verba *uel fertur uel designatur*| 37, 12 *plurimum*| ib. *suae sententiae*| 38, 1 *mentionem priori*| 4 *adtende cum homine malo loqueris*| 39, 1 *sic uone* (in margine *uel uiue*)| 20 *ad quem res pendebit*| 40, 1 *Ibi se colligebat uerecundia*| 6 *leniter* (in margine *uel lenitur*)| 16 *omnem* corr. ex *hominem*| 41, 7 *in os prodentis*[18])| 11 *nam magis*| 42, 1 *nobis elili-*

[14]) rectissime haec quoque verba, quae nisi in paucis codicibus recentioribus non reperiuntur, Woltersius p. 34 eiecit.

[15]) cum pronomen possessivum merito videatur praepositum esse idemque verborum ordo in L sit, hanc scripturam recipiendam esse existimo.

[16]) idem est in Pr. b. W L et ex M commendatur a Woltersio p. 34. recipiendum autem est, cum praecedant verba: *vitate, subsistite, putatis.* P, de quo Chatelain nihil tradidit, *nostrum* habere videtur.

[17]) *indigere,* quod pro *egere* omnes libri vetustiores praeter Sb habent, iure spretum est iam ab Haasio.

[18]) cum hoc loco (I 11,5) p *prodendentis* habeat, cave Fickerti exemplum secutus *protendentis* vel simile quid scriptum fuisse conieceris. ceterum in verbis proximis *boni sanguinis,* quae corrupta esse primus Haasius vidit,

gendus (prior *e* in rasura) 14 *ante se furens uultus semper tibi* 43, 12 ad *genium* in margine adscriptum est *honor uel dignitas* 15 *iste inquam Iste decrepitus* 44, 2 *singillaria adferre* 8 *est* post *plena* om. 13 *extrema tegula* 45, 5 *citamur excessum* 9 *a nat**ali* 46, 7 *alia* ante *alias* om. 12 *bebiote bebiote* 47, 14 *inquit dixit* 15 *mecum est perseuerabo* 16 *tibi iungere* ib. *nequid dicatur aestiment.* 17 *quaeque optima* 18 subscriptum est: *EXPLICIT LIBER PRIMUS*

habemus igitur codicem eiusdem atque p P stirpis, sed medium quendam locum ita inter eos tenentem, ut saepius cum p, rarius cum P congruat[19]), interdum ab utroque discrepet, velut p. 20, 10; 26, 13; 30, 1; 43, 14. augetur vero eius pretium hac re, quod in p duobus foliis evulsis epistulae 6, 7, 8 fere totae perierunt. deinde summi momenti est — id quod non fugit Kochium — quod lacunae satis magnae, quae est in epistula I 9, 12, supplementum ab Ioanne Opsopoeo ex codice quodam Ioannis Nicotii prolatum[20]), sed a Fickerto et Madvigio (*Adversar. crit.* II 463) improbatum iam auctoritate manus secundae libri Laurentiani, quam eidem atque primariam scripturam aetati tribuerim, confirmatur. contra multo minoris pretii ea sunt, quae manus prima adscripsit, et egregie ostendunt iam iis temporibus, quibus hic codex exaratus est, interpolandi initium factum esse[21]). his igitur tribus libris, ad quos in epistulis 16, 17, 10, 47, 43, 42, 5, 12, 15, 34 accedit Guelferbytanus g saeculi X (Gudianus 335, Eberti 784) a Fickerto collatus et descriptus[22]). prioris epistularum voluminis recensio innitatur necesse est. extant tamen satis multi codices saeculo decimo quarto vetustiores, quos, cum alicubi meliora illis tradiderint, nullo modo neglegere licet. inter quos aetate et bonitate eminet tertius Parisinus 8539 (Par. b et Pr. b Schweighaeuseri et Fickerti) in quadratae formae mem-

II. codices recentiores: 1. codices libros I—XIII 3, 45 complexi: Pr. b.

immoti sanguinis latere puto. immoto sanguini opponitur *incitatum et mobile.*

[19]) arta cognatione codices p et F coniunctos esse iam inde elucet, quod post titulum libri quinti haec verba habent: *feliciter vivas et plura* (*pluram* p) *conficias.*

[20]) ea in re Nicotianus ab F discrepabat, quod in eo post vocem *immo* particula *vero* legebatur. neque dubium est, quin in F casu omissa sit. — ceterum plures quam hodie servati sunt epistularum codices vetustos olim extitisse ex Erasmi, Pinciani, Mureti, Opsopoei, aliorum adnotationibus apparet. quamquam autem de Erasmi et Mureti libris (v. Fickerti edit. p. XIV sq., p. 100b, p. 126a) nihil fere certi scimus, haud paucas egregiarum, quas primi protulerunt, emendationum non ex ingenio, sed ex illis petivisse videntur. v. Fickerti apparatum ad ep. 88, 37; 92, 21. ex *quindecim et eo pluribus codicibus,* quibus Pincianus usus est (*F. Pinciani in omnia L. Senecae philosophi scripta ex vetustissimorum exemplarium collatione castigationes utilissimae,* Venetiis 1536 fol. 2b), optimus *Franciscanus* quidam videtur fuisse (v. fol. 62b). insunt enim in eius lectionibus inde ab IV 8 (ep. 37) usque ad ultimam epistulam commemoratis praeter menda quaedam librarii socordiae tribuenda et unam manifestam interpolationem (ep. 43, 2 Fickerti) cum aliquot, quibus cum optimis codicum servatorum congruat, tum hae, quibus meliora quam illi servaverit: 74, 9 *aut decipimur aut fallimur* (falsa refert Fickertus, *aut de aut fallimur* P; apparet utrumque ex hac fere *aut decip* archetypi scriptura ortum esse *aut fallimur*); 81, 25 *post tabulas novas* (eandem scripturam Pincianus ex *exemplari Facundi et Primitivi* protulit, quod Fickertus secundo post Franciscanum loco iure ponere videtur, *potest tabulas nouas* P Pr b); 114, 24 *imo in illo* (*immo* om. B); 117, 36 *futura sapientia* (*puta* B). paulo plura de quattuor Ioannis Opsopoei codicibus *membranaceis* prius tantum volumen complexis scimus. *Puteani* enim *optimum,* quem dicit, iam Fickertus non diversum a Parisino 8539 (Pr. b) esse perspexit. nec minus probabile existimo alterum eiusdem viri codicem eundem esse ac Parisinum 6388, in cuius primo folio *Claudii Puteani* nomen legitur. valde vero dolendum est quod codex Nicotianus plane egregius, qui lacunae epistulae nonae supplementum illud, quod in F in margine legitur, in oratione ipsa videtur habuisse, repertus non est. praeterea inter scripturas ex eodem ab Opsopoeo prolatas eminent hae: 14, 7 *uortices* et *uorticibus;* 19, 8 *elocuti* (*elocuit* P p, *uel elucuit uel edocuit* P m. 2. in marg., *edocuit* Pr. b); 56, 9 *obruta* pro *obirata* (*obrata* p, apparet vitium ex litterae *a* forma aperta ortum esse). quamquam autem alibi ne Nicotianus quidem mendis liber fuit (v. Fickerti adnot. ad ep. 32, 1; 48, 1; 3), tamen sunt loci, quibus nondum intellectum sit vitiosas eius lectiones propius a veris abesse quam nostros codices. velut 26, 4 in eo legebantur haec: *non quia aliquid malicitus et e uita repentinus excessus* (neglegenter de hac scriptura rettulit Fickertus), cum P m. 2. praebeat *mali sit et e uita,* p *mali ic tus et e uita.* quibus inter se comparatis scribendum puto: *aliquid mali sit citus e uita et repentinus excessus.* restat Ambianus Opsopoei, qui ut Nicotiano deterior, ita et ipse e numero vetustiorum videtur fuisse. in catalogo codicum bibliothecae Ambianensis ab I. Garnier Aureliani a. 1843 edito frustra eum quaesivi.

[21]) ab his *variis lectionibus* explicationes quasdam vocum minus usitatarum et ipsas in marginibus adiectas diversas esse meminerimus, velut eam, quam ad p. 43, 12 F. attuli. similiter p. 178, 18 adiectivum *glaber* in margine hoc modo explicatur: *lenis. caluus. uel leuis.*

[22]) v. quae de eo p. 74 dixi. *fragmentum ms. vetustissimi Leidensis* Oudendorpius ad Apuleii metamorphoseon librum III (p. 207a) memorat. cuius quam affert scripturam *audaciter* (ep. I 3, 2) congruit cum p g aliis.

branis saeculo undecimo ineunte, ut mihi visum est, exaratus et libros I—XIII 3, 45 complexus. mirum vero est quod cum hic liber ab Obsopoeo paucis tantum locis inspectus esset, neque a C. F. T. Emmerico in Schweighaeuseri usum neque a Fickerto totus excussus est. ac ne Chatelainius quidem, quamquam intellexit eum ex neutro Parisinorum vetustiorum descriptum esse (p. 103), plura ex eo quam epistularum VIII 2 usque ad XIII 3, quae in p desiderantur, scripturas protulit. at enim non solum non ex P aut p fluxit, sed ad alteram quandam codicum classem ex archetypo diverso ab eo, ex quo P p F manaverunt, derivandam pertinet. id quod cum ex plurimis scripturis peculiaribus, quae in Pr. b aliisque ei similibus servatae sunt neque ullam interpolationis suspicionem movent, intellegitur, tum vero ea ex re quod ultima epistula (XIII 3) non ad finem perducta est, sed in verbis quae sunt: *si protagorae* desinit. nam quod in omnibus, quod sciam, codicibus in illa verba exeuntibus epistulae non in libros dividuntur, cave eam solam ob causam prioris epistularum voluminis librum aliquem manu scriptum ad illud pertinere praepropere existimes. quid enim impedit quominus etiam in alio quodam codice librorum inscriptiones post librarii operam a rubricatore addendas casu intercidisse putemus[23])? ceterum qualis is codex fuerit, ex quo Pr. b derivatus est, ostendunt cum litterarum u et a, i et l crebrae confusiones, tum vero id quod librarius quibusdam locis litterarum formas quasdam sua aetate iam obsoletas, quas non intellegebat, accurate imitatus est: I 6, 4 haec leguntur: *omnia in te cupio trœansfundere* (*œ* expunxit m. 2.), II 2, 7 *plurima per senatum trœansigantur*, ib. 13 *extrœa forum traheretur*, 3, 10 *Detrœasit tibi non pusillum negotium*, ibid. *nostrœa dicitur*, 6, 6 *contrœa iniurias fortunae*, III 2, 3 *animus esse debet alacer et fidens et supræ*[24]) *omnia erectus*. apparet igitur in archetypo, id quod in Nazariano librorum de beneficiis et de clementia saepe usu venit, alia quadam manu litterae a formae vetustiori recentiorem super-

[23]) cf. Fickert I p. XI. Petrum quoque Abaelardum, cum in epistula XII (p. 350 ed. Migne) Senecae *epistolarum quinquagesimam tertiam* (V 11, 4) commemoret, exemplari, quod in libros distinctum non erat, usum esse apparet.

[24]) vocabulum *supra* cum etiam in P et A inveniatur, praeferendum videtur ei, quod in p legitur — nam Chatelain nihil enotavit — *super omnia erectus*.

positam fuisse, codicis autem Pr. b librarium utramque repetivisse. similiter idem (II 3, 10) litterarum *ae* ligatura non intellecta — nam *detraesit* scriptum erat in archetypo pro *detraxit* — id quod supra posui legere sibi visus est. hac igitur ex re atque ex vitiorum haud paucorum natura librarium[25]) diligenter et sine fraude describendi officio functum esse apparet. quamquam enim et quasdam interpolationes cum p P F communes habet et I 2, 5 et I 3, 2 quaedam verba in archetypo sicut in p ex aliis epistulis propter sententiarum similitudinem in margine adscripta aut lemmata ibidem posita velut I 10, 1: *Crates ut [de adolescentibus] aiunt* in Senecae orationem recepit, tamen longe abest a gravissimis et creberrimis interpolationibus, quibus iam saeculi duodecimi codices inquinari coeptos esse mox videbimus. ex tali vero codice derivata sunt, quae manus quaedam tertia saeculi, ut mihi visum est, duodecimi mutavit vel adscripsit. quasdam enim lacunas velut I 9, 20, ubi verba *tu boni* a librario omissa supra versum adiecit, ita explevit, ut alterum exemplar inter corrigendum adhibitum esse negare non liceat, multo tamen pluribus locis insulsas interpolationes, quarum plurimae in aliis libris eiusdem aetatis aut etiam recentioribus reperiuntur, induxit. ad quod demonstrandum haec exempla ex libro primo petita sufficiant: I 1, 3 m. 3 scripsit: *ex qua non expellitur* (idem habet Pr. a, *ex qua expellit* Pr. b. m. 1); ibidem *uilissima* in *utilissima* mutavit. — 3, 2 ante *praepostero* male adiecit vocabulum *ordine* (*praepostero ordine* ε τ Bul. Sc). — similiter 4, 5 *per* ante *spinas* et *aspera* (congruunt Bul. αγεξιοτ Sc) addidit. — ib. 8 verba sanissima haec: *nemo non seruus habet in te uitae necisque arbitrium* ita pessum dedit, ut *non* in *nec* mutaret et inter *seruus* et *habet* supra versum voculam *non* insereret (idem habet V). — 5, 5 vitiose ut E e V scripsit *non agnoscant* (*non* om. m. 1). — 6, 3 *momenti* iniuria mutavit in *moventi*. — 7, 6 verba quae sunt: *qui cum maxime concinamus* (sic!) *ingenium* perperam mutavit in *licet maxime concinnemus i.* (*licet* habent etiam V τ ξ [m. 2] P. 1 [m. 2]). — 12, 8 *Pacuuius* in nomen christianum *Pacomius* male correctum est. videmus igitur huius manus mutationes, quamquam ad verba Senecae emendanda vix quicquam afferunt emolumenti, tamen, cum ex iis intellegatur, quo-

[25]) erravit Fickertus, quod a tribus certe librariis codicem exaratum esse dixit (p. XXIII) deceptus scriptura non satis aequali.

modo interpolatione sensim gliscente lectiones eiusdem classis codicum saeculi XII et XIII natae sint, non omnino neglegendas esse. multo rariora, sed maioris pretii sunt, quae secunda manus tertia uno fere, ut mihi visum est, saeculo vetustior litteris interdum evanidis adscripsit. quamquam enim et ipsa alicubi Senecae verba corrupit, tamen inter lectiones eius peculiares egregiae quaedam eminent: I 12, 7 in verbis his: *Heraclitus, cui cognomen fecit orationis obscuritas* m. 2. vocabulum *scotinon* supra vocem *cognomen* posuit.[26]) quod cum in libris vetustioribus non legatur, iniuria post Fickertum spernitur. probabilius enim puto in iis vocem Graecam — id quod saepissime factum est — omissam esse, quam librarium aliquem saeculi undecimi cognominis illius gnarum fuisse. deinde non est mos Senecae, qui dicendi genere brevi illo quidem utitur, sed eo quod a legente quam facillime intellegatur, ut talia omittat. quare etiam I 9, 18 scripsit: *Demetrio, cui cognomen ab exitio urbium Poliorcetes fuit.* et de ira III 23, 2 *Democharen — Parrhesiasten ob nimiam et procacem linguam appellatus.* — II 5, 3 *das sicum* m. 2. rectissime mutatum est in *classicum,* III 1, 9 ab *ipsam esse* in *ab ipsa messe,* 3, 1 *futurus miseros se* in *futurus miser esse.* praeterea exstant quartae cuiusdam manus saeculi decimi sexti vestigia nonnulla, sed ad criticen exercendam tam exigui sunt momenti, ut una tantum digna sit, quae in satis amplum, qui aliquando componendus erit, epistularum apparatum criticum recipiatur. pauculae enim sunt viri alicuius eruditi adnotatiunculae praeter illam, de qua infra dicam, ex codice quodam recentiore vel ex exemplari typis descripto petitae. ad ea quae I 7, 4 leguntur: *hoc plerique ordinariis paribus et postulaticiis praeferunt.* satis inepte adscriptum est in margine: *alias partibus Baptista pius legebat pararijs.*[27]) nec melius XIII 1, 21 voci *grandiscapiae* apponuntur haec verba: *grandiscapiæ arbores .i. grandis capitis.* praeterea eadem manus extrema ultimae epistulae (XIII 3) verba a manu

[26]) accusativum *scotinon* iam Pincianus damnavit. at malo pro eo quod is scribendum proposuit *scotinu* litteris Graecis σκοτεινῦ vel σκοτεινοῦ scribere. libentissime enim librarii litteras Graecas, quibus temporibus earum cognitio nondum prorsus extincta erat, cum Latinis mutabant. v. quae infra de codice L dicam. ceterum ex ea ipsa re quod haud credibile videtur interpolatorem accusativum illius vocabuli pro eo, quem debebat, genetivo vel dativo posuisse, illam scripturam fraudis suspicione liberam esse intellegitur.

[27]) Baptista Pius Bononiensis mortuus est Romae anno 1540.

prima, ut supra dictum est, omissa supplevit. aliquanto maioris momenti est, quod eadem manu idem, quod in Nicotiano et F servatum esse iam vidimus, lacunae illius epistulae libri primi nonae supplementum adscriptum est. itaque probabile est hanc adnotationem ex Nicotiano, in quo et ipso *immo vero,* cum in F vocula *vero* desit, legebatur, vel ex alio quopiam libro ei simili fluxisse. ceterum Opsopoeus virum illum eruditum Petrum Danielem fuisse iure existimare videtur. simillimi enim sunt ductus illi adnotationibus, quae haud dubie manu eius scriptae in multis codicibus Parisinis et Vaticanis comparent. cum autem Daniel diu Aureliani degerit et in ultima codicis pagina manu quadam saeculi XII post hexametros nonnullos medii aevi, qui incipiunt a verbis: *Heres peccati natura filius ire* duo versus litteris fere obscuratis scripti sint, in quibus et ipsis Aurcliani mentio fit,[28]) non multum a vero aberret is, qui codicem Pr. b in illa urbe exaratum aut saltem per aliquantum temporis asservatum fuisse coniciat. restat ut locos nonnullos afferamus — nam continuae collationis specimine post librorum XI—XIII lectiones a Chatelainio prolatas iam opus non est — quibus Pr. b veriorem quam reliqui codices scripturam servasse videatur aut eam certe, quae ad id, quod Senecam scripsisse putandum est, propius quam illi accedat. I 8, 3 haec leguntur: *et fera et piscis spe aliqua oblectante decipitur. munera ista fortunae putatis? insidiae sunt. quisquis vestrum tutam agere vitam volet, quantum plurimum potest ista viscata beneficia devitet. in quibus hoc quoque miserrimi fallimur: habere nos putamus, haeremus.* pro *haeremus,* quod est in P p F aliis, extat in Pr. b *hacremur.* in hoc autem nihil aliud latere puto nisi *habemur,* quod recte legebatur in editionibus quibusdam vetustis. aegre enim altera lectio ita defenditur, ut Seneca de exemplis supra allatis ferarum vel piscium hamis vel aliis modis captarum cogitasse dicatur; contra haec: *habere nos putamus* et *habemur* eam quae requiritur sententiam multo aptius exprimunt et verborum lusu insignia sunt Seneca dignissimo, qui redit in narratiuncula illa de Aristippo Laidis amorem his verbis excusante: *habeo, non habeor.* hanc enim in *exhortationibus* hodie deperditis allatam fuisse, licet

[28]) haec tantum legere potui:

. . t . . . angauis quem perdidit aurelianis
. . . . mater i . . . ista nouerca fuit.

Haasius inter fragmenta eam non receperit, probabile fit ex Lactantii institutionibus divinis III 15, 11 sq.[29]) codicis Pr. b autem lectio sic videtur orta esse, ut, cum in archetypo hoc fere
ER S
scriptum esset: HABEMVR et antiquioris codicum generis scribae *haeremus* probavissent, recentioris correctione, ut saepe factum est, non intellecta verbum ita corrumperent, ut quaedam verae lectionis vestigia servarentur. — III 1, 17 melius placet asyndeton, quod est in Pr. b: *transmissa est* (vita), *effluxit,* quam reliquorum librorum scriptura: *transmissa est et effluxit.* — V 8, 8[30]) dudum intellectum est id, quod Pr. b habeat *lusuria,* propius ad emendatam scripturam *lusoria* accedere quam codicum P p lectionem *luxuria.* — ib. 12, 5 recte Haasius ex Pr. b solo formam *nancta* spretam a Fickerto, sed qua saepius Senecam pro *nacta* usum esse constat, recepit. — VIII 2, 37 Pr. b cum codice ν nomen proprium *dahas* integrum servavit, quod in P (*dadhas* altera *d* expuncta et *c* supra posita) ceterisque corruptum est. — IX 2, 12 et 13 praestant libri Pr. b scripturae *solebat* et *aetati* iis, quas P praebet, *uolebat* et *paetaque.* — X 3, 15 Pr. b genuinam scripturam servavisse nondum perspectum est. memorantur Epicuri epistulae cuiusdam verba haec: *nihil sibi et Metrodoro inter bona tanta nocuisse, quod ipsos illa nobilis Graecia non ignotos solum habuisset, sed paene inauditos.* quibus obloquitur Seneca (§ 16) hoc modo: *numquid ergo non postea quam esse desierat inventus est? numquid non opinio eius enituit?* in P et in editionibus omnibus est *enituit*, in Pr. b *in notuit*, supra quod verbum manu eadem scriptum est *enituit.*[31]). iam facile

[29]) etiam ex Hieronymi libris in Iovinianum, quibus multa fragmenta dialogi Annaeani de matrimonio servata sunt, Haasius (III p. XVI) vereri se dicit, ne iusto pauciora asciverit.

[30]) calidius quam verius Aemilius Chatelain (p. 103 et 112) in verbis hisce (VI 8, 2): *quamdiu unius mensae instrumentum* (*mensa est rumentum* p, *mensae strumentum* P: correxit manus recens in P et Modius) *multa navigia et quidem non ex uno mari subvehent.* codicis Pr. b lectionem *mensae frumentum* commendavit. *instrumentum* de omnibus iis dictum est, quae in mensis ponuntur, i. e. nimirum etiam de cibis exquisitis et pretiosis. nam de his sermo est, non de frumento. v. Digest. XXXIII 7, 12, 6; epist. mor. VI 9, 4; nat. quaest. III 26, 8, ubi *stramentaque* in *instrumentaque* mutandum est. quam saepe autem ante s impuram praepositio *in* omissa sit, notissimum est.

[31]) non satis accurate Chatelain p. 152 de hoc loco rettulit. idem

intellegitur, cum *innotuit* melius in ea quae praecedunt quadret quam *enituit,* hoc ex proximis verbis his: *se et Epicurum non satis enituisse* ascitum et a codicis P scriba genuinae scripturae praelatum esse. — XII 1, 26 id ipsum, quod in corrupta libri P scriptura *uillatur* Hauptius (opusc. II 328 sq.) latere suspicatus est *uitiatur* (*uiolatur* edd.), in Pr. b reperitur. aliis denique locis ambigas, utrum in Pr. b an in aliis verum servatum sit, sed nolo iis ad id quod posui probandum uti.[32])

ad idem codicum genus pertinent quidam saeculis duodecimo et tertio decimo exarati, quorum conspectum infra subicio:

Parisinus (bibl. nat.) 8615, olim Colbertinus, (Pr. a Fickerti) in quartae formae membranis binis columnis saeculo decimo tertio exaratus. continet epistulas 88 priores fol. 4a usque ad 80a.

Parisinus (bibl. nat.) 16592, olim Sorbonicus 1586, (Sorb. Fickerti) in formae quartae membranis binis columnis saeculo duodecimo exeunte scriptus. continet epistulas 88 priores foliis 26b usque ad 94a. paucissima ex hoc libro protulit Fickertus.

Palatinus 1546 (Schweighaeuseri Pr. d, Fickerti ν) Heidelberga Romam, Roma Parisios delatus, denique bibliothecae Heidelbergensi redditus, in quartae formae membranis saeculo, ut R. Sanctolonio visum est, duodecimo exaratus. continet fol. 56a usque ad 160b epistulas 88 priores, sed foliis nonnullis evulsis desunt quae leguntur inter ep. V 9, 8 *demens omnibus viderer* et V 11, 11 *in regione Baiana.* ipse librum non inspexi.

Vaticanus Palatinus 1543 (Fickerti ρ) in formae maximae membranis saeculo tertio decimo scriptus continet epistularum volumen prius et incipit a verbis (I 9, 8) his: *catena discedet. hae sunt amicitiae quas temporarias populus appellat.*

Vaticanus Palatinus 1475 (c) formae maximae inter Marii Victorini artem et Senecae epistulas tempore multo recentiore in cartis scriptas unum quaternionem (fol. 81—88) prioris epistularum voluminis in membranis saeculo duodecimo

erravit quod paulo superius in eodem codice pro *postea* manu 1. *potest,* manu 2. *post te* extare dixit. eadem enim manus, quae *potest* scripserat, supra id vocabulum voculas *post te* posuit.

[32]) ut unum exemplum afferam, I 10, 3 Pr. b horum verborum ultimum: *repeto memoria quam magno animo quaedam verba proiecceris, quanti roboris plena,* quod et deesse potest et facile ab interpolatore aliquo addi, omisit.

exaratis habet. praeter Hieronymi locum Senecae et Pauli epistulas epitaphium complectitur decem primas epistulas primi libri. Leidensis supplem. 459 = Lipsii 49 (L) in quartae formae membranis saeculo scriptus duodecimo. errat enim Geelius (*Catalogus librorum mss. qui inde ab anno 1741 bibliothecae Lugduno Batavae accesserunt* p. 41 sq. Lugd. Bat. 1852), qui eum saeculo undecimo assignat. continet foliis 1—123 epistularum volumen prius, sed foliis nonnullis exsectis incipit inde a verbis quae sunt (I 7, 8): *Neue similis malis fias.* sequuntur post libros de clementia et viginti quinque sententias Annaeanas libellus de remediis fortuitorum (v. p. 131 adn. 17) et epistulae XVI 1 et XVII 3, cuius verba postrema inde ab his-*cis moribus nec hoc agat,* quia ultimum codicis folium avulsum est, perierunt. has epistulas et librum de remediis fortuitorum exaravit manus a priore diversa, sed eiusdem aetatis. porro totum codicem paulo post quam scriptus est correxit manus secunda. eadem lacunas haud paucas a librario relictas explevit. praeterea plurima vestigia sunt manus cuiusdam saeculi decimi quinti, quae, cum graphide usa sit, fere evanuerunt et ubi dispiciuntur nullius pretii sunt. eiusdem fere aetatis manus atramento pallido usa epistulas in libros distinxit. ordo earum idem est atque vulgaris, nisi quod ep. IX 4 post VI 6 collocatur. postea tamen librarius errore suo perspecto post ep. IX 3 haec verba adscripsit: *ReQVIRE REtrO. Minus tibi accuratas.* contuli hunc codicem, quem nemo post Lipsium usurpavisse videtur, a W. N. du Rieu, bibliothecae Leidensis praefecto, qua solet humanitate, Vratislaviam transmissum.

hos igitur libros, cum praeter vitia multa communia eisdem atque Pr. b interpolationibus inquinati sint (v. p. 50 sq.) et praeter c, cuius primum tantum modo quaternionem servatum esse supra dixi, in eadem verba desinant, eiusdem stirpis esse consentaneum est.[33]) neutiquam tamen ad eam, qua ille excellit, scripturae traditae sinceritatem aspirant. cum enim — id quod

[33]) eandem ob causam codicem Montepessulanum scholae medicinae H. 116 membranaceum saeculi XIII formae maximae columnarum binarum huic familiae adscribo. hunc tamen quo intercedente benevolentissime L. Delisle Parisiis uti mihi licuit, cum neglegentissime descriptum esse et vitiis scatere animadvertissem, ut tempori parcerem, accuratius examinare nolui.

vel ex multitudine horum exemplarium saepe multo usu attritorum elucet — saeculis duodecimo et tertio decimo praeter ceteros Senecae libros epistularum volumen prius etiam crebrius quam ineunte medio aevo legeretur et tractaretur, factum est, ut librarii et ludorum monachalium magistelli sive ex ingenio sive aliis codicibus adhibitis[34]) locos corruptos atque etiam saepius sanos, quos non intellegebant, emendare conarentur. qui cum linguae Latinae et dicendi generis Annaeani cognitione perquam exigua et doctrinae adminiculis paucissimis instructi essent neque id curarent, ut lenibus remediis scriptoris verba restituerentur, sed ut aliquid poneretur quod ipsi intellegerent, dici vix potest, quam irriti illi conatus fuerint. alia vitia peperit mera interpolandi libido et insitum haud paucis librariis studium taedio laboris ortum ea quae describebant variis modis immutandi.[35]) fatendum tamen est interpolationes illa aetate aliquanto rariores esse quam iis quae subsecuta sunt saeculis. itaque in paucis horum librorum eius interpolandi generis exempla deprehenduntur, quo verba quaedam, quibus exemplar archetypum carebat, temere addebantur. insigne huius fraudis exemplum extat in Sorb., cuius librarius, cum in fine ultimae epistulae valedictionis formulam deesse animadvertisset[36]), his verbis adiectis fucum facere legentibus conatus est: *Vale semper karissime nobis·; Data kalendis augustis.* nam genuina haec esse nemo opinabitur, quia, cum ultima Sorb.

[34]) constat iam saeculo nono codices inter se conferri solitos esse ex Servati Lupi abbatis Ferrariensis epistula a G. Becker *Catalogi bibliothecarum antiqui* 25, 1 excerpta.

[35]) rarius hoc interpolandi genus in scriptorum veterum et patrum ecclesiae codicibus comparet quam in grammaticis, commentariis, glossariis, aliis medii aevi libris cotidiano et scholarum usui destinatis. librarii enim, cum dicendi genus multo minus curarent quam res traditas, verba mutabant, prout cuique lubebat, et de suo nonnulla adiciebant. cuius rei insigne exemplum est inter carmina Ilias Latina, quam in scholis lectitatam esse scimus ex bibliothecarum veterum catalogis, in quorum non paucis plura eius exemplaria in eadem bibliotheca adservata memorantur, inter scriptores Florus et historia Apollonii regis Tyri. minus notum est tertii mythographi Vaticani (Alberici), qui ex epitomis mythologicis medii aevi maximo in usu erat, plures recensiones extare praeter alia ita inter se discrepantes, ut pro multis verbis synonyma substituta sint.

[36]) etiam ea quae praecedunt verba interpolata sunt in Sorb. Protagorae enim philosophi ignarus librarius scripsit: *si Pitagore* (*protagere* P et Pr. b) *credo.* similiter *phitagore* habet L.

huius epistulae verba in omnibus huius classis codicibus desint, vix credibile est in Sorbonici archetypo subscriptionem illam casu servatam esse. accedit quod nulla epistula in nullo alio codice praeter subditicias Paulinas, quarum exemplum nescio an secutus sit interpolator, tempus quo scripta sit indicatum habet. quare consequitur, ut librario tam vafro etiam aliis locis ubi singulares lectiones exhibet, quae interdum maiorem speciem veri habent quam illa, diffidamus easque solas vel comprobemus vel commendatione dignas putemus, quae omni dubitatione exemptae videantur. paulo minus gravis interpolationis exemplum est, quod I 9, 12, de quo loco iam saepius dicendum erat, in Sorb. haec tradita sunt: *an propter se an propter aliud sit amicitia expetenda. Nam si propter se* eqs. verba vero Graeca orationi Latinae immixta is qui eum exaravit mira plane, nec tamen inaudita ratione interpretari conatus est ita, ut XIII 3, 23 litteris Graecis corruptis eas Latinas, quas illis respondere opinabatur, superscriberet: *hee artes quas* CHϟBYRAIOYC *greci uocant.*[37]) denique I 8, 7 extat corrupta lectio *complicamus* pro *compilamus*[38]) et I 12, 7 Heracliti cognomen omittitur (v. p. 44).

L. alio vitiorum genere deturpatus est codex L. qui quamquam plurimas scripturas cum Pr.b aliisque eiusdem familiae codicibus communes habet, tamen non desunt loci, quibus ad deteriores quosdam codices gravissimisque interpolationibus corruptos inclinet, quorum vetustissimi sunt Bernensis 484 saeculi decimi tertii et Reginensis 1544 eiusdem aetatis notis B et Θ a Fickerto significati (v. infra). id quod sine dubio ita factum est, ut is qui L scripsit librum ob oculos haberet, cui ex interpolatae illius familiae codice quodam variae lectiones adscriptae essent. quod ad demonstrandum hae scripturae inter se comparatae sufficient:

I 8, 1 *Tu me, inquis, mones uitare* (*uitare iubes* P Pr.b) *turbam, secedere* L B

5 *cibus famem sedet. sed et potio* L, *cibus famem sed et potio* B, *cibus famem sedet potio* P

[37]) ἐγκυκλίους legendum esse dudum intellectum est et confirmatur librorum P et Pr.b scripturis. supplemento autem ab Haasio excogitato facile caremus.

[38]) perperam Haasius hoc loco Fickertum secutus est, qui scripturam *complicamus* ita defendere conatur, ut Senecam — id quod alienissimum est ab hoc loco — in complicando Epicuri libro versari dicat.

9, 4 *si quis oculum aut oculos* (*uel oculos* P p Pr.b) *casus excusserit* L B[39])

19 et L et B addunt vocabulum *Temperantia* post verba *iustitia virtus prudentia*

12, 3 *iste delirat. Vetulus* (*populus* P p g) *etiam* L B

II 1, 7 *uera quibus arguor* L B, *uera quibus angor* codices meliores.

non multo minor eorum locorum est numerus, quibus L scripturas exhibet, quae in nullo alio codice vel in paucis recurrant. quarum quamquam plurimae ex interpolationibus librariorumve erroribus originem ducunt, insunt tamen paucae, quae maioris pretii esse videantur:

I 12, 7 *scotinon* post *cognomen* addit L (cf. p. 44)

II 7, 9 *mecenatis uera in ipso eculeo elocuti* L T τ Nicotianus Opsopoei, *elocuit* P p, *edocuit* Pr.b

IV 4, 8 *nec ab exemplari pendere* L R, *nec ad exemplar pendere* p, *nec ad exemplare pendere* P, *nec ad exemplari pendere* Pr.b[40])

V 4, 1 *uellem, inquis, magis consilium* (*libros* P p) *mihi quam libros* (*consilium* P p) *dares* L R λ P_3

contra merae interpolationes sunt hae:

I 8, 6 *si haec cum posteris loquor <si magnus fuerit animus> non uideor tibi plus prodesse* L r T V

II 1, 16 *inter cetera mala hoc quoque habet stultitia <proprium>* L G P_1 P_3 P_4 Col.

III 6, 1 *ideo aliorum correctioni* (*emendationi* reliqui) *vacas* L

IV 4, 2 *fortitudo et industria <et labor arte que sit>* L, *fort. et ind. <et labor arte quaesitus>* R r β ι χ Θ π Col. P_3

XII 1, 20 *omne uitium detexitur* L α λ μ π υ, *o. u. taxatur* P alii, *o. u. texatur* Pr.b

[39]) certum est verba *vel oculos* a Fickerto demum, quem Haasius sequi non debebat, e codicibus recepta nihil esse nisi variam lectionem primo superscriptam, deinde in verborum ordinem admissam. plane enim inepta sunt, neque in eo quod praecedit et huic respondet enuntiato amplius quicquam legitur nisi: ***si illi manum aut morbus aut hostis excusserit.***

[40]) non accurate Fickertus de Pr.b rettulit. ceterum ante eum omnes editores rectissime codicis L lectionem probaverunt. nam Plinii locus (nat. hist. XV 56), quo ille se codicum P p scripturam tutari posse opinatur, in Ludovici de Ian et Detlefseni exemplaribus iam correctus est.

pauca addenda sunt de manus secundae (L_2) mutationum pretio, a qua codicem paulo postquam scriptus esset correctum esse iam supra dixi. certissimum autem est ab ea alterum quendam codicem adhibitum esse, quia et vitia haud pauca, quae non facili opera corrigi poterant, sustulit et lacunas aliquot a prima manu iis nimirum locis, quibus archetypi scriptura casu aliquo deleta erat, relictas recte explevit. tamen alibi aut sana corrupit aut perversa adscripsit. utrumque ut intellegatur, haec exempla subicio:

I 8, 4 *aut semel* L, *aut temet* L_2 B

9, 17 *hominem homini natura* L, *hominem homini naturaliter* L_2 r B μ Sc
uel ssa

II 1, 1 *haec eius obstrusa est,* litteras *st* vocabuli *obstrusa* erasit L_2 et in margine *uel probatio* adscripsit, *haec eius probatio obtrusa est* G, *haec eius obtrusa est* T

8, 2 *unius sine omnium actionum dissensione coloris sit* L_2 R G P_1 P_2 P_3 P_4, primaria scriptura erasa est

9, 10 *cum adierint* (*ier* in ras. L_2) *ista audies* (haec duo verba in margine L_2) *istic* (*c* ex *s* correcta radendo) *hortulos* L, *cum adierint ista audiet istic hortulos* B

IV 1, 12 *nonne ille agere gratias* L B Θ alii, *uel ore illum* supra *nonne ille* scripsit L_2

V 12, 10 *eger laudat medicum secantem? Tacete, fauete* L, *facete* inter *medicum* et *secantem* inseruit L_2 et *fauete* erasit, *medicum facete secantem* π Col., *secantem facete. Tacete et praebete* T

VI 4, 7 *suspensum accedentium propius,* litteras *cedentium* in spatio vacuo relicto scripsit L_2

VII 1, 13 *ex illis mulieribus* L, supra *bus* L_2 scripsit *uel culis* i. e. *mulierculis* quod habent reliqui codd.

6, 13 *iam dispumauit* L_2, *iam disputauit* L p alii

XII 3, 4 *uelocitatem suam ladas* in rasura L_2, *laudans,* ut mihi visum est, L et ceteri praeter α γ δ in quibus *laudas* legi Fickertus dicit.

videtur igitur is liber, ex quo manus secundae scripturae fluxerunt, illi, quem prima manus secuta est, eo nomine similis fuisse, quod non paucis interpolatae illius codicum classis (B Θ)

lectionibus contaminatus erat. quamquam ne eorum quidem locorum numerus exiguus est, quibus interpolatas primae manus scripturas eodem modo quo in Pr.b traditae sunt restituerit aut quibus cum aliis eiusdem ordinis codicibus, velut cum μ (v. p. 54), faciat. prorsus vero egregia VII 6, 13 *dispumauit* et XII 3, 4 *ladas* habet, quae librarii alicuius ingenio deberi nemo facile dixerit[41]).

Pr. a. aliquanto propius ad Pr. b, accedit Pr. a, nec tamen ex hoc ipso transcriptus est. quamquam erroribus Pr. a quoque abundat aut librarii socordiae tribuendis aut, quod rarius usu venit (velut IV 4, 9 *quid est cur audiam* Pr.a R B L, *quid est quare audiam* p; 8, 4 *alternatim* Pr.a Θ alii pro *alternis*; 12, 6[42]) *demittitur* Pr.a G alii pro *mittitur*), ex deterioribus codicibus illatis. praeterea eius interpolandi generis exempla inveniuntur, quo vocum minus usitatarum locum vulgares occupaverint: IV 7, 1 *cerebrum* mutatum est in *caput*; ib. 4 *aiunt* in *dicunt*; V 3, 7 *operae* in *operis* aliaque similia. graviores interpolationes praeter eas, quibus cum classi B Θ congruit, paucas habet. ut unam proferam, V 6, 12 haec leguntur: *qua Croesus <uel Creusa>*. lectiones peculiares et dignae quae recipiantur admodum rarae sunt: VI 2, 7 in verbis quae sunt *illum tu lauda et imitare quem non piget mori, cum iuuat uiuere* modus indicativus *iuuat,* quem Pr.a cum L servavit, sine dubio praestat coniunctivo *iuuet* a Fickerto et Haasio ex Pp recepto. — IX 3, 33 iniuria a Fickerto et Haasio spreta est haec libri Pr.a scriptura: *quemadmodum in corporibus infirmis languorem signa praecurrunt,* quam Pr.a cum

[41]) nomen *Ladas* ab I. Lipsio repertum esse vulgo putant, sed cum haud credam hoc loco ab eo codicem L, quem saepe commemorat et optimum suum vocare solet, inspectum non esse et cum neque in *Electis* I 16 p. 105 editionis Plantinianae a. 1508 neque in editione a se ipso locum illo modo correctum esse dixerit (haec eius verba sunt: ***noli dubitare quin scripserit: velocitatem suam Ladas*** et - - ***Ladas primus restitui, cum scriberetur laudans***), ab eo hanc scripturam ex ipso L petitum esse existimo. ceterum vix credibile est a Fickerto *laudans* restitutum esse.

[42]) non recte Madvigius (II 475) his in verbis: *aliter* (in circo) *leo aurata iuba mittitur, dum contractatur et ad patientiam recipiendi ornamenti cogitur fatigatus, aliter incultus, integri spiritus.* bis *alter* scribi iussit. *aliter* enim brevius dictum est pro eo quod est: *aliud spectaculum est, si* eqs. adde quod Madvigii coniectura recepta nimis abrupte duorum illorum leonum mentio fit (alia ratio est similis loci V 12, 5, de quo corrigendo v. quae M. Hauptius opusc. II 326 et Chatelainius l. c. p. 109 dixerunt), nuda vero vox *leo* eandem fere vim habet atque *leo quilibet.*

aliquot recentioribus habet. *insignis* enim vel *insigni,* quod in P Pr.b L B pro *infirmis* legitur, ex illo ipso ortum esse apparet. *infirmis* vero *corporibus* in iis quae sequuntur respondet *infirmus animus.*

c. pauciora scimus de codice c, quippe cuius unicus tantum quaternio ac ne is quidem solas epistulas Senecae complexus supersit. dolendum autem est, quod huius codicis exigua pars servata est. satis enim prope ad Pr.b accedit et raro ad deteriores B Θ inclinat. praeterea quasdam lectiones cum Fickertianis Sc Bul. similibusque communes habet:

I 1, 3 *imputari sibi cum periere* (*impetrauere* P p L) *patiantur* c G Bul. $\alpha\beta\gamma\delta\varepsilon\zeta\vartheta\lambda o\upsilon\sigma$ P_1 P_3

3, 2 *isti uero postero eque offitia permiscent* c, *praepostero ordine eque o. p.* Bul. Sc

ν. omnium huius familiae librorum, si iis quae Emmericus et Sanctolonius ex eo protulerunt, fidem habere licet, optimus est codex ν. quamquam enim hic quoque interpolationibus liber non est (I 1, 4 habet *interrogabis forsitan*; 4, 5 *inter mortis metum et uitae pericula miseri cruciantur*; III 4, 5 *sub alicuius boni uiri ac semper praesentis iudicio*; X 3, 4 *etiamsi nemo dabit quid manducare tibi, nemo quid manducare tibi* iam Pr.b), tamen minor earum numerus videtur esse quam in L aliisque. porro scripturas quasdam optimi pretii servavit: I 8, 7 pro corrupto verbo *conplicamus,* quod est in P et aliis, *compilamus* prima manu scriptum habere dicitur[43]). — VIII 2, 37 nomen proprium *dahas* in P vitiose scriptum cum Pr.b servavit. — X 2, 17 pro *cogitatum* (P Pr.b) cum aliis paucis recte habet *concitatum.*

μ. μ denique propius ad L (et L_2) accedit, quibuscum vitia quaedam, quae iisdem erroribus in utroque codice vix orta esse possunt (IV 11, 8 *aures pati non possunt* cum L_2; V 7, 11 *hiscentes* cum L_2 pro *disceditis* vel *descenditis*; 11, 12 *anxius ipse duxisset* cum L; XII 3, 29 *Eia qui aegrum* μ, *E*a egrum* L, erasa est *i*), communia habeat. sunt tamen plures similes loci, quibus μ cum Pr.b et ν faciat, velut I 10, 1 *Crates ut <de adolescentibus> aiunt*; 12, 10 *sic inquis ne ullo*; II 7, 10 *lupi ui-*

[43]) eandem lectionem habent Parisinus 6388 saeculi XII, de quo v. infra, manu secunda saeculi XIII in margine hoc modo *cōpi,* manu prima Montepessulanus H 132 saeculi XII (v. infra) et Parisinus 8543 (v. infra) eiusdem aetatis, sed hic ita ut *copilçamus* scriptum sit.

tanda est; ib. 12 *idque dum accipis esse.* inter scripturas satis multas, quas μ solus praebet, nullam iuveni dignam quae reciperetur.

iam apparet omnium huius generis codicum multo minus pretium esse quam antiquiorum. cum tamen quasdam lectiones alibi non traditas servaverint, prorsus eos neglegere non licebit, sed ita fere rem instituere, ut eorum, qui optimi visi erunt, integra lectionum discrepantia proponatur, ex reliquis, quicquid aliquam utilitatem ad Senecae verba constituenda habere videatur, diligenter enotetur.

2. codices libros I—V vel I-V et VII-XIII complexi.

paulo maioris pretii est altera quaedam codicum recentiorum classis, cuius tres Fickertus adhibuit. sunt autem hi:

Amplonianus Erfurtensis in quarto 3 membranaceus, saeculo XII ineunte in Britannia scriptus (A). continet libros I—V. v. de eo Fickerti *Prolegomena in novam Senecae editionem* scholae Portensis programmati anni 1839 praemissa p. 47 sq. et editionis vol. I p. XX, Kritz in *Serapeo* XI (1850) p. 380, Schum *Beschreibendes Verzeichniss der Amplonianischen Handschriftensammlung in Erfurt,* Berolini 1887, p. 287.

Bambergensis M IV 4 (Iaeckii 1090) membranaceus, saeculi XIII secundum Fickertum, XIV secundum Haasium edit. vol. III p. XXII (b). continet libros I—V. v. Fickerti *Prolegomena* p. 49 et editionis vol. I p. XX.

Argentoratensis membranaceus, incendio anni 1870 absumptus. hunc Oberlinus Fessleri in usum contulerat, quo tempore libros I—V et VII—XIII continebat. Fessleri schedis usus Fickertus eius scripturas nota Arg. b. significatas in editione proposuit. v. *Prolegomena* p. 53 et edit. vol. III p. XX. eundem librum paulo post duobus quaternionibus, in quibus epistulae 44, 4—52, 10 F. legebantur, deperditis ultimisque foliis abscissis, ut codex in verbis *in contrarium huic affectum summa infelicitas uryet* (81, 20 F.) desineret, Ioannes Schweighaeuserus excussit et aliquot eius lectiones in editione epistularum Bipontina altera Argentorati anno 1809 emissa memoravit (Arg. b vel b = Sb apud Fickertum). rectius autem eum ab hoc undecimo saeculo vel duodecimo quam ab Oberlino decimo attribui et ex eo apparet, quod vol. II p. 240 sq., ubi codicem accurate describit, scripturam eius ad Gothicam quae vocetur leniter inclinare tradit et quod

interpolationes crebriores sunt quam in ullo codice saeculo duodecimo vetustiore.[44])

omnes igitur hi libri praeter alia id commune habent, ut aut epistula ultima libri quinti finiantur aut post eam toto libro
A. sexto omisso sequantur libri VII—XIII. codicis autem A, quem paulo accuratius quam Parisinos contulisse videtur, Fickertus satis multas scripturas protulit.[45]) quibus consideratis quamquam eum et lacunosum esse apparet neque ab interpolationibus liberum (I 4, 7 pro *pupillus* habet *pusio*; 8, 9 *quae modo fuit in manibus* mutavit in *quae modo est i. m.*; 9, 7 *in ipsa occupatione* in *in sua occupatione*; adde editionis Fickertianae p. 36a, 39a et b, 43b, 71b), tamen librarius eius multo diligentius et fidelius archetypum suum expressit plerisque eius classis codicibus, de qua p. 47 sqq. dictum est. ille vero archetypus, qui ei cum b communis videtur fuisse, diversus erat ab omnibus, de quibus adhuc egimus, codicibus. optimis enim quibusdam scripturis excellebat, quarum nulla in illis servata est. I 6, 5 forma deminutiva *notulas* quam A habet adeo praestat ei, quae in reliquis libris est *notas*, ut interpolationis suspicionem movere nequeat, quamquam neque Fickertus neque Haasius eam recipere ausi sunt. — 7, 6 dudum comprobata est codicis A aliorumque quorundam lectio *morem suum*, cuius locum *mortem suam* obtinet in P F. — 11, 2 cum reliqui libri omnes *illos uitio sui etiam robustissimos admonet* habeant, solus A, id quod Seneca scripsit *illo uitio* eqs. servavit. — II 2, 2 quo loco Pp corrupti sunt, recte A cum Sb

[44]) non eundem librum ab Oberlino et Schweighaeusero collatum esse is tantum existimabit, qui quam neglegenter tunc codices conferri soliti et quam saepe a Fickerto eorum notae inter se confusae sint oblitus erit. quare etiam ubi Schweighaeuserus erroris incusatur huic fidem habere malo. ut unum exemplum afferam, p. 88a Fickerti (ep. II 8, 11) enuntiatum quod est *nec ego Epicuri — inciderit* in Arg. b scriptum fuisse Schweighaeusero, quamvis Fickertus obloquatur, credamus necesse est. nam cum in Pr. b, quem ab illo cum Arg. b confusum esse Fickertus contendit, desit — id quod testis oculatus affirmo —, veri simile est eum in hunc ipsum errorem incidisse cuius Schweighaeuserum insimulavit. constat tamen hunc quoque in afferendis aliorum codicum lectionibus non raro erravisse.

[45]) sunt etiam inter huius libri scripturas a Fickerto prolatas quaedam, de quibus dubites p. 71a (ep. II 5, 3) postquam ille in A sicut in w g B aliis *cum aliqua conclamata est* legi affirmavit, paulo inferius eundem *cum aliquo conclamatum est* habere refert. confudit aut ipse aut typotheta priore, ni fallor, loco notas A et Arg. b.

aliisque praebet: *mittendum in ignes sit.* — 3, 3 id quod cum g T habet *potionis altius ieiuno iturae* praeferendum est ceterorum librorum corruptelis[46]). — III 6, 2 unus A confirmat Pinciani emendationem *uoluptates turbidas magno luendas*, ceteri omnes *leuandas* vel *leuaturas* habent. — IV, 12, 3 *umbra* A solus ex vetustioribus ante *submovens* servavit. — V 11, 12 cum Arg. b aliisque recte tradit *manu sua ipse duxisset*, P Pr. b *an sua ipse duxisset*. aliis locis A propius quam ceteri ad genuinas lectiones accedere videtur (velut V 4, 7 habet *istam similitudinem* pro eo quod est *hanc similitudinem*), sed quia fieri potest, ut librarii alicuius ingenio mutati sint, nolo iis ad sententiam meam probandam uti.

Amplonianum igitur cum Fickertus cum codice b consentien- b.
tem vidisset, hunc ex A descriptum esse opinatus rarissime commemoravit (p. 29b, 76b, 171b, 175a, 186a). verum tamen cum hos prorsus congruere affirmare ausus non sit, ex eodem eos archetypo derivatos esse non minus probabile videtur. nam quod V 8, 8 verba quaedam in A expuncta in b omittuntur,[47]) id etiam si utriusque librarius eundem archetypum ob oculos habebat, fieri potuit. quare ut alios plurimos libros a Fickerto adhibitos ita hunc quoque denuo examinandum esse existimo.

Arg. b (= Sb) duabus singuralibus scripturis cum A consentire Arg. b.
iam dictum est. quamquam autem etiam vitia haud pauca cum eo communia habet (velut IV 7, 4 in utroque legitur *ridiculosa res est* pro *ridicula res est* et V 11, 13 *Pstilistas* pro φιλήτας) et plures quam ille epistulas servavit, rariores in eo sunt bonae lectiones, frequentiores corruptae. ut ex multis exemplis pauca delibem, I 2, 6 in verbis ex epistula quarta male illatis pro

[46]) Madvigius (II 465), qui saltem *ieiunis* requiri putabat, *ieiunio* (*in ieiunio* Pr. b Sb L B) scribi iussit. at non desunt exempla, quibus numerus singularis defendatur, velut nat. quaest. II 27, 3: *vocamus attonitos quorum mentem* (ita Vincentius Bellovacensis, omnes cdd. a G. G. Müllero in commentatione quae est *De Senecae quaest. nat.* Bonnae 1876 adhibiti p. 27, Parisini 6628 et 8624 a me collati) *sonus ille caelestis loco pepulit.*

[47]) Fickertus postquam p. XX verba *quisquis — respondentium* in A punctis notata esse, in b omissa rettulit, p. 168a idem de verbis *quisquis* et *respondentium* dicit. praeterea minorum lacunarum, quae crebrae sunt in A, unam *alia manu* in b expletam esse tradit p. 296, de maiore vero quadam, qua libri primi epistula ultima et primae secundi libri maior pars haustae sunt, num in b quoque extet, nihil refert.

dives est habet *pauper non est*[48]); ib. paulo inferius *inquiris* pro *quaeris*; 4, 4 *ferrum redegit in uiscera* pro *ferrum adegit i. v.*; 6, 2 *habere te scissem* pro *habere coepissem*; 9, 15 *domi colligitur* pro *domi colitur*; 11, 8 vocabulum *vidente* in id quod paulo supra legitur *spectante* mutavit; III 7, 6 *quiete vivere* in *bene uiuere et quiete,* quia in paragrapho quinta dictum erat: *cum illud quod quaeris, bene vivere omni loco positum sit.* alia vitia cum codice g, de quo p. 41 dictum est, communia habet. v. editionis Fickerti p. 43a, 69b, 72b, alios locos.[49]). praeterea sunt loci, quibus ad familiam BΘ inclinet. lectionum dignarum quae reciperentur in primis quinquaginta duabus epistulis neque Schweighaeuserus neque Fickertus mentionem fecerunt, nisi quae et ipsae in A extarent, in reliquis has inveni: VII 4, 18 solus Arg. b habet: *alterius in conuiuio iacentis,*[50]) quae verba in p omissa sunt, in aliis ita corrupta, ut pro *alterius* poneretur *unius.* — 6, 13 cum L_2 *dispumauit* exhibet pro *disputauit* (v. p. 52 sq.), idem Pincianus coniecerat, Θ rectius habet *despumauit.* — IX 3, 9 magni momenti est, quod cum Pinciani codice Franciscano haec tradit: *uilem praedam magno aliquo incommodo luimus aut decipimur.* quae si cum libri P scriptura hac: *aut de aut fallimur* (v. Chatelain p. 143) contuleris, intelleges in archetypo communi scriptum

aut fallimur

fuisse: *aut decipimur*[51]). — X 3, 13 in Arg. b solo est *etiam inuitam comitabitur,* in P et Pr.b *inuita,* in aliis *inuitos.*

---

[48]) A et illa verba omittit, quae a Schweighaeusero et Fickerto merito spreta Haasius non denuo inferre debebat, et ea, quae in proxima epistula (§ 2) ex II 7, 11 (*errat et ille qui — quibus ipse non est*) inserta habent codices P Pr.b Sb c alii.

[49]) cum nulla epistularum quas g habet in A non inveniatur, illum librum eidem familiae tribuerem, nisi numerus epistularum in eo servatarum minor esset quam ut certi quidquam ea de re pronuntiare liceret.

[50]) nollem Gertzius in ephemeridibus *Berliner philologische Wochenschrift* 1886 p. 1471 haec verba interpolata dixisset. probabilius enim videtur vocabulum *unius* pro eo quod est *alterius* positum esse quam verba illa aptissima v. praesertim vocabula *iacentis* et *stantis* inter se opposita) suppleta esse. librarii quomodo lacunas explere soleant, egregio exemplo ostendunt libri B L (L_2 habet *unius in conuiuio iacentis*) aliique recentiores, in quibus haec leguntur: *alterius in gaudio positi, alterius inter tormenta fortissime stantis.* memores nimirum erant eorum, quae paulo supra Seneca dixit: *nihil interesse utrum aliquis in gaudio sit an in eculeo iaceat* eqs.

[51]) v. quae de hoc mendorum genere p. 24 sq. exposui. libri Pr.b

iam igitur apparet Arg.b, quamquam fieri potest, ut Schweighaeuserus aut Oberlinus bonas quasdam eius lectiones praetermiserint, in hac quoque parte non ita magni pretii fuisse. porro omnibus iis scripturis, quibus viri illi inter se dissentiunt, maxime diffidendum est. neque vero hunc librum periisse valde dolendum est. nam et Norimbergensis 20 V. C. saeculi XIII vel XIV iam a Ludovico de Ian paucis locis inspectus (v. *Symbolae ad notitiam codicum et emendationem epist. L. Annaei Senecae,* Suevofurti 1839 p. 5 et Fickerti edit. vol. I p. XIX) et Vindobonensis 150 saeculi XIII (v. *Tabulae cdd. mss. bibliothecae Palatinae Vindobonensis* vol. I nr. 150 et *Endlicher catalogus codicum Vindobonensium* I nr. 196) qui, cum easdem atque Arg. b epistulas contineant, ad eandem familiam pertinere videntur, in eius locum substitui possunt. porro simillimum libro Arg. b Iureti codicem quendam fuisse, cuius aliquoties in adnotationibus editionum Parisiis annis 1598 et 1602 emissarum mentionem facit, recte observatum est a Fickerto (p. XV). qui num etiam nunc extet et quo loco ignoratur.

3. codices libros I—VII 4, 25 complexi: E, W.

omnium saeculi duodecimi et decimi tertii codicum diligentissime et emendatissime scripti sunt hi duo libri:

Erlangensis 354 in membranis formae maximae saeculo XII vel XIII, si Harlesium, XII exeunte scriptus, si Irmischerum audis (E). continebat praeter alia libellum de remediis fortuitorum, epistulas I 1 usque ad VII 4, 25 *(aliarum rerum inaequalitas),* libros de clementia et epistulas Pauli et Senecae mutuas. Fickerti in usum ante annum 1839 eum G. Chr. Harles conferendum curavit, sed hodie iam non extat in illa bibliotheca, qua de re me interrogantem Zuckerus bibliothecarius benigne certiorem fecit. v. Fickerti *Prolegomena* p. 53, editio p. XXI. accuratius eum descripsit Irmischerus in libro hoc: *Handschriftenkatalog der kgl. Universitätsbibliothek zu Erlangen,* 1852 p. 99 sq. cf. p. X.

---

scripturam *aut inde fallimur* ex codicis P lectione ortam esse verisimile est. quare corruit fundamentum coniecturae Hauptianae (opusc. II 328) *aut inde pellimur.* ceterum iam Haasius, quem Fickerti, qui in editione nihil de P rettulerat, schedas denuo excussisse constat (v. edit. Haasii vol. III p. IX), recte de hoc loco iudicavit, modo ne utrumque verbum et decipiendi et fallendi in Senecae orationem recepisset. *aut decipimur aut fallimur* codicem M habere infra dicam.

Wirzeburgensis theol. 916, olim abbatiae S. Stephani (v. fol. 1a[52]), in membranis formae quartae saeculo scriptus duodecimo (W). (Pachomii vita et duo epigrammata de Helpe et de Boethio et Ottone III, Germaniae imperatore, quae in W et in aliquot consolationis Boethianae codicibus leguntur [v. *Boethius de consolatione philosophiae ed. Peiper* p. XXXVI et p. XXX sq.], iam saeculo undecimo exarata sunt). Senecae epistulas I 1 usque ad VII 4, 25 in iisdem verbis atque in E desinentes praecedunt *verba beati Hieronymi de Seneca* et *Epitaphium Senecae.* salutationis formula primae tantum epistulae praeposita est, valedictionis raro omissa. epistulae in libros non dividuntur, sed manus secunda aequalis — eadem, ni fallor, quae litteras initiales pinxit — numeros .I. usque ad .LXVI. atramento in marginibus adscripsit. eadem raro quae manus prima scripserat correxit. crebrior est manus tertia saeculi XIII—XIV, quae eadem in marginibus aliquot notulas adiecit. contuli hunc codicem, quo iam Franciscus Modius usus est (*Novantiquae lectiones* Francofurti 1584 p. 262 sq. et alibi) et quem Fickertus (vol. I p. XV) periisse opinabatur, ab iis, qui bibliothecae universitatis Wirzeburgensis praesunt, Vratislaviam liberalissime transmissum.[53])

E et W igitur cum non tantum in eadem epistula VII 6 media desinant, sed vitia quoque multa communia habeant, ex eodem fonte manasse patet. quorum haec velim consideres: I 8, 8 pro *potest fieri* in E W est *potest contingere.* — epistulae II 3 in W prima verba sunt haec: *Mos fuit antiquitus,* codicis E secundum Fickertum, qui verborum ordinem curare non solet: *Mos antiquitus fuit;* melius P p Pr.b *Mos antiquis fuit.* — 9, 3 E W post verba *ad fidelem stabilemque* omittunt vocabulum *gloriam.* —

[52]) in tegumento codicis interiore manu paulo recentiore ea, quae in folio 1a saeculo XV scripsit: *Iste liber pertinet ad sanctum stephanum,* haec leguntur quae postea deleta sunt: *Leonardus* (sequuntur quattuor fere litterae prorsus deletae) *Leonardus Aldenshengen.*

[53]) hunc unum ex tribus codicibus epistularum Senecae Wirzeburgensibus, quibus Modius se usum esse dicit (l. c. p. 5), superesse didici ex iis, quae Ruhlandus ex *Modii enchiridio* in bibliotheca universitatis Wirzeburgensis asservato in *Serapei* vol. XIV p. 86 sq. (cf. p. 100) excerpsit. iam vero cognitis codicis W lectionibus, qui ex ceteris iisque deperditis Modii libris scripturam aliquam ab eo prolatam exhibuerint, ratiocinando efficere aliquot locis licet. non accurate autem eos, quorum unus vel duo codici A similes videntur fuisse, ab illo collatos esse ea ex re apparet quod, cum p. 7 in ep. I 4, 5 *pusio* pro *pupillus* in *scriptis libris omnibus* extare dicat, W tamen *pupillus* habet.

III 3, 11 pro *suggerent,* quod Haasius iniuria ex p recepit, vel *succurrent,* quod est in aliis, habent *succurrunt.* — IV 1, 3 *nauigator* legitur in E W pro eo quod est *gubernator.* — VI 4, 5 haec verba: *dum intus nihil tumultus sit* omiserunt. — VII 3, 14 *de causa generali sumus* habent, *de causa generali quaerimus* p M, *de causa generalissimus* P. — 4, 21 post verba *honesta res sed tristis* in utroque voces *atque aspera* desunt.[54])

quamquam igitur horum mendorum tria vel duo certe interpolationibus orta sunt, quae ut ne in his quidem libris desunt, ita multo rariores sunt quam in aliis, tam diligenter scriptus est W, ut non duodecimi saeculi codicem, sed duobus fere saeculis vetustiorem repraesentare videatur. neque enim ullum in eo vestigium extat lectionum in similes codices ex classi B Θ illatarum, orthographica vero tam diligenter curantur ut *e, ae, oe* accuratissime et iis quoque locis, quibus propter scripturae compendia littera *e* vel diphthongus non ponitur (velut $\bar{q}$ = *quae*), inter se discernantur, verborum compositorum formae non assimilatae aliquotiens etiam ibi servatae sint, ubi in libris vetustioribus assimilatis cesserunt, nominum denique propriorum Graecorum formae in *n* terminatae velut *Platon, Socraten, Cleanthen* raro oblitteratae sint. quibus in rebus librum E alteri similem fuisse ex descriptionibus Irmischeri et Harlesii conieceris. eadem scribarum diligentia effectum est, ut, quamquam archetypon, ex quo illi derivati sunt, multa cum P p communia habebat, bonae quaedam lectiones servarentur. quarum quae mentione dignissimae mihi visae sunt hic propono:

I 3, 3 W habet: *Quid est ergo quare ulla uerba coram amico meo retraham?* quae scriptura ante Schweighaeuserum ab omnibus editoribus recepta commendatur iis quae in F extant: *Quid est? quare ergo ulla* et in p *Quid est? quare ego* (corr. ex *ergo*) *ulla*; de E tacet Fickertus. — 6, 6 in E W haec leguntur: *Zenonem Cleanthes non expressisset, si tantummodo audisset. uitae eius interfuit, secreta perspexit, obseruabat* (*obseruauit* P; *ob serbauit* F, sed supra posteriorem *b* posita est *u*) *illum an ex*

[54]) multo minor eorum locorum est numerus quibus W et E inter se differunt. accedit quod fere omnia haec levicula sunt (I 2, 5 *alia causa* E, *alia castra* W; 5, 4 *uirilibus uti et certis* E, *uirilibus uti sed certis* W) neque iis quae Fickertus de E tradidit ubique credere licet, cum pauciora ex eo excerpta esse ipse professus sit (vol. I p. XXI) et saepe nota E uncis inclusa significarit sibi de eius scripturis non constare.

formula sua uiueret, in quibus quam apte tempus imperfectum perfectis quae praecedunt opponatur, facile intellegitur. — egregie II 5, 6, ubi reliqui libri aut: *haec quidem uel esurienti ad ista ueniendum est* (ita P p) aut *et quid – – – – ueniendum est* (ita g M Arg.b L r) aut similia habent, *Ec quid* in W servatum est, quod ipsum coniectura assecutus est Madvigius (II 468). idem pronomen in codicibus saepissime corruptum[55]) W solus servavit etiam III 5, 4: *Ec quis exitus est melior quam in finem suum natura soluente delabi?* et hic quoque quid scribendum sit Madvigius intellexit (II 472). — in eadem epistula (§ 3) *iuuat,* quod est in W, vulgari lectioni *iubet* haud dubie praestat. quae quomodo orta sit intelleges, si reputaveris in p *jubat* legi, quod, ut Chatelainio visum est, in *jubet* mutavit manus 2., in M *iubat,* quod et ipsum manu secunda in *iubet* mutatum est. — III 8, 8 recte W habet cum F M Pr.b *non desinent* (uitia), *sed* (*si* p) *intermittent,* v. quae Gertzius dixit in ephemeridibus *Berliner philologische Wochenschrift* 1886 p. 1469; de E Fickertus hic quoque nihil rettulit. — V 2, 2 in verbis hisce: *magnitudo non*[56]) *habet modum certum: comparatio illam aut tollit aut deprimit* non displicet quod E W exhibent *aut attollit.* apparet quam facile post *aut* syllaba *at* excidere potuerit. — VII 3, 16 male Fickertus Haasiusque in hoc enuntiato: *ne nunc quidem tempus, ut existimas, perdo,* adverbium *nunc* ex P p asciverunt. nam ex iis quae praecedunt et sequuntur patet Senecam non ideo se excusare, quod tempus tunc perdat, sed quod praeter philosophiam moralem etiam naturalem tractet. quare fieri non potest, quin recipiatur libri W scriptura *ne hoc quidem tempus – – perdo,* quam cum M et recentioribus quibusdam communem habet. ceterum eadem in omnibus exemplaribus typis expressis inde ab Erasmiano primo usque ad Schweighaeuserianum reperitur.

[55]) ut unum exemplum afferam, etiam I 7, 12 emendandum puto: *ecquid* (*et quid* codd.) *habes, cur placeas tibi?*

[56]) malo cum codicum R et λ manibus secundis et codice quodam Erasmi voculam *non* inserere quam cum Haasio librum γ secuto *incertum* scribere. ceterum secunda manus codicis R Leonardi est Iustiniani, discipuli Guarini, qui saeculo decimo quinto eum librum possidebat et multa in eo scite correxit et in marginibus adscripsit. prorsus enim harum correctionum et adnotatiuncularum ductus cum iis congruunt, quae in primis codicis foliis manu Leon. Iustiniani scripta esse ex nomine addito intellegitur. v. de eo G. Voigtii librum *Die Wiederbelebung des classischen Alterthums* I[2] p. 420 sq.

inter hos codices et eam classem, quae libris A b Arg.b efficitur, medius quodam modo est 5. M.

Metensis bibliothecae civitatis 300 (E 93) in 124 formae quartae foliis membranaceis saeculo scriptus undecimo (M)[57]). praefixa sunt duo folia et ipsa saeculo undecimo exarata, quae praeter ultimam paginam vacuam relictam psalmorum fragmenta continent. in huius paginae margine summo manus saeculi XV—XVI in rasura duodecim fere litterarum scripsit *Liber sancti arnulphi.* eadem, ni fallor, verba legebantur in folio 124a, sed erasa sunt[58]) et infra ea manu non multo recentiore, sed fere evanida haec scripta: *Nos debemus habere maria log.* Senecae epistularum volumen prius praecedunt *relatio ieronimi de seneca, epistulae senecae ad paulum apostolum et pauli ad senecam, Epytaphyum senecae.*[59]) epistulae ad Lucilium, quae neque numerantur nisi a manibus recentissimis neque in libros dividuntur, duabus manibus exaratae sunt, quarum prior scribendi munus cohibuit post ab-

[57]) Woltersius (p. 32 libelli p. 64 commemorandi) saeculo undecimo ineunti codicem tribuit. at eodem iure, quo eam manum, quae priorem eius partem (ep. 1—52) exaravit, huic aetati adscribere licet, posteriorem quae epistulas 53—88 scripsit saeculo undecimo exeunti assignes. quam cum priore non recentiorem esse ex habitu ipso codicis pateat, id, quod haud raro fraudi est codicum veterum aetatem definientibus, hic quoque evenisse puto, ut prior pars ab homine seniore, posterior ab iuniore scriberetur.

[58]) certum est in rasura tria verba latere, quae idem plane spatium atque illa quae in fol. 2b leguntur occupaverint.

[59]) in ultima codicis pagina manu simili ei, quae posteriorem epistularum Senecae partem exaravit, scriptum est hoc carmen de Paulo et Seneca versibus Leoninis, (praeter v. 23; in v. 7: *non Iesum isti norunt,* expectes in v. 16: *Quam Paulus, gentes postquam instr. o.*) ea qua exarati sunt aetate non multo vetustioribus compositum, quo egregie ostenditur, quanti tunc temporis monachi scripta Annaeana fecerint et quam libenter Pauli et Senecae epistulas lectitaverint:

'Qui discurristi per cuncta uolumina mundi,
Quae pro diuersis sortita uocabula causis
Ingenio magnos sic ostendere magistros,
Vt qua claruerint famam non perdere possint,
Inter se confer, et eum qui preminet effer,
Si potes. attamen ex-istunt diuersa sequentes:
Eheu, non isti Iesum norunt crucifixum.
Sed quam uis doctus non ista negauerit ullus,
Presertim sanctus cum dicat talia Paulus:
»Est inimica deo prudentia dedita seclo«,
Sunt tamen in precio ueratia multa loquendo.

solutam epistulam quinquagesimam secundam (fol. 63a), posterior reliquas inde a folio 63b epistulas exaravit et verba quaedam a priore omissa supplevit. praeter hanc in priore parte duae manus saeculi undecimi multa correxerunt et in marginibus adscripserunt totidemque eiusdem fere aetatis in posteriore, sed nihil fere ad Senecae verba emendanda conferunt. salutationis formula praeter primam epistulam omnes carent, valedictionis paucae. primam huius libri, quem G. Studemundus ei indicaverat, notitiam P. Woltersius dedit in *Exercitationis grammaticae specimini-bus F. Buechelero anno 1881 oblatis* p. 31 sq. qui cum eas praecipue lectiones excerpsisset, quae vulgatis praestare videbantur, ipse codicem M denuo totum contuli Vratislaviam ab iis qui bibliothecae Metensi praesunt benevolentissime transmissum.

M igitur, quamquam et ea re, quod manus prima in epistula quinquagesima secunda desinit, et paucis quibusdam lectionibus (velut I 2, 6 cum Arg. b habet *pauper non est* pro *diues est*), ad codices A b Arg. b inclinat, non plura cum iis communia habet quam cum P p Pr. b aliis. cum E W vero in tot singularibus scripturis congruit M, ut hunc ex simili atque illos archetypo, in quo tamen epistulae 66, 25—88 nondum periissent, derivatum esse statuendum sit. quod ut demonstretur, haec exempla affero: I 2, 3 pro *distringit librorum multitudo* habent M E W *Distinguit librorum multitudo;* 12, 3 pro *istunc nanctus* in iisdem extat *istic nactus;* IV 3, 5 *superegressus* in M W

Grecia, magnorum que quondam phylosophorum
Matrem se dixit, domino credendo negauit.
Tunc dominus mundum dignatus tradere totum
Vrbi Romane (e *in* ę *mut.*) dat cunctis uelle subesse.
Quam postquam Paulus gentes instruxerat omnes,
Agrediens (*sic*) uero dat per miracula Christo.
Contigit interea fama uulgante beata
Quidam philosophus de nomine Seneca dictus,
Conpunctus uerbis, fit mox per cuncta fidelis.
Quod Paulus gaudens domino gratesque rependens (*ex* rependans *factum*)
Dilexit semper uerbis scriptisque libenter.
Qui licet indignus fuerit baptismate Christi,
Scriptis mirandus uitaque fuit uenerandus.
Hunc mentis uoto, lector, complectere toto:
Est ut diuinus quare per cuncta sequendus (diuinus ut *primum scripsit librarius, sed correxit postea*),
Quem perimit gladio Nero crudelis iniquo'.

legitur, in reliquis *supergressus*, sed illud verbum ante patres ecclesiae non invenitur; 8, 1 vitiose in W M scriptum est *turpissimi auctoramentis* (*aut ornamenti* E) *uerba sunt* et in iis quae sequuntur cum E p Pr. b *ueri* pro *uri*; V 11, 10 pro *amoenitas nimia* in M W extat *amenitas. In ima,* in M tamen littera *I* et ante *i* proximam littera *h* erasae sunt; ib. 11 in M E W aliisque *exultabat* est pro *exulabat*; 12, 5 in M W *alterum* (aedificium) *puram aream accepit* <*et*> *illic protinus opus creuit*; VI 1, 1 M habet *pauca* (supra posterius *a* virgula quae *m* significat erasa est) *illi a parthenope,* quae scriptura medium locum tenet inter Pr. b *paucam illi* et W E *pauca illi*; 2, 7 in verbis his: *eici est inde expelli, unde inuitus recedas* M W particulam *ut* pro *unde* ponunt; praeterea libro M confirmantur codicis W lectiones, quas ad III 5, 3; 8, 8; VII 3, 16 commemoravi. tamen M multo neglegentius scriptus est quam W et a scribis, quos quae scribebant aut intellexisse aut certe intellegere conatos esse constat ex adnotatiunculis quibusdam marginibus adscriptis (velut ad VI 6, 30 *forma platonis* et II 4 ad ultima paragraphi primae verba .*DM*. i. e. *dignum memoriae*[60]), aliquot interpolationes passus. quibus quamquam illud adnumerandum non est, quod XIII 3, 39 pro *Aristarchi ineptias* positum est *Aristarchi notas* — fieri enim potuit ut, cum in archetypo sicut in ν alterum vocabulum ad alterum explicandum adscriptum esset, in M genuina scriptura omitteretur —, tamen aliae supersunt, quae quin fraude librariorum ortae sint dubitare non licet: VI 1, 1 supra verba *ut nauigarem? solui mari languido* haec scripta sunt: *uel ut nauigarem solvs mari languido.* — 3, 2 librarius in verbis *erat enim a recenti tempestate spissum*, cum ea de litore arenoso dicta esse non intellexisset, voculam *a* in *mare* mutavit. — XI 2, 8 inter voces *quantum* et *debeat* insertum est *pro eo.* — XII 3, 20 post verba *Quemadmodum summum* M

[60]) easdem litteras saepius appinxit m. 2., primae aequalis. quin etiam ad I 8 eiusdem aetatis manu, sed a secunda diversa hic versus adscriptus est: *Dulcibus his monitis comple penetralia cordis.* similes sunt manus tertiae saeculi duodecimi adnotationes quaedam, quarum hae ad verba quae sunt I 6, 4: *ego vero omnia in te cupio transfundere et in hoc gaudeo aliquid discere ut doceam* appositae: *Legat haec inuidiosus magister* mentione dignissimae videntur. idem homo cum voces apud Senecam Christianas indagaret — id quod ne nunc quidem facere desinunt theologi —, ad I 12, 9 adscripsit: *Nota euangelicum preceptum* et ad IV 2, 10: *apostolica uox. Deum nemo nouit.* habes igitur codicem inter manus discipulorum ludorum monachalium tritum.

vocabulum *bonum* adicit, quamquam hic de *summo*, non de *summo bono* sermonem esse patet. — XIII 1, 6 in verbis hisce: *nisi parietes magnis et pretiosis orbibus refulserunt,* pro *orbibus* positum est *ordinibus.* at reliquorum librorum lectionem confirmant parietinae Pompeianae. in quibus cum saepius orbes colore aureo picti sint (v. Mau *Geschichte der decorativen Wandmalerei in Pompeji* tab. VI [cf. p. 192] et tab. VII), hos in aedificiis hominum locupletiorum, de quibus Seneca agit, vere aureos vel auratos e parietibus suspensos fuisse veri simillimum est[61]). — iam igitur apparet librum M codice Pr.b, ad quem aetate proxime accedit, pretio superari, scripturis autem in eo solo servatis diffidendum esse, nisi certissimum sit eas iis quas reliqui praebent praestare. bonas tamen lectiones in libro tam vetusto atque a Parisinis et Florentino longius quam alios discedente satis multas extare consentaneum est. quin etiam praeter eas, quas Woltersius protulit et sagaciter eruditeque commendavit[62]), supersunt quaedam commemoratione non indignae: V 7, 2 comprobatur libro M scriptura ab Haasio ex libris recentibus γε et editionibus vetustis recepta: *mihi uero idem* (*id* ceteri codd.) *expedit quod tibi*[63]). — VII 5, 13: *aspice M. Catonem sacro illi pectori purissimas manus*

[61]) non licet confundere cum his orbibus discos qui vocantur marmoreos in atriis et viridariis Pompeianis inter duas pilas aut ex arboribus suspensos. quorum exempla delineata habes apud Overbeck-Mau *Pompeji*[4] p. 539. ceterum Lipsius cum Senecae loco comparari iubet Iuvenalis versum (XI 175) hunc: *qui Lacedaemonium pitysmate lubricat orbem*; at hoc de solo marmore Lacedaemonio strato agitur, Seneca loquitur de parietibus.

[62]) *serrarius,* quam libri M scripturam Woltersius (p. 38, ep. 56, 4) reliquorum codicum lectioni *ferrarius* suo iure praetulit, confirmatur codice W. improbandae tamen sunt eae libri M scripturae, quas p. 38 (ep. 65, 1) et p. 42 (78, 11) commendavit. nam quod illo loco concinnitatem orationis exigere putat, ut pro *postmeridiano* cum M reponamus *postmeridianum,* obliviscendum non est in Senecae oratione iam inveniri initia inconcinnitatis Tacitinae; hoc vero loco vocula *cibi,* quae in Pr.b deest, in F²M interpolata videtur. neque enim de cibo solo sermo est, sed etiam de potu. quare vocabulum *quorum,* quod extat in V Col., ei quod Madvigius (II 489) pro *quibus* posuit *cuius,* praeferendum esse existimo. ceterum merito dubitavit Woltersius (p. 33, ep. 4, 6) de lectione *iuuat* a Fickerto pro *adiuuat* ex R prolata; nam in hoc quoque *adiuuat* extare testor.

[63]) in proxima epistula (V 6, 17) non displicet quod in his verbis: *alius libidini servit, alius avaritiae, alius ambitioni, omnes timori* M pro vocabulo *timori,* quod sanum esse vix potest, *amori* habet. omnia enim quae sequuntur exempla amoris sunt, timoris vero, quamquam ei voci soli verbum

admoventem et uulnera parum autem demissa laxantem. probandum est quod intolerabilis particula adversativa participio in p adiecta deest in M, quocum P, si fidem habere licet Fickerti silentio, facit. — VIII 2, 15 ante nomen *Cato* M solus praenomen *.M.* servavit. — similiter X 1, 18 ante nomen *Caesar* idem litteram *T.* habet, ex qua sine dubio *C.* efficienda est. nota enim sunt C. Caesaris Caligulae, quem intellegendum esse Lipsius recte monuit, argute dicta, quibus ipsum quoque Senecam exagitavit (v. Sueton. C. Calig. 53). — IX 3, 9 in M solo scriptura, quae proxime ad veram accedit, *aut decipimur aut fallimur* legitur (v. p. 40 adn. 20). — X 2, 28 Seneca sub finem epistulae his verbis Lucilium alloquitur: *his te cogitationibus recrea et interim epistulis nostris vacando. veniet aliquod tempus, quod nos iterum iungat ac misceat.* dici vix potest quam ineptum sit et quantopere claudicet verbum *vacando.* quod cum in M post *Veniat* — sic enim male scriptum est pro *veniet* — legatur, ex hac archetypi
uando,
lectione: *aliquod* ortum esse puto. accedit quod in P non *aliquod tempus* extat, sed *aliquando tempus.* sic igitur Senecam scripsisse verisimile puto: *et interim epistulis nostris. veniet aliquando tempus* eqs.

denique extat classis quaedam codicum, cuius quia multae lectiones in alios libros illatae sunt, iam saepius mentionem facere coactus sum. innotuerunt autem adhuc eius exemplaria saeculo decimo quarto vetustiora[64]) non plura quam codex Bernensis 484 (olim Petri Danielis) in formae maximae membranis binis columnis saeculo decimo tertio exaratus (B Fickerti, v. eius *Prolegomena* p. 53 et edit. p. XXII, *Catalogus codicum Bernensium rec. et praefatus est H. Hagen* Bernae 1875 nr. 484) et Vaticanus reginae 1544 (ante Petavianus[65]) membranaceus formae quartae saeculo scriptus decimo tertio (Θ Fickerti). duplicem iacturam

6. codices libros I—XI 3, 19 complexi: B Θ.

omnes apponitur, omnino nullum affertur. id tamen displicet in codicis M scriptura, quod ante *amorem* iam *libidinis* mentio facta est. quare G. Studemundus *abdomini* pro *libidini* (cf. Sen. de benef. VII 26, 4) scribendum esse coniecit.

[64]) e recentioribus, ut unum exemplum afferam, ad eandem familiam pertinet Fickerti V(indobonensis) saeculi XIV, quem p. XXII descripsit. propius autem ad Θ quam ad B inclinat.

[65]) in paginae primae margine inferiore leguntur haec: *Alexander Pauli filius petauius Senator parisienses* (sic) *anno 1650.*

hic liber, qui raro a Fickerto memoratur neque satis accurate describitur, passus est. nam perditis primis foliis incipit demum ab epistulae I 12, 6 verbis his: *ista tam seni ante oculos debet esse.* praeterea eorum quoque tredecim foliorum, quae hodie prima sunt, partes mediae madore aspersae aegre leguntur. desinit uterque codex in his verbis epistulae XI 3, 19: *sic mala illa credideris.* plurimis interpolationibus hos libros scatere iam supra exposui neque necessarium est plura exempla, quae facili opera ex Fickerti adnotationibus peti possunt, hic congerere. prorsus tamen ne hos quidem libros neglegere licebit. nam etiam in his sordibus gemmulae quaedam latent: I 5, 4 iam in vetustissimis editionibus legitur: *cibis non tantum vilibus uti, sed taetris et horridis.* at optimi libri Pp F g Pr. b M W male habent pro *taetris* adiectivum *certis,* in aliis est *crudis,* in B solo *tetris et sordidis et horridis,* in quibus vocabulum *sordidis* ex glossemate ad *tetris* adscripto in orationem irrepsisse facile perspicitur. — 12, 7 codex Θ — nam de B ex Fickerti silentio non satis mihi constat — Heracliti cognomen *scotinon* servavit. — VII 4, 25 idem Θ verba *quam recaluum* in Pp omissa, sed iniuria a Fickerto et Haasio expulsa habet[66]). neque enim ullo modo ea deesse posse intelleges, si cum similibus quae praecedunt et sequuntur enuntiatis comparaveris. — VII 6, 13 in Θ solo est *despumauit,* in Arg. b et L_2 *dispumauit,* in reliquis *disputauit.* — VIII 2, 25 solus, quod sciam, B recte habet: *qui supra fortunam exsistat,* reliqui omnes: *qui s. f. extat.*

7. codices Vaticani et Parisini nondum collati.

iam vero superest, ut librorum membranaceorum saeculo decimo quarto vetustiorum, sed nondum ita examinatorum, ut certius quicquam de eorum pretio pronuntiari possit, accuratior quam qui est apud Fickertum index proponatur. dici enim vix potest quanti errores maxime in aetate codicum Vaticanorum definienda numerisque indicandis a Raynaldo Sanctolonio commissi sint, qui eos Ign. Aurelii Fessleri in usum circa annum 1796 novam Senecae editionem molientis neglegenter contulerat. nam huius schedis postea ad se translatis Fickertus usus est[67]).

[66]) pro *recaluum,* vocabulo raro, sed a Seneca etiam in libro de matrimonio (fragm. 62 Haasii) usurpato, formam biblicam *recaluastrum* substituerunt libri quidam recentiores.

[67]) v. eius *Prolegomena* p. 42 sq. et edit. vol. III p. XXIII sq. ex Sanctolonii erroribus aliquot iam Aemilius Chatelain detexit in annalibus qui inscribuntur *Revue de philologie* I (1877) p. 163 sq.

horum igitur librorum si qui a Sanctolonio saeculo decimo tertio attributi infra non memorabuntur, eos aetati recentiori (ut Vaticanos 2201, 2205, 2207, Reginensem 1454, Ottobonianum 1670) tribuendos esse mihi credas. neque maior fides habenda est Fickerto de iis, quae de codicibus Parisinis a se ipso inspectis refert. haud paucorum enim, quorum notitiam vel ex catalogo typis expresso petere poterat, ne mentionem quidem fecit.

Vaticanus 1551 saeculi XIII, formae 16, continet epistularum partem priorem in libros non divisam.

Palatinus 1549 saeculi XIII, formae quartae, continet epistularum partem priorem in libros non divisam. foliis nonnullis avulsis desinit in epistulae XI 2, 19 verbis his: *quod uolet adiuuare adiutus.*

Palatinus 1550 saeculi XIII, formae octavae, continet epistulas III 7 usque ad XII 1, 20 *(omne uitium taxatur)* in libros non divisas.

Reginensis 209 saeculi XIII, formae octavae, post Sidonii epistulas continet Senecae epistulas I 1, 1 usque ad VI 3, 3 non numeratas.

Reginensis 236 saeculi XIII, formae octavae, post Hildeberti Cenomanensis epistulas foliis 73a—124b prioris partis epistularum Senecae excerpta satis ampla habet.

Reginensis 1546 saeculi XII, formae quartae, continet Senecae epistularum partem priorem.

Parisinus 6378 (Bigotianus) formae maximae, binis columnis saeculo XIII scriptus, complectitur prius epistularum volumen integrum.

Parisinus 6388 (olim *Claudii Puteani*) saeculi XII, formae maximae, continet prioris voluminis epistulas omnes.

Parisinus 8624 (Colbertinus) saeculi XII—XIII, formae maximae, continet inter Symmachi (a cuius nuperrimo editore adhibitus non est) et Apuleii libros quosdam et Senecae naturales quaestiones foliis 69a usque ad 72b prioris epistularum voluminis fragmentum, quod complectitur epistulas III 8, 12 *(-ni ego tui miserear)* usque ad IV 8, 2 *(paucos dies aut annos lu-).*

Parisinus 8541 saeculi XIII, formae quartae, continet epistularum volumen prius integrum.

Parisinus 8542 (olim *Iac. Aug. Thuani,* postea Colbertinus), formae quartae, continet variorum Senecae librorum fragmenta

sacculis duodecimo, decimo tertio exeunte, decimo quarto exarata, quorum vetustissimus est quaternio saeculi duodecimi folia 176-183 complexus. leguntur in iis praeter *Prouerbia uarronis* Senecae epistulae VII 6, V 11 (inde a verbis § 3: *Nemo* [sic] *de secessu cogitans*), III 2, III 7, IX 3, I 5, XIII 3.

Parisinus 8543 (Thuaneus, post Colbertinus) formae quartae, saeculo duodecimo binis columnis exaratus, continet epistularum Senecae volumen prius integrum.

Parisinus 8543a (Colbertinus) formae quartae, saeculi XIII, continet epistulas VI 6 usque ad XIII 3, quam sequitur epistula I 6.

Parisinus 8545 (Puteaneus) formae quartae, binarum columnarum, saeculi XIII exeuntis vel XIV ineuntis, continet voluminis prioris epistulas omnes.

Parisinus 8616 (Thuaneus, post Colbertinus) formae quartae, saeculi XIII, continet epistularum libros priores tredecim septuaginta tantum epistulas complexos.

Parisinus 15085 (olim S. Victoris 723) formae quartae, saeculi duodecimi, continet epistularum volumen prius ordine earum perturbato: primam praecedunt epistulae VI 6, VII 3, VII 4.

Parisinus 13948 *(Ex libris S. Germani a pratis)* formae quartae, saeculi XII, continet epistulas I 1 usque ad VI 9.

Montepessulanus scholae medicinae H 132 formae maximae, binarum columnarum, saeculi XII, continet epistularum volumen prius usque ad XIII 2. intercedente benevolentissime pro me Leopoldo Delisle hunc codicem Parisiis inspicere mihi licuit.

en habes amplam codicum aut nondum aut non ea qua par est diligentia examinatorum copiam, quae aliis bibliothecis perlustratis facile augeri poterit. quamquam autem aliquantum eas a vetustiorum praestantia abesse certum est, tamen sperare licet excussis iis tantundem fructus ad epistularum emendationem redundaturum esse, quantum ex codicibus eiusdem aetatis supra tractatis percepimus, librosque saeculo XIII recentiores aliquando abiectum iri[68]).

[68]) Haasio (vol. III praef. p. IX) Vaticanus Urbinas 219 saeculi XV, quem Fickertus nota υ significare solet, tam bonus visus est, ut eum cum Pr. b componeret.

Pauciora habeo quae de **altero epistularum volumine** (XIV 1—XX 7) dicam. nam et codicum quibus servatum est numerus multo minor est quam prioris et de optimis eorum Franciscus Buechelerus in praefatione editionis *Senecae epistularum aliquot* philologis et praeceptoribus Germaniae Treveros anno 1879 convenientibus oblatae ita disseruit, vix ut quicquam addi possit. duo igitur habemus eiusdem exemplaris apographa, codices A(rgentoratensem C VI 5) et B(ambergensem V 14) saeculo nono exeunte aut decimo incunte exaratos. habere nos eos dixi, quamvis A ipse iam non extet. aliquot enim annis ante funestam illam belli cladem, qua absumptus est, tanta eum Buechelerus diligentia contulerat, ut id exemplar Fickertianum, cui eius lectiones adscripsit, iam codicis instar esse dixeris. quamquam autem utriusque codicis librarii — a pluribus enim utrumque exaratum esse Buechelerus affirmat[69]) — tanta religione archetypum suum secuti sunt, ut singula fere folia inter se respondeant et fuerint, qui A ex B descriptum esse contenderent[70]), tamen is qui hunc exaravit, cum maiorem illo linguae Latinae cognitionem haberet, rarius quam ille, qui quos litterarum ductus non intellegebat saltem diligenter imitabatur, in scribendo lapsus est. habet tamen hic quoque paucas quasdam scripturas, quibus Bambergensi praestet et quas coniciendo inventas esse vix quisquam putaverit (v. Buecheler p. VI). his igitur libris tamquam fontibus primariis in recensendo epistularum volumine posteriore utendum est. quamdiu autem Buecheleri editionem integram expectamus, quia quae Schweighaeuserus et Fickertus de illorum scripturis tradiderunt satisfacere nullo modo possunt, A. Weidneri codicis Bambergensis collatione utendum est a Georgio Windhaus in programmate gymnasii Darmstadtensis anni 1879 publici iuris facta et adnotationibus, quibus prudenter plerumque de singulis locis iudicavit, inlustrata. multo vero minus accurate a Weidnero

I. codices vetustissimi: A, B.

[69]) Haasii coniecturam (vol. III p. IX), qui ab eodem librario utrumque librum exaratum esse putabat, specimin<u>ibus</u> scripturae, quae Buechelerus editioni suae adiecit, inter se comparatis refellitur.

[70]) Aem. Hermes in *Quaestionibus criticis in L. Annaei Senecae epistularum moralium partem II* programmati gymnasii Meursani anni 1874 praemissis p. 6, G. Windhaus libelli infra memorandi p. 1, F. Gloeckner in *Quaestionibus Annaeanis*, Halis 1877 p. 31 sq.

quam a Buechelero librum B excussum esse iis, quae uterque ex eo protulit, inter se comparatis facile est intellectu.

F, G. adscripsit Buechelerus praeterea ad epistulae XX 3 partem priorem scripturas codicum Laurentiani XXXVIII 24 (F) saeculi X vel potius XI (non saeculi IX, vide imaginem codicis apud Aemilium Chatelain *Paléographie des classiques latins* tab. X) et Sangallensis 878 (G) saeculi X, in quibus hoc Senecae frustulum separatim scriptum legitur. quamquam autem id exemplar ex quo hi deducti sunt multos errores cum archetypo librorum A B communes habebat (p. 60, 5 Buech. *nos* om. A B F G; ib. 9 *bonum* om.; 61, 22 *legitque* habent pro *iecitque*), ad quos novi aliquot accesserant (pro *Lucilius* F G habent *Lucillus,* qua forma Honorius scholasticus usus est in anthologiae Riesii carmine 666; v. Buecheleri praef. p. VII; 60, 20 *redeundum* praebent pro *redigendum*; 61, 19 *inuoluit* G et *molui* F pro *reuulsa*; 62, 2 *nobis* om.), duo saltem sunt loci, quibus alter eorum genuinas lectiones in A B oblitteratas servaverit: p. 61, 19 *tam diu* habet F, *iam diu* A B G et p. 62, 22 *obnixum* F, quod ipsum sive coniectura invenit Dalechampius sive ex codice aliquo suo protulit, *obnoxium* A B G. accedunt vero in tam exiguo unius ac ne integrae quidem epistulae spatio alii loci (60, 24; 61, 3; 62, 13; 63, 14; 19), quibus F G aut meliora quam A B praebeant, quae tamen a librario aliquo corrigi potuerint aut quae Senecam scripsisse non prorsus certis argumentis evinci possit.

M. extant autem eiusdem illius frustuli ad epistulam XX 3 pertinentis duo codices, qui adhuc collati non erant: M(etensis) 377 membr. saeculi XI,[71]) quem G. Studemundus excussit et

[71]) Codex Metensis 377 membr. 4° saeculi XI, de quo breviter rettulit Ludovicus Quicherat *Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des départements* tom. V (Parisiis 1879) p. 157 sqq., haec continet, quae Studemundus omnia descripsit:

I. in folii singularis, quod praefixum est primo quinioni, a quo Boethii libri philosophiae consolationis incipiunt, pagina recta duae leguntur acrostichides a monacho rei metricae parum gnaro artificiose ita confectae, ut versuum et initia et sedes ante caesuram semiquinariam proximae et exitus haec verba efficiant: *Hatto miser* (sic cum punctis) *caro salutem* et *Hardol* (sic cum punctis; pro *Hardolfus*) *abas*. Sub nonnullis versibus latet paulo antiquior scriptura, quae fere penitus erasa est.

descriptionem lectionesque mecum comiter communicavit, et

prior igitur acrostichis haec est [eas litteras, quae compendiis scripturae significatae sunt, intra hos uncinos ( ) inclusit Studemundus]:

	H	atto · non iosep	H·	qui nec formaberis iafet	H
	A	d que(m) infelici	A·	decurrunt plurima mult	A
	T	um uarie inludan	T	pestes numqua(m)q(ue) recedun	T
	T	e cunctus uisita	T	dolor· et n(on) forte recedi	T·
5	O	mni de studi	O	recidens· miserabilis adst	O;
	M	endace(m) et falsa	M	· scribunt tibi s(e)c(u)la laude	M·
	I	nterra flagit	I·	fulgere stirpe potent	I
	S	tat tibi p(er)pruden	S	frater bonus atq(ue) fideli	S
	E	n uiuens clar	E	retinens moderamina · uit	E
10	R	ex erit. et recto	R·	multorum sicq(ue) magiste	R
	C	onsonat ut sado	C·	uotu(m) quoq(ue) soluit ut isaa	C
	A	rte tua seru	A	talem qui seruet ad ist	A
	R	egere sublimite	R	se · ne ueniat sibi aucto	R
	O	mine laudat	O	quidam · qui uiuat inart	O
15	S	iste gradu(m) fr(atr)i	S	fluitantis rebus in isti	S
	A	c tu nunc cur	A	memet stabilire p(er)prat	A
	L	audes cu(m) danie	L	d(omi)no ut dica(m) quoq(ue) abe	L
	V	t mundi curs	V	ducto · nulloq(ue) tumult	V
	T	ranscenda(m) gauden	T	ubi s(an)c(t)i hymnosq(ue) retrudun	T
20	E	xcelse car	E	sedeas dum co(m)placet alm	E
	M	agnu(m) te uidea	M	cunctu(m) decernere seclu	M

v. 3 aut *uarie* aut *uane* legi potest| 3 *inludant,* non *inludunt* scriptum est| 9 *clarE* ex *clarrE* radendo correctum est| 14 aut *uiuat* aut *uitiat* scriptum est| aut *inarto* aut *marto* aut *mario* scriptum est| 16 *perprata,* non *parata* scriptum est.

posterior acrostichis, quam altera sed priori simillima manus scripsit, haec est:

H	ic qui melchisedec	H	· et dilatauit iafet	H·
A	rte et qui magn	A	formabat cuncta creat	A
R	ector plasmato	R	· saluator et ipse redempto	R
D	onet in arce daui	D	· semp(er) cu(m) principe daui	D
O	mine magnific	O	gaudere sicque secund	O
L	audes ut danihe	L	· d(omi)no· p(er)soluas ut abe	L
A	d te nunc ist	A	scribo pater optime dict	A
B	ooz qui elegit io	B	et qui bene dixit iaco	B
A	dfixit summ	A	cristus uirtuteq(ue) mult	A
S	oli sis tali	S	co(m)missus sicut et agne	S

II. in eiusdem folii pagina aversa hoc carmen in pavonis mortem compositum manu saeculi XI exaratum est, cuius interpunctionem aeque atque eius quae sequitur *maledictionis* ad nostrum morem revocavit Studemundus:

Nocti p(re)terite dedimus cu(m) menbra quiete,
Maxima tu(m) subito nos excitat inquietudo
Et dolor inm(en)sus, que(m) uix superare ualem(us).

o. O(ttobonianus 1031) miscellaneus formae quartae, qui inter folia

Hinc cantare libet, quia luctu(m) cantio mulcet.
Rara auis in terris albisq(ue) simillima cignis,
Eheu, n(ost)ra pauo p(re)senti decidit aeuo.
Qua(m) n(on) mors tulerat, seuior sed bubo necabat.
Non alit(er) ualuit, so(m)nosa(m) fraude p(er)emit;
Sic tam(en) haud leuit(er): certabant na(m)q(ue) ualent(er).
Sed cu(m) lassa foret n(ost)r(u)mq(ue) leuamina uellet.
Conclamat notis sibi uocib(us) ingeminatis.
Surgim(us) attoniti; sed erat ia(m) proxima morti.
Du(m) stam(us) flentes, nos liquit ipsa dolentes.
Q(uo)d uob(is), d(omi)n(a)e, signam(us) n(un)c lacrimose;
Poscim(us) instant(er), dole<atis> conpacienter
Et, sicut nostis, decessus huius agatis:
T(un)c eteni(m) simile(m) uob(is) spondem(us) amore(m),
Ut nob(is) doleat, q(uo)d uosmet torue restringat.
Cunctis post auib(us) mancat bubo maledictus,
Qui dederat planctu(m), n(on), immo nocentib(us) . . su(m).
A cuncta terra cumulentur in hunc maledicta;
Nu(m)qua(m) sit sospes matriue patriue sup(er)stes.
Hoc epitaphiu(m) sup(er) ossa pauonis arandu(m):
Hic iacet albedo, qua(m) p(er)culit atra nigredo;
Hic sita na(m)q(ue) pauo iuste similabitur astro,
Non est in celo plus albu(m) q(u)id uel in imo.
Inuidus hanc bubo p(er)cussit corpore morso
Nec tinxit merito sua guttura sanguine fuso.
Posthac sit bubo maledict(us) in om(n)ia mundo,
Sit benedicta pauo, dicat(ur) ab om(n)i creato.
Quisquis uersiculos sedulus c(on)spexeris istos,
Celi, quo Cuono uigeat, dic semp(er) in almo;
Edidit hic uersus pueroru(m) uoce rogatus.'

v. 4 *cantio* ex *cantantio* radendo factum cod.| 5 cf. Iuvenal. sat. VI 165; Iohannis de Alta Silva *Dolopathos* p. 2, 1 ed. Oesterley| 15 *dole* pro *doleatis* cod.| 20 aut *esum* aut *usum* aut *ipsum* videtur in cod. fuisse| versus 33 ab altera manu saec. XI vel XII repetitur ad dexteram.

sequitur statim in proximo versu ab altera, ut videtur, manu saec. XI scripta bubonis maledictio haec:

'Benedictio d(omi)ni sup(er) caput iusti. Consequens est ergo, ut maledictio d(omi)ni sit sup(er) caput iniqui. Bubo igitur iure subiacebit om(n)imode maledictioni. Qui cu(m) insidias ferret, insidiatores offendit; cu(m) captare uellet, captatores sensit; cu(m) subripere cuperet, raptatores sui inuenit; cu(m) fraudare desideraret, fraudatores repperit; cu(m) occidere adfectaret, occisores uidit. Nondum tamen mortem sustinuit, quia titubamus, qua sibi conuenienti morte interire possit. Per om(ni)a tamen benedictus d(eu)s, qui inimicu(m) in n(ost)ras tradidit manus. Quod u(est)re u(est)rarumq(ue)[1]) dominationi [2])potissimu(m) insinuare elegimus, q(uonia)m

recentiora quattuor habet (13—16) saeculo XI exarata binarum

dignu(m) duximus, ut, sicut in occisura karissime pauonis socie extitistis grauissimi planctus, ita in captura odiosissimi bubonis participes existatis inmanissimi risus. Pre inmanitate aut(em) letitie[3]) libeat om(n)ibus exclamare: Seruiamus d(omi)no in s(an)c(t)itate, qui liberabit nos ab inimicoru(m) n(ost)rorum incursione; d(omi)no cantemus: gloriose enim est magnificandus, quia colla inuasoris n(ost)ris subiecit pedibus.'

[1]) in *u(est)rarumq(ue)* litterae *ura* (*ur* incertae sunt) in rasura scriptae sunt| [2]) a *potissimum* incipit folium 2[r] (id est primi quinionis primum)| [3]) *letie* pro *letitie* cod.

III. sequuntur variis saeculi XI manibus quinquies ita scripta, ut non omnia ubique repeterentur vocabula, haec, quae radendo non prorsus deleta sunt:

Codex sci naboris siquis
abstulerit anatema (semel *anathema*) *sit*

quibus significatur codicem hunc olim bibliothecae monasterii Sancti Naboris (*St. Avold*) ad dioecesin Metensem pertinentis fuisse.

IV. iam sequitur in folio 2[r] inf. haec inscriptio:

INCIPIVNT GENERAMETRORV INLIBRO BOECII QVE
DOMNVSLVPVS VTFACILIVS STVDIOSVSLECTOR
ACCIPEREPOTVISSET INLVCE PRODVXIT·:·

eamque excipit (fol. 2[v]) Lupi commentarius, quem Rudolfus Peiper (in Boethii philos. consol. editione Lipsiensi a. 1871) edidit p. XXV—XXIX med., a contextu Peiperiano identidem ita recedens, ut propius absit a codice Einsidlensi 302 saeculi XI, et in fine (post versum Peiperianum 154) hoc germano additamento (cf. Servius de centum metris p. 457) auctus: *Obserua autem, quisquis legeris, finalem sillabam in metris omnibus indifferenter accipi, dimetrum uero uel trimetrum uel tetrametrum in metris iambicis, trochaicis et anapesticis per duplices, in reliquis per simplices computari. FINIT:*

INCIPIT INTRODUCCIO CARMINIS ANCII: MANLII: SEUERINI: BOETII:

hac autem *introductione* continentur hae particulae editionis Peiperianae: p. XXX 1 *Tempore teoderici* — p. XXXII 10 *interemptus est*, p. XXXIV 10 *Nobiles romani* — 25 *peruenieba*t, p. XXXII 1 *Boetius iste* — p. XXXIII 21 *mutabilitate fortunae*, p. XXXIII 1 *Quaeritur a nonnullis* — 12 *inferior uideatur*; tum haec: *Duo tamen filii eius in consulatu permanserunt sub regia potestate. Boetius uero praefectus in praetorio amicis eius circumstantibus gladiis est inter[r]emptus.* Deinceps: *In quibusdam Boetii libris capitulum hoc continetur. Domino patricio summa fide Boetius. Queritur quare summa fide addidit, cum fides nec augeri nec minui ualeat.* etc. Deinceps: *ITEM. In aliis quoque libris hoc habetur proemium. Domino meo patricio Simmacho* (ex *simmachus* correctum a m. 1.) *Boetius. In aliis ita. Anicii* etc., des.: *Quartum Calcedonense. In quo sub imperatore Marciano et Leone Apostolico ac Iuuenali Constantinopolitano et Athanasio Hierosolimitano episcopis quenam* (sic m. 2., *quanam* m. 1.) *de arhitmetica coepit tractare patefiet.*

V. Statim sequitur (fol. 8[r] med. — fol. 10[r] med.) fragmentum illud epistulae Senecae XX 3.

columnarum, in quibus post ultimos Hecyrae Terentianae versus

VI. fol. 10^{r} med.: *FINIT EPISTOLA SENECAE. GLOSSE DE-INICIOHUIUSLIBRI.*, inc.: *Astitisse sibi supra uisa est mulier* etc.

VII. inde a folio 12^{v} sequuntur ipsi Boethii libri philosophiae consolationis (cum scholiis).

VIII. Post huius operis subscriptionem in ultimi quaternionis folio ultimo verso haec legitur inscriptio:

OPVS· ANICII· MANLII· SEVE
RINI· BOECII· EXCONS· ORD·
ATQUE PATRIC· ORDITVR
DE SCA TRINITATE.

nec tamen perscripta sunt ipsa verba huius, qui inscriptione illa indicatur, libri. Alia autem manus saeculi XI spatio vacuo in hoc folio averso et folii singularis, quod in fine adfixum est, pagina recta usa epistulam scripsit, qua de Maioli morte agitur.

IX. Denique in folii illius singularis pagina aversa alia manus saec. XI hoc exaravit carmen, quod ex parte difficile lectu est (interpunctionem et adnotationes adscripsit Studemundus):

'Ligneus hic paries uario splendescit amictu,
Introrsum [illegible], desuper arte nouus.
Mirus p(er)miro mirum miratur amore,
Et, quod perrarum est, querit habere [illegible].
Gracior est fructus, quem spes productior edit:
Ultro obiectorum uilius est p(re)cium.
Hatto nunc brutus studio florente solutus
Mandat Hardolfo uiua uirtute referto,
Que deus in celo disponit amore sereno.
In domino certe sine fine, fidelis amice,
Pectore c(on)letor te leto corde ualente;
Sit licet hoc minimum te talem talia scire,
At fidei uere debemus dona fouere.
Uitis ouare solet, si botrus palmite gaudet.
Obsecro te talem per puri cordis amorem,
Gratis accipias tabulas, quas mitto, politas.
Non sunt condignae, proh dolor, transmittere, domne.
Sed quia promisi, studui deponere tibi,
Ne fiam fallax, alio est quod nomine mendax,
Et nec sim seruus, ceu dicitur, officiperdus.
Si fuerint grate, gaudebo mente ualente.
Hic tibi fabor enim uerbis et uoce Catonis:
Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus,
Accipito placide, plene laudare memento.
Pergit in exilium pulcherrima gemma parentum,
Flebilis heu mestos cogor inire modos.
Vive, uale; uiuas, ualeas; uiuendo, ualendo
Sis memor oro mei, sum quia, crede, tui.

(868 sqq.)[72]) et Prisciani de metris Terentii libellum ipsius illius epistulae XX 3 eadem pars quam F G M servaverunt legitur[73]).

2 post *Introrsum* vocabulum sex fere litterarum scriptum erat, quarum alteram *e*, ultimam *s* fuisse constat; prima videtur fere *c* fuisse; varias supplendi vias patere apparet| 4 post *habere* videtur fere *si est* (quarum litterarum prima admodum incerta est) extitisse; vario modo sententiam absolvi posse consentaneum est| 5—6 hoc distichon a Prospero Aquitano (epigr. LXX [alias LXVII] 5—6 ed. Migne) mutuatus est poeta| 7 verba *studio florente* scripsit poeta recordatus Boethii philos. consol. I 1, 1| 11 verba *Pectore c(on)letor* in rasura scripta sunt| 12 *minimum* in rasura scriptum est| 19 ad vocabula *fallax* et *mendax* conf. e. g. Prosperi Aquitani epigr. LXVIII et LXIX ed. Migne| 20 *officiperdus* mutuatus est poeta a Catonis distichis IV 42 ed. Baehrens (Poet. lat. min. vol. III)| 23—24 totidem verbis leguntur in Catonis distichis I 20 ed. Baehrens| 26 hunc pentametrum a Boethio philos. consol. I 1, 2 mutuatus est poeta.

[72]) summopere dolendum est quod pauci tantum modo versus Terentii in O servati sunt. apparet enim hunc codicem artissime cognatum fuisse cum celeberrimo codice Victoriano (nunc Laurentiano XXXVIII 24, de quo cf. Umpfenbachius in Terentii editione p. XVIII sqq.), siquidem in utroque post Terentii fabulas scriptus est Prisciani libellus de metris Terentii non integer, sed usque ad p. 426, 12 ed. Keil, eumque excipit Senecae epistula, de qua agitur, pari modo mutilata. in Terentii codice Decurtato qui dicitur (id est in Vaticano 1640 saec. XI, quem cum Victoriano cognatum esse constat) omnia quae olim post Hecyrae versum 309 extabant periisse notum est (cf. Umpfenbachius l. c. p. XXII).

[73]) post ultimos Hecyrae versus haec leguntur: *Ponti namque natans litis* (sic!) *pertingere temptat Herbarum fessus carpere summa nitens. Calliopius recensui novissima.* tria ultima verba manu recentiore repetuntur. post Prisciani libellum et Senecae epistulam sequuntur haec, quae tamquam scholia ad inscriptionem satirarum Iuvenalis proxima columna exaratam: D · IVNII · IVUENALIS SATYRARVM LIBRI adiecta esse iam ex litteris *d b c* praepositis apparet. subicio ea hic sicut in codice scripta sunt: *d Iuuenalis proprium illi. fuit enim aquinates. id est de aquinio oppido qui prima ætate tacuit. media uero declamauit. temporibus claudii neronis imperatoris; primumque in paridem pantomimum imperatoris. qui fautores multos habebat. hos uersus edidit. quod non dant proceres dabit histria et cetera propter quos uersus cum non auderet eum roma quasi sub optentu miliciæ dignitatis octogenarius esset. factoque principe unius cohortis. destinauit eum ad ultimas* (*ti* supra versum) *partes ægipti Vnde* (supra *n* litteram *h* posuit m. 2. saeculi fere XIII) *hic cum non posset carere consuetis spectaculis et ludis. qui* (*i* in *e* mutavit m. 2.) *romae fiebant angore et tedio periit.* [cf. Iuvenal. ed O. Iahn a. 1851 p. 388 num. III et p. 390 num. VII med.]. *Satyra erat apud antiquos genus lancis quae in templis deorum multimodis satyra dicitur quasi satura eo quoā sacietatem multis preberet. hinc etiam eo quod crimina multorum carpat. ideo satyricus liber et satyri eo quod personis factisque saturati habundare uidentur. b Decimi dicebantur apud antiquos qui hoc*

codicum MO igitur scripturas a Buecheleri editione discrepantes integras ne orthographicis quidem omissis, quia exiguum tantum spatium requirunt, hic propono. apparet autem et librarium codicis M maxime in verbis collocandis multifariam peccavisse et in O paucas genuinae lectionis reliquias, quas ceteri non habent, feliciter servatas, utrumque vero librum cum F proxime cognatum esse:

p. 59, 15 *SENECA LUCILLOSVO SALUTEM* M (rubro), om. O| 16 *Epistola* M, *pistola* (cum spatio ante *p*) O| *questiunculas* MO| 18 *noticia* M| 19 *apud* MO| 20 *aliquid quod* MO| 20—60, 1 *diuiciis* M| 60, 1 *imponum* MO| 2 *utilitas* O| 3 *racio* M| *tāquam* M, *tanquam* O| *pie* supra lin. M m. 1.| 4 *aduitam* O| 5 *expedicionem* M| *sentenciam* M| *nos* om. MO| 7 tertium *est* om. MO| 8 *aducere* O| 9 *sepe* MO| *hoc unum dicam nihil bonum nobis* O bene, *hoc unum nihil nobis* M (*hoc unum dicam nihil nobis* ABFG, *hoc unum dicam, <bonum> nihil nobis* Buechelerus)| 10 *diuiciis* MO| 11 *urbibus* O| *ergo ad id* O, *ad id ergo* M| 13 *noticia* M| *hoc* M, *haec* O| 14 *potuid* M| *scienciae* M| *dedit, scientiam non*] *dedit non scientiam* O, *non sciencian* M| 15 *nos innocentiam* O, *nos innocenciam* M| 16 *occurrisse* MO| 16—17 *obseruatione* O, *obseruacione* M| 17 *sepe* MO| *collatione* O, *collacione* M| 18 *analogia* MO| 19 *gramatici* M| 20 *dampnandum* M| alterum *puto* om. MO| 20—21 *redeundum* MO| 21 *tam* MO| *taquam* M| *sed*]*s*, M| 21—22 *taquam* M| 24 *colligimus* O| 61, 1 *robor* M| *aliqua forcia* M, *aliquo fortia* O| 2 *cepimus* M, *caepimus* O| 3 *uicia* M| 4 *hec* M| 5 *ultra uerum* O, *uerum ultra* M| 6 *pyrri* MO| 7 *repulit* O| 7—8 *contempnere* M| 8 *pyrri* MO| 9 *pyrrum cauere* MO| 10 *Ammirati* M| 13 *aliquot* M| *inostes* M| 14 *fecerat* om. M| 15 *diuicias* M| *inquid* M| 16 *pyrre* M, *pyrre* ex *pyrro* corr. O m. 1.| 17 *horacius* M| *clocles* O| 17—18 *augustias* M|

kalendario uel nascebantur uel quamlibet dignitatem promerebantur. c Iunii dicebantur quibus eodem mense contingebat nasci. uel qui ipso mense. ad aliquem magistratum sublimabantur. uel etiam qui tunc poetari. uel aliud quodlibet opus inchoabant. — ultimum locum tenent vitae Iuvenalis quae sunt in maiore O. Iahnii editione prima et septima. a qua discrepant his locis: p. 386, 3 *libertini et locupletis,* 5 *scolae,* ib. *et* om., 7 *poetamque eius militiolis tumentem,* 9 *quidem* om., ib. *ausus est,* 14 *tum,* 387, 1 *aegipti,* 2 *delictoque,* ib. *intra* om., 390, 4 *proposuit*,* 7 *uitiorum,* ib. *luxuria,* 9 *miliciæ,* ib. *adaegiptum,* 10 *eum dixerunt* (*i* expuncta et *u* supra posita), 13 *tuca merinos,* 14 verba *praefectos — tribunos* om., 15 *obtinuerat principis. cuius factione,* ib. ante *damnatus* rasura trium fere litteraram.

19 *auferetur* O| *pm̄tibus* M, *p̄toribus* O| 19—20 *reuulsa*] *molui* M, *inolui* O| 21 *periculo suo* O, *suo periculo* M| 22 *inquid* M| *legitque* MO| *pceps* M| 24 *ut saluus* O, *saluus ut* M| 62, 1 *ponte* O, *sponte* M| 2 *nobis* om. MO| *Adiiciam* O| 3 *forte uideatur* M, *fortasse uidetur* O| *mala* M| 3—4 *obtulere* MO| 4 *obtimum* M| *enituit* O (idem coni. Buechelerus), *nituit* ceteri| 5 *uicia* M, *incia* O| 8 *lucilli* O, *lucille* M| *sed*]*s;* M| 9 *ego* om. M| *neglegencia* M| 11 *distingere* M| 12 *dissidencia* M| 13 *faecerat* O| *annotare. ut quis* MO| 14 *s;* M| 17 *aduersos* superscripta *u* M a m. 1.| *amicos* ex *amicus* corr. O m. 1.| 18 *inimicos* M, *amicos* O| *publica* ex *puplica* corr. O m. 1.| *sanctae* M| *ac* M, *et* O| 19 *amministrantem* M| *deesse et in his* MO| 19—20 *toleranda — quae* om. O| 20 *pacienciam* M| *iis*] *his* M| *agenda erant prudenciam* M| 22—23 *submouentem* O, *summouentem* M| 23 *preterea* MO| 24 *s;* M| 25 *facere posset*] *faceret* M, *facere non posset* O| *s;* M| 63, 2 *diuidimus* M| *cōprimi* M| 3 *comphendimus temperanciam* M| 4 *prudentiam iustitiam* O, *iusticiam prudendenciam* M| *et suum* O, *suumque* M| 5 *quo* om. O| *uirtutem intelleximus* O, *intelleximus uirtutem* M| 6 *illam* M, *eam* O| *constancia* M| 7 *accionum* M| *consorcia* M, *consortia* O| 8 *saecundo* O, *scdō* (id est *secundo*) M| *diffluens* M| 10 *nunquam* M| 11 *accedencia* M| 12 *uniuersis* MO| *uelud* M| 14 *casui* ex *tasui* radendo factum M| *s;* M| 15 *inquit est* MO| *asperum est* om. M| 16 *habemus* MO| 16—17 *aparuit* O| 17 (utroque loco) *nūquam* M| 18 *fecit* om. MO| *intellectus* O| 19 *auertitque* O| post *animos* subscriptum est: *FINIT EPISTOLA SENECAE* in M (rubro), *FINIT EPISTOLA SENACAE* in O.

huius igitur classis quod libri integri non innotuerunt valde dolendum est.

II. codices saeculo XIV vetustiores:

porro eo quoque nomine distat epistularum librorum XIV—XX supellex critica a prioris voluminis largitate, quod librorum ante saeculum decimum quartum exaratorum multo minor est numerus. accedit quod hi tantum non omnes ex archetypis Bambergensi et Argentoratensi tam similibus fluxerunt, vix ut ullus in iis locus rectius legatur, depravati vero sint plurimi. id quod quamquam de Parisino 16711 (olim Sorbonico 1139) aut de Montepessulano scholae medicinae H 445 (olim Bulheriano E 97[74]) saeculi XIII utroque aut de Reginensi 135 saeculi XIII exeuntis vel XIV ineuntis et libros XIV 1—XIX 7 complexo pro certo dicere nolo,

[74]) dixi de hoc codice iam p. 32.

quippe quos parum accurate examinaverim, tamen affirmare licet
II. de Vaticano inter Palatinos numero 869 insignito (Fickerti II) et in moduli maximi membranis exarato, quem saeculo XII exeunti quam cum Sanctolonio, qui pauca ex eo excerpsit, XIII adscribere malo. continet, quoniam prima et ultima folia perierunt, ep. XIV 4, 9 a verbis *racionem seruire iusserunt* usque ad XX 6, 2 *bonus fiet. etiam illum.* praeterea perierunt epistulae XVI 3 pars extrema et tredecim proximae. quamquam autem hic codex multis vitiis et interpolationibus recentiorum liber est et haud paucas librorum A B scripturas confirmat, tamen, cum neglegenter exaratus sit, plurima corrupta habet, quae in illis recte leguntur. deinde multa olim recte scripta aut ipsa prima manus aut duae illae corruperunt, quibus codex saeculo XII exeunte correctus est. ex quibus cum egregie perspiciatur quomodo recentiorum librorum menda orta sint, et horum et aliorum vitiorum exempla proponam: XV 3, 16 *retorridi* vocem minus usitatam eadem manus quae scripserat in *retorti* mutavit, quod et ipsum in codicibus recentioribus G R reperitur. — ib. § 31 *paulatim* legitur in II et in multis recentioribus pro *paludati* et paulo infra (33) *honestatis* pro *honesti,* quod receperunt G P_1 P_3 P_4. — ib. 68 qui affertur Vergilii Georgicorum versus III 81 non integer *luxuriatque toris animosum pectus* in II aliisque vocabulo *anhelum* expletur similiterque XIX 6, 5 eiusdem poetae versus (Aen. I 328) his verbis: *o dea certe.* — XVI 3, 6 locus in B lacunosus *in aequo est autem amissae rei et timor amittendae* in II aliisque ita corrigitur, ut *amissio* scribatur. contra praeter levicula quaedam et quae a librariis excogitari potuisse concedo (velut XX 5, 8 II habet *in textis domuum,* B *in t. domum*) una tantum scriptura videtur servata esse quae in B non extet, sed propius ad id, quod Seneca scripsisse videtur, accedat: XV 3, 51 *praecipiemus* (homini), *ut naufrago manum porrigat, erranti uiam monstret, cum esuriente panem suum dividat. quando omnia quae praestanda ac vitanda sunt dicam, cum possim breviter hanc illi formulam humani officii tradere: – – – – membra sumus corporis magni?* in II inter voces *vitanda sunt* et *dicam* verbum *curauerit* inserendum esse manus prima significavit factumque hoc est in libris recentioribus non paucis. quam librarii alicuius interpolationem esse nemo putabit. itaque Haasius, cum intellexisset non apte verba *quando — dicam* cum proximis coniungi, illa lectione usus post verbum *dicam* haec

inseruit: *cur autem dicam?* sagaciter igitur perspexit in verbo *curauerit* latere *cur autem* — compendiis scripta haec vix differunt —, sed vituperandus est, quod nimis verbosam Senecae orationem effecit. at vide num facilius illius lectionis origo ita explicetur, ut *cur autem* tamquam varia lectio olim ad *quando* pertinuerit et falso loco posita sit. apparet autem eam alteri scripturae longe praestare. scripserim igitur: *panem suum dividat. cur autem omnia quae – – – vitanda sunt dicam, cum* etc.?

III. codices saeculo XIII recentiores:

quoniam igitur de libris saeculo decimo quarto vetustioribus, quorum quidem paulo accuratiorem notitiam habemus, fere desperandum est, circumspiciamus num quid auxilii ex recentioribus peti possit. quos cum iam Haasius (praef. p. IX) parvi fecisset, sed, quia accuratiore codicum A B cognitione destituebatur, crebro ad illorum scripturas confugere coactus esset, Iulius Bartschius in *Musei Rhenani* volumine XXIV (1869) p. 271 sq. codicum A et B memoria a Buechelero enotata usus quaecumque novicii illi praeberent nullius pretii esse ostendere conatus est. qui quamquam sagaciter et feliciter de singulis quibusdam locis commentatus est, vereor ne interpolationibus, quibus illi libri aeque atque ceteri saeculi decimi quarti et quinti scatent, adductus bona quae servaverunt calidius quam verius aspernatus sit. praesto enim sunt quaedam adminicula, quibus innisis sperare nobis liceat fore ut etiam iis, qui maxima acuminis et eruditionis librariorum et correctorum admiratione tenentur, persuadeamus aliquot codices recentiores ex fonte ab eo, ex quo A B derivati sunt, diverso fluxisse. XVIII 4, 11 fugit omnes qui Senecam ediderunt Cleanthis versus notissimos qui leguntur in Epicteti enchiridio (52) a Seneca in sermonem Latinum conversos his verbis ab Augustino de civit. dei V 8 afferri: *Annaei Senecae sunt, nisi fallor, hi versus.* discrepant autem a codice B ita, ut primo versu pro his: *duc, o parens, celsique dominator poli,* legantur: *duc, summe pater, altique dominator poli.* cum autem facile intellegatur Senecae, quamvis libere, ut solet, in interpretando versatus sit, verba ἄγε δὴ σύ μ', ὦ Ζεῦ, Latinis *duc, o parens,* exprimere non licuisse, Augustiniana lectio utique praeferenda est. iam vero valde memorabile est quod in codicibus R Z β ε λ ο π σ φ χ P_2 P_3, quorum nullus saeculum decimum quartum excedit, legitur: *duc me, summe parens, celsique d. p.* quam

scripturam ex libris de civitate dei petitam esse numquam credam. an credibile est hominem ullum illius aetatis eruditum, qui loci Augustiniani postea ab omnibus editoribus neglecti meminisset, non plura inde quam quae in R ceterisque sunt petere voluisse?

accedunt alia argumenta. casu quodam in codice p duo folia saeculo decimo — id quod testis oculatus affirmo — tribuenda insunt, quae epistulas XX 4, 13 usque ad finem et proximam integram continent[75]). horum aliae scripturae eaedem sunt atque in B (velut XX 4, 24 *illa natura* pro *illis natura*; ib. ante *nulla res* uterque liber praepositionem *in* habet; 5, 4 *timor* pro *tumor*; ib. 11 *liberaligs agere* p m. 1. *liberali ġ sagere* B), aliae magis corruptae sunt quam in illo. inter eos tamen locos, quos p sanos, B depravatos habet, duo sunt, quos Bartschius, cum in recentioribus tantum libris illas scripturas inesse opinaretur, in suspicionem vocavit: XX 5, 3 Seneca helluones vituperatos quod *officia lucis noctisque perverterint* cum avibus nocturnis comparat: *et hi mortem timent, in quam se vivi condiderunt? tam infausti quam nocturnae aves sunt.* ita conformatum hunc locum exhibent A B, p vero et plurimi recentiores post *infausti* addunt *homines*. hoc Haasius recepit meritoque in Bartschii vituperationem incurrit; sed dudum Pincianus optime coniecerat *ominis,* quae emendatio a Schweighaeusero demum spreta est. quod autem Bartschius (p. 273) eam ita labefactare conatur, ut nimis verbosam illa recepta orationem reddi dicat, valde erravit. immo vocabulo *infausti* nude posito sententiae non satis fit, sed requiritur pro eo *infelices* vel *miserabiles* vel simile quid. nec vero intellegitur cur librarius ullus vocem *homines* addiderit, cur eam omiserit optime. — paulo inferius (§ 9) de iisdem illis hominibus haec dicuntur: *lucet: somni tempus est. quies est: nunc exerceamur, nunc gestemur, nunc prandeamus. iam lux propius accessit: tempus est cenae.* verba quae sunt *nunc gestemur* desunt in A B, exstant in p recentioribusque multis[76]), nisi quod in his *gestemus* legitur. malo igitur has duas voces, cum oculi eius, qui archetypum librorum A B scribebat, ab altero *nunc* ad alterum aberrassent, omissas putare quam Bartschio (l. c.) futilibus argumentis ostendere

[75]) v. Fickerti vol. I p. XXIII et Chatelain l. c. p. 102.

[76]) ne quis Chatelainii silentio adductus de codicis p scriptura dubitaret. Leopoldum Cohn adii, qui et illa verba in p extare officiose me edocuit et de aliis quibusdam codicibus Parisinis interrogantem me certiorem fecit.

conato eas ex dissimili et satis remoto eiusdem epistulae loco (§ 15) insertas esse fidem habere.

sed extant alii nec pauci loci, quibus libri recentiores meliora quam B et A (quamquam huius lectiones non omnes innotuerunt) ita praebeant, ut in interpolationis suspicionem incurrere non possint. e quorum numero hos eligo: XIX 1, 12 libri R P_2 P_3 Col. egregie pro eo, quod corruptum est in B aliisque *sine recto apparatu,* habent *sine regio apparatu.* — 8, 26 verba quae sunt *luctantemque post multos seculorum sensus otium* (ita B, sed penultimam vocis *otium* litteram correctam esse dicit Windhaus, *sense socium* A) *reficit,* Schweighaeuserus demum ita correxit, ut *menses otium* scriberet. idem tamen iam codex ζ habet. — XX 1, 16: *unus lapis facit fornicem, ille qui latera inclinata cuneavit* (*cenauit* B) *et interventu suo iunxit.* verbum rarissimum *cuneauit* exhibent soli γ P_2 Col., in *curuauit* mutaverunt R λ χ P_3. — 6, 16 hoc enuntiatum: *haec Graecae consuetudini data sint,* quod, cum Graecis in iis quae sequuntur Romani (*nos*) opponantur, nullo modo deesse potest, ob eundem praecedentium verborum exitum in archetypo librorum A B omissum est. neque enim ab interpolatore ullo in ceteris libris illud insertum esse ostendit color eius vere Annaeanus[77]).

scatent lacunis epistulae XIX 4 et 8. quae cum dialectici argumenti sint et conclusionibus abundent, facile fieri poterat, ut ob repetita eadem verba enuntiatorum partes aut integra enuntiata interciderent. quamquam autem concedendum est paucas quasdam earum a librario aliquo aut correctore attentiore expleri potuisse, tamen improbandum est, quod Bartschius (p. 279) dicit ad emendandos hos locos nihil aliud opus fuisse nisi, ut ea verba, quae iam ante dicta essent, repeterentur. cui enim XIX 4, 17 in mentem veniet praeter *aut irrationalia* etiam *ut ferae* addere, cum unum hoc exemplum, quod in B legitur, *ut pecora* sufficiat? — similis locus est 8, 14, ubi B verba quae sunt: *qui habet in alia quod habetur illa terra est* omisit. — 8, 10 ea quae desunt in B *siue facit illud siue patitur* in argumentatione illa non tam supervacanea esse puto quam Bartschius existimat.

[77]) tam corruptum Bartschius p. 274 hunc locum dicit, ut de eo desperandum sit, neque tamen ea re impeditur, quominus eiectis illis verbis corruptelam etiam graviorem reddat. at bene omnia se habitura esse existimo, si in iis quae praecedunt vocabulum *apte* in *aptus est* mutaverimus.

idem quod dicit Senecam 4, 20 non aliter scribere potuisse nisi *prudenter cenare bonum est* pro iis quae sint in libris recentioribus, omittantur in B: *cenare bene bonum est* negandum est. nam etsi in epistula XX 5, 12 cenarum bonarum adsectatores perstringuntur, num inde sequitur Senecam cenam bonam bonum non putavisse? immo ex dialogo de vita beata 27, 4 lautiores tantum cenas ei vituperatione dignas visas esse apparet. praeterea mirum esset, si interpolator ille unus omnium vaferrimus lacunas ita explesset, ut cur ortae essent simul intellegeretur. nam omnium fere idem est ultimum verbum atque enuntiatorum antecedentium.

praeter has lectiones in libris recentioribus non solum aliae nec paucae sunt eiusdem generis, sed multo maior earum est numerus quae, quamvis interpolatas eas non esse pro certo exploratoque dici nequeat, tamen ex fonte genuino fluxisse et ab eo quod Seneca scripsit propius quam A B abesse videantur. quamquam plures in iis a librariis foede depravatas esse non nego. quae etsi plerumque sententiarum nexu considerato et dicendi genere Annaeano diligenter observato non difficile a genuinis discernuntur, ibi maximam fraudis suspicionem movent, ubi unus tantum vel pauci eorum singularem aliquam lectionem praebent. difficillimum vero est dictu qui codices recentiores ceteris praestent. quod enim iam in libris saeculorum duodecimi et tertii decimi observavimus, ut duae aut plures recensiones diversae contaminarentur, id in his codicibus multo crebrius usu venit.

V.

De libris qui de formula honestae vitae et de remediis fortuitorum inscribuntur medio aevo in epitomas redactis.

Plura deperditorum Senecae librorum fragmenta sententiarum collectionibus medio aevo confectis quam ab aliis scriptoribus tradita sunt. idem enim ei accidit quod aliorum libris maximeque iis qui studiosissime lectitabantur, ut, cum gravissimae elegantissimaeque sententiae ex libris integris excerptae et collectae essent, perirent libri, manerent epitomae. quare medio, quod dicitur, aevo Senecae nomen his sententiarum collectionibus tantopere inclaruit, ut etiam aliae, quae ab eo profectae non essent, velut Publi-

lianae ei tribuerentur. maxime vero ad illas componendas ea res instigabat, quod Seneca more ex rhetorum disciplina repetendo continuae disputationi sententias acutas et breves tamquam lumina quaedam inserere solet. horum igitur excerptorum, quae dicimus, duo sunt genera: alterum quo servato disputationis ordine ea tantum quae minoris ponderis esse videbantur omissa sunt ita, ut pristinae libri formae imago quaedam servaretur, alterum quo nihil aliud curabatur nisi, ut sententiae illae morales per libros integros dispersae colligerentur et uno conspectu ob oculos ponerentur. ad hoc pertinent *monita Senecae* ab E. Woelfflino e bibliotheca Parisina protracta[1]), liber qui dicitur *de moribus* saepe cum Publilii sententiis, quae et ipsae in plurimis codicibus Senecae tribuuntur, coniunctus[2]), sententiae quae sunt *de pauper-*

[1]) *L. Annaei Senecae monita et eiusdem morientis extremae voces, ex codicibus Parisinis saeculi VII et IX primus ed. E. Woelfflin,* Erlangae 1878. eaedem sententiae exeunte antiquitate collectae et ad Rufum quendam missae extant in codice Vaticano reginae 1561 saeculi XIII Woelfflini P(arisino 4841) simili. quadraginta duas earum codex et ipse Reginensis numero 1424 insignitus saeculi XI servavit, quo confirmatur supplementum sententiae 174 a Woelfflino inventum. recte tamen Schwabius in Teuffelii *Historia litterarum Romanarum* quartum edita p. 651 negavit *monitorum* eam quae extaret in codicibus formam a Seneca ipso, ut Woelfflinus putat, profectam esse aut ultimam eorum partem eius *morientes extremas voces* esse a Tacito ann. XV 63 memoratas. ceterum cum libri de moribus sententiae 45—141 aliquot omissis paucis additis monitorum numeris 1—198 respondeant, earum quae praecedunt 1—44 novem tantum, quae aliunde petitae esse possunt, in collectione Parisina recurrant, suspiceris librum de moribus tunc ex ea excerptum esse, cum nondum initium eius periisset. cum quo initio praefationem coniunctam fuisse, in qua is qui libellum ad Rufum illum misit nonnulla de consilio suo dixerat et fortasse etiam nomen suum professus erat, satis est probabile. v. epilogi verba haec: *habes, mi Rufe, iam congesta praecepta, in quibus dilatandis floribus* (interpolatum videtur hoc vocabulum) *philosophia versatur.* similes sententiarum collectiones saeculo decimo in monasterio Bobiensi extitisse constat. v. G. Becker *Catalogi bibliothecarum antiqui* 32, 433 *librum I de sententiis philosophorum, in quo sunt Catonis et Theophrasti de nuptiis* (h. e. excerpta ex Hieronymi libris in Iovinianum) et ib. 476 *generalium sententiarum librum I, in quo Lucii Annaei Senecae.* add. 74, 110 *sententiae philosophiae maiores et minores.*

[2]) habemus versus Publilianos egregiis E. Woelfflini et G. Meyeri curis ita perpolitos et amplificatos, ut ne codicum quidem nondum collatorum auxilio velut Valenciennensis 393 saeculi IX—X, Guelferbytanorum 803 saeculi X et 805 saeculi XIII, Didotiani saeculi X a Th. Mommseno in *Museo Rhenano* XVIII 594 memorati (cf. Woelfflin praef. edit. Publilii p. 19). Vindo-

tate ex priore epistularum volumine excerptae, ad illud libelli de *formula honestae vitae* et *de remediis fortuitorum,* quorum ille a Martino archiepiscopo Braccarensi (mortuo anno 580) in Mironis Gothorum regis usum compositus est, hic et ipse medio aevo ineunte ad hominem aliquem potentem et litterarum amantem missus, denique excerpta e libris de beneficiis. atque de illo quidem genere optime meruerunt E. Woelfflinus, C. Schenkelius, Iac. Haasius, de hoc, cuius aliquanto peior est condicio, iam dicendum est.

excerptorum satis amplorum e libris de beneficiis exiguus tantum usus est, quia integri operis codices antiquiores

cinensis 127 saeculi XI multum ad ea emolumenti redundaturum sperare audeam. certe Baehrensius cum codices musei Britannici perlustrasset, carbones pro thesauro invenit. v. eius *Miscellanea critica* Groningae a. 1879 emissa p. 17 sq. sed plura fortasse ex veterum scriptorum de Publilio testimoniis colligere licet quam adhuc factum est. neque enim timeo, ne in opprobrium incurram Gellii verba haec (XVII 14, 3 sq.): ***Publilii sententiae feruntur pleraeque lepidae – – – ex quibus sunt istae singulis versibus conscriptae, quas libitum hercle est adscribere,*** nimis a me premi, si dixero Gellium collectione usum esse videri, quae praeter singulorum versuum sententias, quales omnes sunt nobis servatae, alias etiam comprehenderet, quae plurium essent versuum aut singulorum non integrorum, et quorum exempla ille, ne nimis magnum spatium iis impleret, afferre nollet. tales enim in Publilii mimis inesse potuisse nemo opinor negabit (cf. similes sententias pluribus versibus expressas in Senecae Herc. [fur.] 313 sq., 325 sq., Troad. 489 sq., alibi, quem Publilium sententiis similibus maxime in clausulis orationum positis imitatum esse Woelfflinus observavit praef. p. 12 et Menandri et Philistionis disticha et σύγκρισιν, quae singulorum est versuum, in *Indice lectionum Vratislaviensium aestivarum anni 1887* a G. Studemundo edita). Gellii igitur temporibus iam extabat Publilianarum sententiarum collectio, Senecae aetate nondum. ubicumque enim illas commemorat ita loquitur, tamquam ex ipsis mimis eas deprompserit. v. praesertim de tranqu. an. 11, 8: ***Publilius – – quotiens mimicas ineptias et verba ad summam caveam spectantia reliquit, inter multa alia – – – et hoc ait,*** et epist. mor. I 8, 8: ***quantum disertissimorum versuum inter mimos iacet. quam multa Publilii non excalceatis sed cothurnatis dicenda sunt.*** praeterea aliud quid hoc ***nimio fere Senecae studio,*** quod Woelfflinus l. c. recte dixit, comprobari videtur. siquidem enim philosophus sua aetate et proximis temporibus clarissimus sententias illas pretiosissimas iacere professus erat, nonne probabile est aliquem ex plurimis scriptoribus aequalibus aut ex iis, quibus eum adiutoribus studiorum suorum usum esse Quintiliani testimonio scimus, versuum illorum colligendorum provinciam suscepisse? prope igitur mihi convenit, quod ad aetatem attinet, cum Woelfflino qui saeculo p. Ch. n. primo collectionem institutam esse arbitratur (p. 13). ceterum Senecae temporibus sententias morales pueris ediscendas dari solitas esse scimus ex eius ep. IV 4, 7.

suppetunt et is qui illa composuit codicem eiusdem ordinis, ad quem N et R (v. caput II) pertinent, adhibuit. neque enim ullum vidi eorum librum ante saeculum duodecimum exaratum, quamquam, ut fit, saepius quam libri integri descripta sunt. ceterum monendum est plurimos librorum de beneficiis codices, qui in bibliothecarum catalogis commemorentur, excerpta tantum continere.

multo pluris libelli de formula honestae vitae et de remediis fortuitorum faciendi sunt. qui cum diu tamquam subditicii iacuissent, a F. Haasio merito in lucem protracti sunt. certissimis enim argumentis comprobavit (edit. vol. III p. XVI) hunc ex pleniore Senecae dialogo (v. *Hermes* XVII 369 et quae sub finem huius capitis exposui), quo Tertullianus[3]) usus esset et is, qui sententias *de moribus* inscriptas compilasset, excerptum esse, illum, de quo num Annaeana contineret dubitasse videtur (v. p. XXI), saltem dignum putavit quem editioni suae operum Senecae adiungeret. verum tamen hunc quoque ex libro aliquo Annaeano consarcinatum esse propter dicendi genus et praefationis a Martino adiectae haec verba: *libellum hunc nulla sophismatum ostentatione politum, sed planitie purae simplicitatis excerptum* verisimillimum est. sed quo hic Senecae scripto usus sit, utrum libris *de officiis*, quam suspicionem Weidnerus iecit in editione libelli Magdeburgi anno 1872 emissa (p. 1), an *exhortationibus*, an alio quopiam pro certo dici vix umquam poterit. maxime tamen, quamquam fragmentorum a Lactantio servatorum nullum in eo reperitur, eo inclino, ut ex *exhortationibus* (v. quae de his dixi *Hermae* vol. XVII p. 370 adnot. 5) illum excerptum esse existimem. nihil enim fere nisi exhortationes breviter et eleganter expressas totus libellus continet, quarum forma genuina plerumque servata videtur. licet enim Martinus plura quam is, qui dialogum *de remediis fortuitorum* in epitomen coegit, de suo addiderit (v. caput 1 totum; 5, 6; 10 totum) pluraque apud eum generis dicendi medii aevi vestigia inveniantur quam in illo (2, 1; 8; 4, 7; 11; 7, 1; 2; 9, 1), tamen neque dispositionem libri Annaeani mutasse videtur neque sententiarum principalium formam. — codices manu scripti libelli

[3]) quod Tertullianus apologet. 50 de *Seneca in fortuitis* loquitur, vix quamquam adducet, ut eam quae nunc est libelli inscriptionem adulterinam putet. nam quarum ibidem mentio fit Ciceronis disputationum Tusculanarum, eae similiter *Cicero in Tusculanis* appellantur.

multum lectitati extant plurimi. vetustissimus autem, quod sciam, et optimus est Monacensis 144 saeculi noni a Weidnero adhibitus (A), ad quem prope accedunt Monacensis 14738 ab eodem collatus (B) et Parisinus (bibl. nat.) 2772 (P) saeculi decimi uterque. praeter hunc contuli et aetate et pretio inferiores Mutinensem Atestinum V C 11 saeculi XIII (M) et Vaticanum Reginae 1440 saeculi XIII (R). quorum scripturas ab oratione, qualem Haasius constituit, discrepantes, cum aliquid ad verba emendanda conferant neque nimis magnum spatium impleant, hic subicere placuit[4]). praemoneo autem in iis afferendis ea me ratione uti, ut ex P etiam orthographica praeter litterarum *e, ae, oe* et *t, c* confusiones excerpam, ex R et M non item.

p. **468**, 8 *Gloriosissimo — episcopus* om. P, sed habet: *INCIPIT PROLOGUS*, titulum et praefationem om. R, *Incipit libellus Martini episcopi ad mironem Regem de uirtutibus i. e. Prudentia. fortitudine. Temperantia. Iustitia* M 9 *Martinus humilis episcopus* M 11 *tui animi* P 12 *eaque — requirere* om. P 14 *admoneri* P 15 *conlationis* P, quod in *collationis* m. 2. saeculi XI mut. 16 *aut exhortationis alicuius* om. P *et* (in *aut* mutavit m. 2.) *si qualiacumque* (*cum* in rasura quinque litterarum m. 2.) *sunt offeram dicta* P *sint afferam dictum* M 17 *hoc laudabile tuae pietatis exigat studium* P *hoc a me laud. t. p. exigat st.* M 18 *sciotamen tenuitati* P *scito tamen tenuitatis* M *a cautis inpingi* P *a cunctis inpungi* M 20 *attinguam* P *licentia* (*a* correcta ex *ae* m. 2.) *piae* P 21 *aut nostro* M 22 *obsisterem in reticendo* M *libellum hunc* (*u* correcta ex *a* m. 3. saeculi fere XI) P *sofismatum* P 23 *planiti*e* (erasa est *a*) P *exertum* P *exerptum* M 24 *auribus* (ante *r* erasa est *i* et supra posteriorem *i* parvula rasura) *obtuli recitandum* (*u* supra versum add. m. 2.) P 25 *specialiter institutioni cui* (*potestati* om.) P 26 *ministeriis* (*ii* in ras. m. 2.) P 27 *astantes* M *intellegere* M 28 *formula* uitae* P 30 *et egregiis* PM *deicolis dicta sunt patenter instruit* M 33 *lege* om. M *lege* etiam a lai*cis* P 34 *EXPLICIT PROLOGUS FORMULA** (erasa *E*) *UITAE HONESTAE* sub-

[4]) Haasii editione usum sum, quia Weidneri libellus non cuivis ad manum est et ego in conferendo illam adhibui. ceterum Weidnerus scite plerumque et prudenter codicum suorum lectionibus usus est et aliquot locos divinando emendavit. haud paucas tamen eius coniecturas Haasius in ultima librorum Senecae editione, quam ille non adhibuisse videtur, praeoccupavit.

scripsit P **469**, 1 *Quattuor uirtutis* M *sapientum* MR 2 *diffinite* R *humanus animus* PMR *comptus** P 3 *uitae* om. R 4 *contnentia* P post *iusticia* M haec habet sine dubio interpolata: *Primo sciendum est quid sit uirtus. Virtus est habitus animi. Deus naturae. ratio uitae pietas morum. cultus diuinitatis. honor hominis. meritum aeternae beatitudinis. Cuius partes sunt ut diximus quatuor. prudentia. fortitudo. temperantia. iusticia. Prudentia est scientia diuinarum et humanarum rerum. In qua intelligendum est quid cauendum sit homini uel quid faciendum. fortitudo est magna pacientia animi et perseuerantia inbonis operibus. et uictoria contra omnia genera uitiorum. Temperantia est modus totius uite. ut nequid nimis homo uel amet uel odio habeat. et cum omni diligentia temperet uarietates illius. Justitia est nobilitas animi. tribuens dignitatem unicuique rei.* 5 *adnexa* M *annexe* R 6 *benemoratum* P, in *benemorigeratum* mutavit m. 3. *faciunt* R 7 *DE PRUDENTIA* (*P* supra versum) P 8 *Quisquis ergo* PMR *sequi* (*e* ex *i* correcta m. 2.) P 9 *propenses* R 10 *sed earum* (om. *ex*) M 11 *debes quia sunt que* (*que* in *quae* mutavit m. 2.) *non uideantur bona esse et sint et sunt que* (in *quae* mutavit m. 2.) *uideantur et non sint* P *debes quae uideantur bona et non sunt et quae uideantur bona esse et sunt* R 14 *magni* (*i* in *um* mutavit m. 2.) P *precii* om. PMR 16 *amplectaris* M *rerum temporis* (*is* in *um* mutavit m. 2.) P *temporis* om. M *rerum ac temporis* R 17 *te* om. PR *aconmodes* R 18 *tempori. Ne* P, sed post *Ne* erasa est *c* 19 *semper* om. PMR 20 *stringitur* R 21 *crudelitate* M 22 *diffinias* R 23 *inexpertum* om. PMR *quod* om. R *uerissimile* M 24 *et* ante *uerum* om. R 25 *est* om. R 26 *siquid faciam mendatii* R *ueritatis* P, sed litterae *ti* erasae sunt et infra *ueri* rasura quinque fere litterarum minutarum *et* ante *crebro* om. PMR 27 *facie ueritatis* R *occulitur* PR *aliquotiens* PM *frontem tristem* R 28 *blandam* (*n* supra versum m. 2.) P *blandum* M *ostendit* (virgula supra *e* erasa *n* add. m. 2.) P *uerisimile* (*uerissimile* M) *coloratur et ut* PMR 29 *flat uel subripiat* P *conatur* PR 32 *prospicies* PM *prouidens* R 34 *expectat* PMR *nec suspicatur* PM *cuiusque facti* M 35 *cum initiaueris* M *cogitaueris* P *cogitabis* P m. 2. 36 *perseuerare te debere* P *perseueratieris debere* (om. *te*) M 38 *fallere non potest. nec fallere uult.* M *boni — fallere* om. PMR **470**, 2 *uacuas* (*c* correcta ex *g* m. 2.) P *et inutiles* om. PMR *uelut* om. M *recipies* PMR (hic ex correctione eiusdem manus, quae primum scripserat *recipias*) 3 *oblectaris* P 4 *tua* om. R *stabilis et certa sit* P 5 *siue quaerat siue*

contempletur PR *siue contempletur* om. M| *non recedat a uero* PMR| 7 *moueat* R| 8 *similiter enim reprehensibilis est nimia* (om. *nam*) R *nam similiter reprehensibilis est nimia* M *nam similiter est reprehensibilis est nimia* P| 9 *quam* (in *quem admo dum* mutavit m. 3.) *inmoderata uituperatio* P *ut inmoderata uituperatio* R| 13 *futura prouide* PR| 14 *qui — appellatur* om. PMR[5])| 15 *nihil* P *nichil* M| *uitam perdidit* R| 16 *nihil* P *nichil* MR| *incedit* P| 17 *tuo* om. P (recte ut videtur)| *et mala futura et bona* PMR[6])| 18 *moderare* M| 19 *dato sed* om. R, sed in marg. add. *dato* eadem m. *dato. Et* P (optime)| *ipsa plena sit* PM *ipsa bona plena sit* R| 20 *plena* om. PMR| *prudens enim* R| 21 *otio marcet* PM (*rc* correctae ex *n* m. 2.) R *animum aliquando* P| 22 *accederat tarda* MR *perplexa* (*per* inseruit m. 2.) P| *expebit ardua exacquat dura mollit* M (om. *aspera tentat*)| 23 *aspera tentat* om. P *aspera temptat* R| *quid* om. M| 24 *adgredi* P| *scito* R| *et distincte* PR *ac districte* M *consilia impit orum* M *consilium pitorum* R[7])| 25 *obscura existimat* MR| 26 *ex partibus tota* om. M| 27 *necquis* (*c* supra versum m. 2.) P| *dicat interdico neque* R| 28 *sed quibus* R| *pla* (finis versus) *placeas* M| *id quere* PMR| *potes inuenire* R| 29 *iueniri addisce* M| *quod poest sciri* P *quod potes discere* R| *opta* (*p* in *b* mutavit m. 2.) P| *quod optari coram bonis potest* P *quod coram omnibus optari potest* M *quod coram bonis optari potest* R| 30 *ne altiori* R| *te rei* P (*r* in rasura duarum litterarum) M| *inponas* P| 31 *cadedum sit* P *cadendum est* R| *consilia salutaria* (om. *tibi*) R| 32 *alludat* P| 33 *ac sistes* om. M *dabit* R| 35 *De forti tu di ne* M| 36 *et fortitudine* M| *si in* (finis versus) *insit* R| 38 *humani animi bonum* PM *animi humani bonum* R| *non retinere* R, sed in margine manu saeculi XIV vel etiam recentiore *timere*| **471, 1** *finem huius uirae* M, *intrepidus* P (correctum m. 2. ex *inteedus*) R| *expectare* PMR| *nil — despiciens* om. PMR| 3 *magna nimis* P| *tibi contumeliam* PMR| 5 *tua uideris* PMR| 6 *uindicare potuisse* PMR| *Scio enim* P| *honestum et maius* P *honestum et magnum* R| 7 *esse genus* PMR| 8 *egredere* P (primam *e* in *a* mutavit m. 2.) MR[8])| *Neminem non geres* M| 9 *inbecillum* PMR| *faciunt*] *decent* M| 10 *magna nimis* P| *non appetas* MR| 12 *con-*

[5]) sine dubio hic est lacuna, quam indicare debebat Weidnerus. intercidit enim enuntiatum a *qui* incipiens, cuius pars prior vulgo bene suppleri videtur.

[6]) *futura* iniuria delevit Weidnerus.

[7]) merito haec verba seclusit Haasius.

[8]) legendum videtur: *congredere.*

scientia mala M| *mensura — audacem* om. PMR| 14 *De continentia* om. R| 15 *et inarex desi desideria* P| *desideria tua* om. R| 17 *expectat* P| *continens* (*con* ineunte versu omissum add. m. 2.) P| 18 *eo* om. R| 19 *sibi ipse* P| *si — cogitat* (23) om. PMR| 23 *Inpone* P| *tuae* om. PMR| 24 *et modum* om. PMR| *omnia quae* (*omniaque* M) *blandimenta* PM| *quae — trahunt* om. PMR| 25 *Cum sobrietate bibe uita ebrietatem* M| 26 *ne in qualibet* PR| 27 *non* om. R| 28 *inaerebis* P| 29 *absen*tes* P| 30 *excitent* P *excitat* correctum m. 2. ex *excutit*, ut videtur, M| 32 *conpositum* PR| 33 *ad* om. M| *festina te* om. PR| *potes debes abducere* M *potes adduce* R| 34 *non amoene sed* om. R| *amare* M| 35 *dominum notum uelis esse* P *dominum notum uelis et a* M| *uotum adomo* R| 36 *astingas* R| *nec quod es* om. R| *quo des* P *quod es* m. 2.| *nec* ante *maius* om. PM| *magis* M| *neque maius uideri uelis quam es* R (*ne quid esse maius quam es* Weidnerus recte)| 37 *quam est* P| *magius* P| *Neque paupertas* PR| *ut ne — sit* om. M| 38 *inmunda* P (supra *i* parvula rasura) R| *sit neque* P| *uitae* om. PMR| **472, 1** *tibi* om. PMR| *leuitas* R| *iam* om. PMR| *si* om. P| 2 *exiguae sunt* PR| *sint tibi* R| *animo tuo* PMR| 4 *antequam accidant* PM *antequam ueniant* R| *quenquam* P *quamquam* R| 5 *tolerabilia* om. R, sed add. post *crede* (6)| *esse* om. PMR| 6 *quo turpibus* (post quod manus saeculi XIV haec inserenda esse in margine significavit: *corrumpunt bē*) R| 7 *inpudentiam* P| 9 *seriis* (m. 2. *ii* mutavit in *o*) P| 10 *dignationis* PR| *et uerecundie* R| 11 *si inmodicus* (om. *sit*) PM *si inmodicus est* R| *pueriliter* (*li* supra versum) P| 12 *factus* P *fractus* MR| *risus* (*i* correcta ex *u* radendo) P *usus* R| *aut malignus et furtiuus* om. M| *furtinus* R| 14 *iocos exigit* PMR *in his quoque* PM| *cum dignitates* P| *apientiae* egere* (primam *e* verbi *egere* in *ae* mutavit et *d* supra posuit m. 3. P[9])| 15 *nec grauet quisquam* PM *non grauet quicquam* R| 16 *te* om. PMR| *contempnat* P| 16 post *uilem* M add. haec: *Vir sapiens grauitate* (volebat *grauitatem*) *morum. hilaritatem* (immo *hilaritate*) *uultus temperat.* quae interpolata puto| *s*currilis* M| 17 *sine in utilitate* R| 18 *carhinno* M| *incensus* R| 19 *Qui es tibi non desidia erit* P *Quies tibi non disidia erit* M *Qui es tibi erit sine desidia* R| 20 *tractaueris* PR| *adulationem deuita* M| 21 *triste si* (*i* in *si* add. m. 2.) *laudaris* (*s* add. m. 2.) P| *quam ut lauderis* R| 23 *de te existimationes malas ueram* PM *dete exti-*

[9]) commendatur hac lectione Weidneri emendatio: *in his quoque cum sapientia te gere.*

mationes prauas ueram R| *tibi laudationem* R| 24 *adscribe* P| *continentiae opus est* PMR| 25 *adulatorum* R *multorum* om. PMR| 26 *uoluptate*$_*$ P 27 *nec hunc promerendi ad te aditum aliis pandas* M| *ad* om. P| *gratiam* om. PR| *promerendi* P| 28 *per hanc aliis* om. PM| *aliis ad te* om. R| *aditum aliis pandas* PM| 29 *te* om. R| *grauitates eruata* P| 30 *amnoneberis* M *amouebis* R| *sapienter* M| *merito te obiurgabit* P *merito obiurgabit* (om. *te*) MR| 31 *tibi* om. PMR| *inmerito* PM| 32 *meliora — odientis* om. PMR| 33 *acerbas ed* P *acerba sed* m. 2., ut videtur| *uerba* om. M| 34 *fugax ipse ipse* R| *aliorum* PR| *nec curiosus* R 35 *scrutator* (*o* ex *u* correcta m. 2.) P *acerbus* (correctum ex *acerbius* m. 2.) P| *sed* om. M *sed non exprobratione* R| *exprobratione* (posterior *r* supra versum m. 3.) P| *praeuenias* (posterior *a* correcta ex *o* m. 2.) P| 36 *correptor* M| 37 *et* ante *errori* om. R| *terrori fatile ueniam* P *errori facile ueniam* MR| *quamquam* R *nec detuas* P *nec deicias* MR| 38 *dicenti esto* R| *auditorum promptus receptor* om. PMR **473**, 1 *contemnenti* P *contempnenti* R| *nec in iurgia* PM| *excertationesque* P| *nec in disceptationes* M *excitationes* (om. *que*) R| 3 *discedas* P *discedes* R 4 *ne in dedecori* R *Nec* (*e* correcta ex *a*) *ideo* P 5 *nemo uiderat* R| *cum ipse illos uideas* PM| *uideras* R| 7 *sententiam habere te* R| *nec ignotum sit* PMR| *morlestum* (*r* crasa) R 8 *facies* P| *si inferiores* PM| *non superbiendo* R| *superbiores* R| 9 *non timeas* PMR| 10 *neglegus* P *neglegas* M| 12 *Senior esto* R *Uitum quam uult* P *uita quasi cultu* R| *ultor clemens* P (*cl* in *d* mutavit m. 3.) M *clementie cultor* R| 15 *potius malignis* P| 16 *subripiunt* P *surripiunt* M *surrepserint* R| *oppositissimus* (prior syllaba *si* supra versum) M| 20 *perditus es* P| *inprudentiam* P| 21 *ipse sis loquacium* M 23 *cupidus et docilis* PMR *sine* om. PM| *postulandi inperties* P| 24 *quae noscis* (*o* correcta ex *e*) P| *ignorancie postula tibi* R| 25 *inpertiri* P| *non conturbabit — conuertet* om. PMR| 27 *De iustitia* om. P| 28 *Iustitiae post* P *Iusticie post* R| *hec opus est* R| *Quidē autem* P| 29 *in adiutorio* M 30 *iustitia — dignitatem* om. PMR 32 *constitutio, sed diuina lex et uinculum* P *constitutio? Sed est* (*seu* M) *diuina lex et uinculum* MR[10])| 33 *quod* (*q* correcta ex *e*) *extimemus* P| 34 *enim* om. MR| *illa* om. R| *quidquid illa* P *hanc* om. R| 35 *tunc prius* R| *time prius deum. et ama deum* PM| *deum* om. R *ut ameris*

[10]) verba quae sunt *Sed est diuina lex et uinculum societatis humanae.* iam ex sola particula *sed* interpolatoris alicuius additamentum esse patet, id quod Weidnerus non intellexit.

adeo MR| 37 *iustum uirum* PM| 38 *te* post *sequentur* om. PR| *iustus* (posterior *s* ex *m*, ut videtur, correcta) P| **474**, 1 *prohibeas* M 3 *est* post *alieni* om. M[11])| 4 *peruehere ut etia* (*ut etia* in ras.) *aliis ablata* P *proucharis et ablata aliis* R| 5 *nealiis timidi* R| *sint* corr. ex *sunt* P| *cohibe* (*co* ex *pro* corr. m. 2.) P| 6 *nectas* PM| *specularis* R 7 *Nihil uel inter sit* R| *an firmes* PMR 8 *tractatur* (*ta* supra versum) P| *nam si iure iurando* R 9 *in* ante *iureiurando* om. M| *iureiurendo* P| *non* post *deus* om. R *etiam non inuocanti* P *et non inuocanti* R 10 *testis sit* R| *transies — iustitiae* om. M *neque iusticie* R| 11 *Quod et si* PM *coarteris* P *coartaris* M *contigerit* R| *fructum* om. PMR| 13 *mendatio fidelitatem* R| *redime* P *redimere* R| *et non mentieris* post *excusabis* (14) posita iusto loco reposuit M| 14 *ut honesta* R| *ut honestus tuus secreta* M| *intro secreta* R| *non* om. R 15 *prodet* M *perdit* R *atque ita apta illi pax est secura* P *atque ita alta illi pax est et secura* M *atque illi ita apta pax est secreta* R[12])| 16 post *tranquillitas* PM add. haec, *dum mali* (*alii* M) *amalis uincuntur: ab illo mala.*| 16 *haec ergo — securus* (19) om. M| 17 *expectans* P| 18 *prospiciens haec.* R| *haec* om. P| *Tristitia huius* P| 20 *de moderanda prudentia* om. PMR| 21 *hec quattuor* P| 22 *mensuram restitutionis* R| 23 *uiuendi* (*n* virgula, quae supra *e* crat, deleta supra versum add. m. 3.) P *uiuendi* om. R| ante *nam* M add. *de mensura prudentie.*| *excedet callida et pauida commiseris* R 24 *et pauendi* PM| 25 *qualiumcumque* P| *notaberis timidus* R| *et contemptus* om. PMR| 27 *semper aliquid dubitans* om. PMR| 28 *quaerens aliquid semper* R| *conuincens* (priorem *n* virgula, quae supra *o* erat, deleta add. m. 3.) P| *ad deprehensionem* PR *ad prehensionem* M| *inpingas* P| *pingas* (om. *alicuius in-*) *adnisui* R| *admissi* (posterior *s* supra versum) P| 30 *notaberis digito* M[13])| 31 *uersi pellis* PM| 32 *commentatorque* PM *contemptorque* R[14])| 33 *a cunctis malus homo uocaberis* PM

[11]) *sed* (*et* codd.) *ad maiora*, quod Weidnerus ex coniectura sua recepit, dummodo dictinctio post *auferas* deleatur, necessarium non est.

[12]) *et* ante *secura* addere non debebat Weidnerus. praeterea recipiendum est sine dubio *alta*, quod extat etiam in B.

[13]) *notaberis* BM ideo scripsisse videntur, quia etiam praecedens enuntiatum ab eodem verbo incipit. in reliquis est *monstraberis.*

[14]) cum paulo superius idem homo dicatur *investigator latentium et scrutator qualicumque noxarum*, librorum PM scripturam iis quas Haasius et Weidnerus probaverunt *commendatorque* et *contemplatorque* praestare existimo; nisi forte, quod vox illa recentioris tantum aetatis videtur esse, *commentorque* scribendum est. v. Ilias Latina 579.

a cunctis uocaberis malus homo (altera *o* correcta ex *e*) R| *in* ante *has* om. R| *maculas* (posterior *a* correcta ex *u*) *prudentia inmensurata* P| *prudentia* (*prudencia* R) *immensurata* MR| 34 *te* ante *perducet* om. PMR| 35 *obtunsum* P (*n* virgula, quae supra priorem *u* erat, deleta add. m. 3.) M *obtulum* R| *nec se aliquid nec habeat uersutum* R| *habet aliquid* M *aliquid habeat* P| 37 *DE MAGNIMITATE* P *de mensura fortitudinis* M om. R| 37 *autem* om. M| **475**, 1 *turbidum* (*r* supra versum m. 3.) P| 2 *quascumque* PMR| *excellentias* P *excellencias* MR| *dictorum atque factorum* PM| *doctorum actorum* R| 3 *festiuum* R| *super cibis subrigens* P *supercilia erigens* M *supercilia subrigens* R| 4 *et bestiarius* P *ait bestiarius* M| *alium figit* PM[15])| 6 *oppetit finem* P *optinet finem* M| 7 *derelinquit* (priorem *e* evanidam redintegravit m. 2.) P *delinquit* R *timidum* (posterior *i* supra versum) M| *neque audacem* R| 9 *moderanda* om. P| *demensura continentie* M om. R| 10 *deinde in his* M| *terminis te adstringat* PR (*astringat* R)| 11 *neparcus* P *nepercusor* P m. 3. *ne partus* R| *ne in minimis* PM *ne minimis* R| 12 *quoque speculum* P *quos speculum* MR (*calculum* bene Haasius)| *talis et circuncisa* (om. *tam*) R| 13 *putebit* PMR| *mediocritatum* P| 14 *prodigus et luxuriosus* PR| 15 *tenacitate sordeas.* M (sequentibus omissis)| 16 *subsistas* R| 17 *moderanda* om. P *Demensura iustitie* M om. R| 18 *tibi itinere* P *itinere tibi* R| 19 *ductu* (supra priorem *u* m. 3. *i* posuit) P| *iugiter leni* PM| *inmotam* M| *semper ārationem* M| *neglegentia* PM *negligenciam* R| 20 *subsequitur* R| *dum neque* PR| 21 *geres* P *geris* (*i* in *e* mutavit m. 2.?) M| 21 *inludentibus proterue* P| 23 *permittas* (in *permittes* mutavit m. 2.) M| *rigiditatis et asperitatis* P *rigiditate et asperitate* R *rigiditatis — ueniae aut* om. M| 24 *benignitati reseruans* P *benignitatem resecans* M| *sotietati* (supra priorem *t* posita est *c*) P| 25 *ergo amabilis iustitiae* PM| 26 *disciplinæ* (infra *æ* posita est virgula, qua diphthongus significatur) *eius* P| *neglegentiae communitate dispecta* P| 27 *neque seueriori atrocitate* PM| *neque seueriori* (loco vocabuli *atrocitate* lacuna octo litterarum) R| 28 post *amittat* P haec addit: *aguntur. Ita et cognoscuntur abomnibus,* quae aliena videntur esse| 29 *conclusio* om. PMR| 30 *ad utilitatem uitam suam* R| *tantum probam* R| 31 *ascissi* M| 33 *eo medietatis* PMR| *tramite — summitatis* om. PR| 34 *uelut in quodam* M| *insistens* R| 35 *per*

[15]) paulo infra (5) Senecam scripsisse puto *pugnator,* non *impugnator,* quod est infimae Latinitatis.

abruta P| *ruentem* om. R| 36 *contempnat ignauiam* P *puniat ignauiam* R| 37 *Explicit* subscripsit M.

huius igitur opusculi editionem ad codicum normam exactam habemus, multo peior est libelli de remediis fortuitorum condicio. quem, cum Haasius nisi libris saeculo XIV recentioribus usus non sit, operae pretium videtur esse ad vetustiores emendatum hic proponere. *additiones* vero in Haasii editione ex codice manu scripto Vratislaviensi (bibl. univers.) IV Q 66 cartaceo saeculi XV et ex editione Lipsiensi anni 1495 adiectas omnino abieci. quas cum ille iam in praefatione editionis (vol. III p. XVII) *a Petrarca aliquo vel uno ex iis, qui saeculo XIV aut XV fuissent doctissimi,* profectas esse dixisset, postea ex eius libro *de remediis utriusque fortunae,* quem iam diligentius pertractaverat, sparsim decerptas esse perspexit (v. *Index lectionum hieme a. 1859 Vratislaviae habendarum* p. 6[16]). codices igitur, quibus ad recensendum opusculum usus sum, hi sunt:

S Salmasianus anthologiae Latinae, nunc Parisinus (bibl. nat.) 10318 saeculi VII
V Vindobonensis I 202 saeculi XII
P Vaticanus Palatinus 1548 saeculi XIII
R Vaticanus Reginae 1544 saeculi XIII v. p. 67 sq.[17])
C codicum SVPR consensus.

horum ex satis magno, quibus hic libellus traditus est, codicum numero selectorum longe optimus est S, cuius integram lectionum discrepantiam ne orthographicis quidem omissis proposui. insunt tamen in hoc quoque quaedam menda, ad quae tollenda auxilium ferunt V[18]), qui prope ad S accedit, et PR ita inter se cognati,

[16]) Petrarcae ipsius *additiones* esse scriptionis Haasianae, ut videtur, ignarus etiam A. Hortis in *Archaeographo Triestino N. S.* VI 267 fusius demonstravit. v. Teuffel-Schwabe H. L. R. ed. 4 p. 647. — omisi in adnotationibus personarum notas (*Sensus* et *Ratio, Seneca* et *Nero*), quas invitante ipsius libri ratione et praeeunte Hildeberto librarii codicum saeculi XIV et XV addiderunt. praeter Petrarcam Adrianus quidam Carthusiensis *de remediis utriusque fortunae* librum composuit, quem Fabricius (*Bibl. Lat. med. et inf. aetatis ed. Mansi* III 168) s. l. e. a. circa annum 1410 typis expressum esse dicit et cuius cod. ms. memoratur a Sandero in *Bibliotheca Belgica* II 53.

[17]) prorsus fere cum hoc congruit Leidensis supplem. 459 saeculi XII, de quo dictum est p. 48 et 50sq. praeterea ad similem atque PR familiam pertinet Vaticanus Reginae 84 saeculi XIII, sed multo magis est corruptus. itaque duas tantum modo eius scripturas commemoravi.

[18]) huius libri praeter collationem, quam ipse confeci, altera uti licuit

ut aliquotiens scripturas ab iis quas SV habent discrepantes praebeant. ex medii aevi scriptoribus qui libello usi sunt optimum quendam librum et S fere similem adhibuit Hildebertus Cenomanensis (**Hild.**) in *moralis philosophiae* capite quinto, quod est est de fortitudine (p. 976 sq. editionis Beaugendrii); deinde sententias nonnullas excerpsit Vincentius Bellovacensis (**Vinc.**) in *speculo historiarum* VIII 109 (vol. V p. 311 edit. Duacensis a. 1624), sed ita ut nihil iis prosit; denique Iacobus Magni in *sophilogio* passim quaedam memorat, sed tam neglegenter ut eius scripturis apparatum onerare noluerim. vulgatam lectionem (**vg.**) dixi editionem Haasii anno 1872 emissam. ante hunc ex tot Senecae editoribus unus Pincianus in libello corrigendo strenue elaboravit.

ab I. M. Stowassero, qua est erga me officiosa voluntate, instituta. capitum titulos quos V habet: *de morte, de decollatione, de morte in peregrinatione* non attuli.

LVCI ANNAEI SENECAE

AD GALLIONEM FRATREM DE REMEDIIS FORTVITORUM

Luci Annaei Senecae

ad Gallionem fratrem de remediis fortuitorum.

I. Licet cunctorum poetarum carmina gremium vestrum semper inlustrent, aliquando deliberans hoc tibi opusculum pro accidentibus casibus dirigere curavi, quod non praecedentes sed posteri narrabunt.

2 unde ergo primum incipimus? si tibi videtur, a morte. 'ab ultimo?' inquis, immo a maximo. ad hoc praecipue gens humana contremit, nec inmerito videtur sibi hoc facere: ceteri timores
3 habent aliquem post se locum, mors omnia abscidit: alia nos torquent, mors omnia devorat. omnium quae horremus ad hanc exitus spectat, aliorum recta invadentium, aliorum per circuitum. etiam qui nil aliud se timere iudicant hoc timent. quidquid aliud extimescimus habet aut remedium aut solatium. sic ergo te forma ut, si quis palam tibi mortem minetur, omnes terriculas eius eludas.

II. 'morieris'. ista hominis natura est, non poena.
'morieris'. hac condicione intravi ut exirem.
'morieris'. gentium lex est quod acceperis reddere.

---

1 INCIP·: LVCIANEI · SENICE · MONITA *S* Lucij Annei senece ad gaulionem de remediis infort***** (*erasum ut videtur* unsii) LIBER INCIPIT *V* lucii anei senece ad gallionem de remediis fortuitorum liber incipit *P* *nullam inscriptionem habet R* L. Annaei Senecae ad Gallionem de remediis fortuitorum liber *vg.*| 3 XIII Licit *S* *icet *V*| poaeturum *S*| gremium tuum *R vg.*| 4 illustrent *VPR*| opusculo *S*| 5 casius diligere curaubi *S*| precedentes *S*| 6 curabunt *exemplaria quaedam Pinciani*| 7 incipiemus *quidam codd. Pinciani*| si (i *in rasura*) *P*| incipiamus tibi videtur *V* (si *om.*)| ad ultimo *S*| 8 praecipuae *S*| genus humanum *P*| 9 contremuit *SPR fortasse recte*| videtur sibi hoc facere *seclusit Haasius* sibi uidetur *V*| siui *S*| cetera enim habent *V* (*om.* timores)| ceteri enim timores habent *vg.*| 10 abscindit *vg.*| 11 torquet *SP*| deueuorat *S* (*syllaba* ue *del.*)| omniumque oremus *S*| 12 expectat *SVR* exspectat (s *supra vers. m. 2. saeculi XIII,* ct *in ras.*) *P*| recta invadentium aliorum *inseruit Haasii est supplementum non prorsus certum*| 13 qui nil aliud se *scripsi*: qui aliud se *SR* qui alium (um *in ras.*) *P* quid aliud *V* qui aliud se non *Haasius* qui alioqui se nihil *Lipsius*| hoc non timent *C* (hoc *supra vers. V*)| 14 extimiscimus habent aut *S* extimescimus habent aut *P* extimescimus habent autem *R*| *ante* sic *Haasius add.*: hoc unum sine remedio est. hoc unum et respuit solatium| 15 siquis tibi palam mortem *Vvg.* siquis mortem palam tibi *P* siquis mortem palam *R*| 16 deludas *Vvg*| 17, 18, 19, *p.* 100, 1 murieris *S* (*corr. m. 2. eiusdem aetatis*)| istud *R*| ista est natura *Hild.*| natura non pena est *VP*| pęna *S* (na *in ras.*)| 18 hanc conditionem *S*|

'morieris'. peregrinatio est vita: cum multum ambulaveris 2
[diu], redeundum est.

'morieris'. putabam te aliquid novi dicere: ad hoc veni, hoc ago, huc me singuli dies ducunt. nascenti mihi protinus natura posuit hunc terminum. quid habeo quod indigner? in haec verba iuravi.

'morieris'. stultum est timere quod vitare non possis. istud 3
non effugit etiam qui distulit.

'morieris'. nec primus nec ultimus: omnes antecesserunt, omnes secuntur.

'morieris'. hic est humani officii finis. quis sanus ex- 4
auctorari moleste tulit? quid? ego nescio me esse animal [rationale] mortale?

'morieris'. ad hanc condicionem cuncta gignuntur: quod coepit et desinet.

'morieris'. nihil grave est quod semel est. aes alienum 5
meum novi: equidem cum eo creditore contraxi cui dequoquere non possum.

---

1 perigrinatio *S*| ambolaueris *S* deambulaueris *vet. lect. Pinciani*| 2 diu *om. Hild.* diuque *PR* (*in R ante hanc vocem insertum est folium quod epistulae 84 in hoc codice praecedentis partem continet*) demum *Vat. Reginae 84* domum *vg.* 3 Morieris (Mo *in ras.*) *P*| potabant (o *in* u mut. m. 2.) *S*| diceres *S* dicere te *P*| 4 ducunt (du *in ras.*) *P*| 5 abeo quod indignet *S*| in *ante* haec *in C omissum add. Lipsius*| 6 iuvaui *V*| 7 stultum — possis *Publilii versum esse Erasmus suspicatus* vitari non potest *scripsit* quod non possis uitare *Hild.*| 8 quid is tullit; *S*| 9 omnes me antecesserunt *VPR Hild.* multi me antecesserunt *vg.*| 10 et omnes secuntur *P*| sequentur *V vg.*| 11 *verba* morieris — desinet (*v. 15*) *vg. ponuntur post* inmortalis potest (*p. 101, 2*)| hinc est homani officii fines quisanus exauturari *S*| hoc est *P*| exauctorari *VP* exactori *R* exactorem *vg.*| 12 *ante* quid? *vg. legebatur* morieris, *quod seclusit Haasius*| ego me nescio esse *V*| animal (l *supra vers.*) *S*| 13 rationale *seclusi*| rationale et mortale? cum rationali est et mortale. *vg.*| 14 cuncta (c *supra vers.*) *S*| 15 caepit *S*| desinet *S Hild.*: desinit *VPR vg.*| *post* desinit *vg. inseruntur haec:* quo transit orbis ego transibo| 16 est *post* grave *del. Haasius*| semel est. aes *vg.*: semel es *SR* semel est (*corr. ex* es) *P* si mules *V*| 17 *ante* equidem *vg. inseritur* hoc| de quo querere *P* detorquere *V Pinciani vet. lect.* decoquere *R vg.* dequoquere *Senecam scripsisse, quamquam in inscriptionibus urbis Romae* cocus *similiaque leguntur* (*C. I. L. VI. 8753 sq., 9261, 9263 sq.*), non solum codicis *S auctoritate comprobatur, sed* conquoquas *extat ep. I 2, 4 in p*, dequoquere *IV 7, 5 in p Pr.b* (eloquoquere *P*)| 18 possim *V*|

'morieris'. dii melius, quod nemo mihi istud minari inmortalis potest.

III. 'sed decollaberis'. quid interest caesim moriar an punctim?

'sed saepe ferieris et multi in te gladii convenient'. quid refert quam multa sint vulnera? non potest amplius quam unum esse mortiferum.

2 'peregre morieris'. undecumque ad inferos una via est.

'peregre morieris'. ego quod debeo solvere paratus sum: viderit fenerator ubi me appellet.

'peregre morieris'. nulla aliena terra mortuo est.

'peregre morieris'. non est gravior foris quam domi somnus.

'peregre morieris'. hoc est in patriam sine viatico pervenire.

IV. 'sed iuvenis morieris'. optimum est, antequam optes, mori.

'sed iuvenis morieris'. hoc unum est quod aeque ad iuvenem quam ad senem pertinet. non citamur ex censu nec exigitur numerus annorum: [et] adulescentes et inpuberes eadem fati necessitas ducit. optimum est mori, cum iuvat vivere.

2 'iuvenis moriar'. fortasse me alicui malo fortuna subducit, ut nulli alii, certe senectuti.

'iuvenis moriar'. quicumque ad extremum fati sui venit senex moritur. non enim refert quae sit hominis aetas, sed quae sit mea.

3 'iuvenis moriar'. non refert quot annos habeam, sed quot acceperim. si plus vivere non possum, haec est senectus mea.

---

1 quam nemo *P*| immortalis minari *P*, *sed transposuit eadem m.*| nisi mortalis *Pincianus*| 3 decollaueris *S*| cesum *V*| punctum *V*| 4 in te gladio *S* in gladio *V*| 5 an non potest nisi unum esse *V*| 7 pereger *S quater*| peregre — est *et* peregre — appellet, *quae inversa R habet, transposuit eadem m.*| 9 viderim *PR* videat *V*| ubi me fenerator *SPR*| appellit *S*| 10 terra aliena *vg.*| nulla — domi sompnus (*v. 11*) *omissa in margine supplevit P*| est *om. vg.*| 11 domi humus *Woltersius De epigrammatum Graecorum anthologiis, Halis 1882, sentent. controv. 10*| 12 *verba* peregre — pervenire *vg. ponuntur post* mortiferum (*v. 6*)| peregre morieris *om. P*| patria *V*| 13 obtimum *S*| ante mori quam optes *Hild.*| optimum — iuvenis morieris *om. P*| obtes *S*| 14 sed *om. vg.*| quod ad iuvenem aeque *V*| 15 ne exigitur *S*| 16 et *seclusit Haasius*| aduliscentes *S*| impubes *V*| 17 *post* vivere *vg. haec adduntur:* quae enim virtus est, cum eiciaris, exire? *quae Haasius uncis circumdedit*| 18, 20, 23 morieris *vg.*| 18 iuvenis — senectuti *om. V, vg. ponuntur post* mea (*v. 22*)| 19 ut si nulli *PR*| certe uel senectuti *SP Hild., in archetypo scriptum fuisse puto*: ut si (si *supra versum*) nulli alii, ita uel certe (uel certe *supra versum*) senectuti| 20 sui fati *V*| 21 senix *S*| 22 sit meta *S m. 2.* sit uita *V* sit inea *P*| 23 quod *S bis*| 24 uiuerim *S*| hoc *SVR*|

V. 'insepultus eris'. quid aliud huic respondeam quam Vergilianum illud: 'facilis iactura sepulcri'? si nihil sentio, non pertinet ad me iniuria corporis insepulti: si sentio, omnis sepultura tormentum est.

'insepultus iacebis'. quid interest ignis me an fera consumat an tempus, ultima omnium sepultura? istud non sentienti supervacuum est, sentienti onus. 2

'insepultus iacebis'. at tu conbustus, at tu obrutus, at tu inclusus, at tu putridus, at tu evisceratus et constrictus aut traditus lapidi qui te paulatim edat et exiccet. nulla est sepultura: non sepeliemur, sed proiciemur. 3

'non sepelieris'. quid in re tutissima trepidas? ultra poenarum omnium terminum iste locus est. vitae multa debemus, morti nihil. non defunctorum causa, sed vivorum inventa est sepultura, ut corpora et visu foeda et odore amoverentur: alios terra obruit, alios flamma consumpsit, alios lapis ad ossa redacturus includit. * * sed nostris oculis parcimus. 4

VI. 'aegroto'. venit tempus quo experimentum mei caperem. non in mari tantum aut in proelio vir fortis apparet: exhibetur etiam in lectulo virtus.

1 eris *corr. ex* erat *P* iacebis *vg.*| aliut *S*| uirgilianum *C* (*Aen. II 646*)| 2 *post* illud *P add.* etiam| sepulchris *S*| *post* sepulcri *vg. haec inseruntur ab Haasio seclusa:* facilis, inquam, sic ut nulla facilior| 3 ad me iniuria sepulcri corporis insepulti *V* ad me corporis insepulti pena *PR* ad me corporis insepulti (*om.* iniuria) *Hild.*| iactura *vg.*| insaepulti *S*| sensio *S*| sepultura ira tormentum *P*| turmentum *S*| 5 ignis me consummat an fera *V*| 6 tellus *exemplar Facundi et Primitivi a Pinciano inspectum*| omnium hominum sepultura *S* ultima omnium etiam hominum sepultura *P* ultima hominum sepultura *R*| non (*posterior* n *supra versum*) sentienti *S*| 7 sentienti honus *S* sencienti (cien *supra vers.*) honus *P*| 9 conclusus *V*| putritus *S* putris *PR*| uiceratus *P*| contritus *VP*| aud (u *in ras.*, d *supra vers.*) *P*| 10 lapidi traditus *V*| te *om. P*| aedat *S*| exiccit *S*| 11 non sepeliemur sed prohiciemur *in mg. add. P*| proiciemur (ci *supra vers.*) *S*| 12 quid ui te tutissima *V*| paenarum *S*| 13 iste omnium terminum (terminus *S*) locus *SPR*| utuidae multa *S* Vt uite multa *PR Pinciani vet. lect.*| debeamus *PR Pinciani vet. lect.*| 14 desumtorum *P*| 15 ut (u *in ras.*) corpora *S*| et uiso faeda *S* et uisu feda (a *corr. ex* o) *P* et uisu fedo *R*| cum uisu et fedo odore *V*| ammouerentur *P*| alios (s *in ras.*) terra *S*| 16 ignis consumit *Hild.*| redactus *P* (*supra* t *virgula erasa*)| inclusit *V Pinciani vet. lect. vg.*| 17 *ante* sed *vg. haec inseruntur*: sic (*hanc voculam seclusit Haasius*) non defunctis, *sed fortasse tantum* sed *mutandum est in* sic *vel* scilicet| 18 egroto *bis legitur in S* Egrotas *P corr. ex Egroto*| quod experimentum *SP* (quod *in* quo *mut.*) *R*| caperem mei *P* mei uiris caperem *V*| 19 mare *SP* (e *mutata in* i) *V*| praelio *S*| exibetur *S* exibitur *P*| 20 etiam. et in lectulo *R*|

'aegroto'. non potest istud toto saeculo fieri: aut ego febrem relinquam aut illa me. semper una esse non possumus. 2

'aegroto'. cum morbo mihi res est: aut vincetur aut vincet.

VII. 'male de te opinantur homines'. sed mali: moverer, si de me Marcus Cato, si Laelius sapiens, si alter Cato, si Scipiones duo ista loquerentur: nunc malis displicere laudari est. non potest ullam auctoritatem habere sententia, ubi qui damnat damnandus est.

'male de te locuntur'. moverer, si hoc iudicio facerent: nunc morbo faciunt. non de me locuntur, sed de se. 2

'male de te locuntur'. bene enim nesciunt loqui. faciunt non quod mereor, sed quod solent.

VIII. 'exulabis'. erras: cum omnia feceris, patriam meam transire non possum. omnium una est. extra hanc nemo proici potest.

'exulabis'. non patria mihi interdicitur, sed locus. in quamcumque terram venero, in meam venio. nulla terra exilium est, altera patria est.

1 *et* 3 egroto *S*| seculo *S*| ego *om. Hild.*| 2 illa *scripsi:* ipsa *C Hild.*| semper esse una *P* una ę esse *V* (semper *om.*)| 3 resistat ut uincitur *S*| aut enim uincetur *P*| 4 malo *S*| hominis *S*| sed malis *PR* sed maliloquio *V*| moberer *S*| si de me Marcus Cato *vg.*: si de me marius si cato *S* (siccato *S*) *PR* si de me cato si marius *V*| 5 lelius *S*| cato suscipionis *S*| 6 laudare *S* laudabile *V*| 7 nullam autoritatem habere *S* habere ullam auctoritatem *P*| damnat *inserui post* qui, *Pincianus exemplar Facundi et Primitivi secutus posuit post* est| 8 dampnandus est male de te loquitur. mouerer *PR* dampnandus est de te male loquitur. male de te loquuntur. mouerer *V*| 9 facerent quod nunc morbo *V*| 10 sed et dete *S* sed de te *P, fortasse legendum:* non de me tantum locuntur, sed et de te| sed et de bonis male loquuntur. bene enim *R*| 11 male de me locuntur qui bene loqui nesciunt *Hild.*| faciunt enim non *R*| 12 merear** *P*| *post* solent *Hild. add. haec*: ex quo (*lege:* aequo) animo audienda sunt imperitorum conuicia: et ad honesta uadenti contemnendus est iste contemptus. *vg. et in Vaticano Reginae 84 hoc enuntiatum adicitur:* quibusdam enim canibus sic innatum est ut non pro feritate, sed pro consuetudine latrent. *post quod haud dubie interpolatum Haasius ex libro de moribus* (*42*) *haec add.:* homines de te male loquuntur. si merito, non quod loquuntur molestum est, sed quod non mentiuntur: si immerito, innocentia mea nunc maxime gaudeo. apparet enim illos obiecturos vera si possent, *quae eam tantum ob causam non recepi, ne excerptorum rationem perturbarem*| 13 exulauis *S*| fecerim *vg.*| transire non possum (non *supra vers.*) *S* non possum transire *P*| 14 potest (s *corr. ex* t) *S*| 15 exulauis *S*| quacumque *S*| 16 terram venio *vg.*| inmeauenio *S*| 17 et altera *V* sed altera *vg.*| altero *S* alterius *P*|

'non eris in patria'. patria est, ubicumque est bene. illud 2
autem per quod bene est in homine, non in loco est. in ipsius, inquam, est potestate quid sit illa fortuna: si sapiens est, peregrinatur, si stultus est, exulat.

'exulabis'. hoc dicis: alterius loci civitate donaberis.

IX. 'dolor imminet'. si exiguus est, feramus: levis est patientia. si gravis, feramus: non levis est gloria.

'clamorem dolor exprimit'. dum secreta non exprimat.

'non potest homo par dolori esse'. nec rationi dolor.

'dura res est dolor'. immo tu mollis. 2

'pauci dolorem ferre potuerunt'. simus ex paucis.

'inbecilli natura sumus'. naturam infamare nolite: illa nos fortis genuit.

'fugiamus dolorem'. quid, quod sequitur ille fugientem?

X. 'paupertas mihi gravis est'. immo tu paupertati. non in paupertate vitium est, sed in paupere: illa expedita est, hilaris, tuta. nescis te opinione non re laborare: pauper es, quia videris.

'pauper sum'. nihil deest avibus, pecora in diem vivunt. feris in alimentum solitudo sua sufficit.

'accepit ille grandem pecuniam'. ergo et superbiam. 2

1 non eris in patria *in marg. add. P*| bene es *Haasius*| bene *ex* bonus *corr. P*| 2 aud per quod bene (*corr. ex* bonus) est P| in homine est non in loco *V* in homine non in loco *R* (*om.* est)| in ipsius] impius *P* 3 est potestatem *S*| potestate est *Vvg.*| quiscit illa furtuna *S* quid sit ipsa fortuna *V*| si enim sapiens *Vvg.*| est *post* sapiens *om. PRV*| peregrinantur *S*| 4 est *post* stultus *om. PVvg.*| exultat *S*| 5 exulauis *S* donaueris *S*| 6 imminit *S*| feramus quia leuis *Hild.*| feramus *om. Vinc.*| 7 est *post* grauis *add. Vvg.*| est *post* leuis *om. P*| feramus *om. Vinc.*| feramus quia non *Hild.*| 8 clamor dolorem exprimat *V*| dolor *corr. ex* dolorem *P* dolor*** *R*| *post* exprimit *P inserit*: sed non est curandum, *R*: non est curandum| 9 potest *om. R, sed in marg. m. 2. eiusdem aetatis add.:* debet| homo *in ras. P*| par* (*erasa* i) *P*| 11 uim doloris *P*| sufferre *V*| possunt *Hild.*| scimus *S*| ex illis *Hild.* 12 inbicilli *corr. ex* inbicire *S* imbecilles *vg.*| natura infamare *S*| noli sed te *V omissis verbis* illa — dolorem| 14 Qui quo fugientem ille (*om.* sequitur) *P* Quo? fugientem sequitur ille? *R* Quid quod ille sequitur fugientem? *V*| *post* fugientem *vg. add. verba*: contemnite dolorem: aut soluetur aut soluet *ab Haasio seclusa*| 15 paupertas — sufficit (*v. 19*) *post* facere non poteris (*p. 105, 2*) ponit *P*| pauperta *S*| 16 in pauperem *S*| est illa re (*finis versus*) sti tuta *S*| 17 tutor *R* tutior *R m. 2.*| *post* tuta *vg. add.* pauper sum| tu opinione laboras non re *Vinc.*| te *om. R*| opinionem *S*| in re *corr. ex* inest *(?) P*| re *om. R*| quia pauper tibi uideris *Hild.* quia uinceris *V*| 18 auiuus *S*| felix *S*| 19 in *om. R*| sua solitudo *V*| 20 accepit — superbiam *vg. ponuntur post* non poteris (*p. 105, 2*)| accipit *S*| ergo et superbiam *om. P*|

'non sum potens'. gaude, inpotens non eris.

'iniuriam accipere potero'. gaude, facere non poteris.

3 'magnam pecuniam habet'. hominem illum iudicas? arca est: quis aerario, quis plenis invidet loculis? et iste, quem tu dominum existimas pecuniae, loculus est. 5

'multum habet'. utrum avarus an prodigus est? si prodigus est, non habebit, si avarus est, non habet. iste, quem tu felicem esse admirantibus credis, saepe dolet, saepe suspirat.

4 'multi illum comitantur'. mel muscae secuntur, cadavera lupi, frumenta formicae: praedam sequitur ista turba, non hominem. 10

XI. 'pecuniam perdidi'. fortasse te illa perdidisset.

'pecuniam amisi'. sed habuisti.

'pecuniam perdidi'. habebis uno periculo minus.

2 'pecuniam perdidi'. o te felicem, si cum illa avaritiam perdidisti. sed si manet illa aput te, es tamen utcumque felicior, 15 quod tanto malo materia subducta est.

3 'pecuniam perdidi'. et illa quam multos. eris nunc in via expeditior, domi tutior: non habebis, sed non timebis heredem. exoneravit te fortuna, si intellegis, et tutiore posuit loco: damnum putas, remedium est. demens, gemis, miserum te clamitas, quod 20

1 non (*prior* n *in ras.*) eris (is *m. 2. corr. ex* o) *R*| 2 *ante* iniuriam *S add.* gaude| accipere potero *R* accipere poteris *R. m. 2.* potero accipere *Hild.*| 3 Gaude *ante* magnam *addit S*| magnam pecuniam *om. P*| quis *ante* habet *add. PR*| pecuniam habet ille *Hild.*| 4 quis — loculis *om. V, sed post* loculus est (*v. 5*) *habet*: vel si quis — loculis| eratio *S*| aerario quis *om. Hild.*| inuidit *S* nudet *R*| tu *om. Vvg.*| 5 pecuniae existimas *vg.*| locus est *S*| 6 aut auarus aut prodigus *Haasius*| an prodigus (prodignus· *S*) sit *C*: *corr. vg.*| si auarus, non habet, si prodigus, non habebit *Hild.*| si prodicus est *S* si prodigus sit *PR*| *utrumque* est *om. vg.*| 8 esse *om. Vvg.*| sepe suspirat *S*| 9 illum sequuntur *Hild.*| multi aliquid comitantur: et mel *Vinc.*| mel]aues *P*| mel (l *in ras. m. 3.*) musce *S*| 10 furmici *S*| sequitur non ista turba hominem *P* non hominem sequitur ista turba *Hild.*| 11 perdedi fortasse ti illa perdedisse *S*| illa perderet, sed et illa quam multos. pecuniam *Hild., cf. v. 17*| 12 amisi *S* amici (*supra* c *posita* s) *P* perdidi *VRvg.*| 13 *et deinceps* perdedi *S*| habebis *in* abelis *mut. P* habere *V*| et habere unum periculum (i *corr. ex* u) minus *S*| 14 te faticem *P, sed in marg.* felicem| auaritia perdedisti *S*| 15 sed *om. R*| est tamen *S*| utrumque *SPR* utrimque *R m. 2.*| fecilior (*corr. ex* felicior) *S*| 16 tantum *S*| materia (te *supra vers.*) subiecta est *P*| 17 pecuniam si perdidisti, eris nunc *Vinc. reliquis omissis*| etillam quam multos *S* et illa quidem multos *V* et illa [quidem] quam multos *vg.*| multas (*supra* a *posita est* o) *P*| nunc *corr. ex* nec *P*| 18 expedidior *S*| non *om. P*| habebis *del. P et in marg. add.* abitabis| 19 exhonorauit *S*| tuitiore *V*| loco posuit *Pvg.*| 20 *post* remedium est *vg. add. haec*: denique si amissas cum amissis taediis conferas, lucrum uoces *seclusa ab Haasio*| deflens *C*: *correxi ego* (*v de ira III 15, 4*) defles *vg.*| gemmis *S*| qui *P*|

opibus excussus es: tuo vitio ista tibi iactura tam tristis est. non tam moleste ferres, si tamquam perditurus habuisses.

'pecuniam perdidi'. nempe quam ut tu haberes alius ante perdiderat.

XII. 'oculos perdidi'. habet et nox suas voluptates.

'oculos perdidi'. quam multis cupiditatibus via incisa est. quam multis hominibus carebo, quos ne viderem [vellem], vel eruendi erant. non intellegis partem esse innocentiae caecitatem? huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum quam concupiscat, huic orbem, inritamenta vitiorum, duces scelerum.

XIII. 'amisi liberos'. stultus es qui fles mortem mortalium. quid istic aut mirum aut novum est? quam rara est sine isto casu domus? quid, si infelicem voces arborem, quod stante ipsa cadant poma? et hic tuus fructus est. nemo extra ictum istius 2 vulneris positus est: ducuntur ex plebeia domo inmatura funera, ducuntur ex regia. non est idem fati ordo qui aetatis. non quomodo quisque venit emittitur. quid hic tamen est quod indigneris? quid contra expectationem tuam evenit? periere perituri.

'sed ego illos superstites mihi optaveram'. sed hoc tibi 3 nemo promiserat.

1 ouibus excussus (ex *corr. ex* s) *S*| tibi natura *V*| 2 non tam (tam *corr. ex* tu) *P*| 2 molestem te feres *S*| perdidurus *S* perdituras *P*| 3 nempe *om. Hild.* quippe *V*| quam *om. PR*| ante te perdiderat *Hild. fortasse recte*| 5 habet *corr. ex* habebit *S* sed habet *Hild.*| habet mox (*om.* et) *V*| uoluptates suas *Hild.*| uoluntates *S*| 6 oculus *S*| cupientibus *V* 7 careuo *S* carebis *vg.*| uellem *delevi*: uiderem uellem *S* uidere uellem *PR* uidere uellēt *V*| 8 partim *S*| esse partem innocentie (o *supra vers.*) cecitatem *P* partem innocentie esse cecitatem *Vvg.*| 9 adulterium oculi *V*| 10 concupiscant *S* concupiscit *V*| orbem *S*: urbem *VPRvg. Vinc.*| *ante* uitiorum *vg. add.* sunt| oculi enim sunt irritamenta *Vinc.*| ducem *in* duces *mut. P*| *post* scelerum *vg. add. verba* fomenta malitiae *ab Haasio seclusa*| 11 amici (*supra* c *posita est* s) *P*| stultus est qui flet *P* stultus es qui defles *vg.*| stultus est qui mortem mortalium deflet *Hild.* stultus est qui deflet mortem mortalium *Vinc.*| mortalium mortem *R*| casus mortalium *Pinciani vet. lect.*| quid hoc nouum aut mirum est *Vinc.*| 12 isti *S* istud *P*| nouum aut mirum est *Vvg.*| 13 quid sunt felicem uoces arbor est *P*| si felicem *V*| uocis *S*| quo stante *S* quod stante (te *in ras.*) *R*| 14 cadent *P* cadunt *vg.*| istius *om. VPR vg.*| 15 positus uulneris *R*| expleueiadomo *S*| 16 ducuntur et ex *vg.*| quia aetatis *S* qui et casus *P* qui et aetatis *Vvg.*| 17 uenerit *P*| emittur *S*| Quis hic *P* quid tamen est hic quod *R* quid hic est tamen quid *V*| qui indigneris *P*| 18 extra expectationem *V*| pergere *P, sed in marg.* periere *adscripsit* perierunt *Hild.*| 20 mihi *om. Vvg.*| obtaueram *S*| nemo tibi *vg* | 21 permiserat *P*|

'perierunt liberi mei'. habebant illi cuius essent magis quam tui. aput te precario morabantur: educandos tibi illos fortuna mandaverat: recepit illos, non abstulit.

XIV. 'naufragium feci'. cogita non quid perdideris, sed gaude quod evaseris.

'nudus exii'. sed existi.

'omnia perdidi'. sed cum omnibus perire potuisti.

'in latrones incidi'. alius in accusatores, alius in fures, 2 alius in fraudatores. plena insidiis via est: noli queri quod incideris, gaude quod effugeris.

XV. 'inimicos graves habeo'. quomodo adversus feras munimenta conquires, quomodo adversus serpentes, sic adversus inimicos auxilia circumspice, quibus illos aut arceas aut conpescas aut, quod est optimum, places.

'inimicos habeo'. illud est peius quod amicos non habes.

'amicum', inquit, 'perdidi'. iam enim habuisse te certum est? 2

'amicum perdidi'. alium quaere. 'et ubi eum quaeram?' ubi inveneras: quaere inter liberales artes, inter honesta et recta officia. quaere in laboribus: ad mensam res ista non quaeritur. quaere aliquem frugi.

'perdidi amicum'. fortem animum habe, si unum: erubesce, si unicum. quid? tu in tanta tempestate ad unam ancoram stabas?

XVI. 'uxorem bonam amisi'. utrum inveneras bonam, an feceras?

1 illius essent (*om.* cuius) *P*| 2 precario (*prior* r *corr. ex* o, *ni fallor*) *S post* precario *trium litterarum spatium vacuum habet P, sed nihil erasum* precarie *V*| educandos illos tibi *R*| tibi *om. V*| 3 furtuna *S*| recipit *S*| recepit eos deus *Hild.*| 4 naufrauium *in* naufragium *mut. S*| non quod *SR* numquam *P*| perdederis *S*| gaude *inserui ante* quod euaseris, *cf. v. 10 et p. 110*| euaserit *P*| 6 omnia perdidi, nudus exii. sed existi. omnia perdidi. sed cum omnibus perire potuisti *PR*| 7 perdedi *S et deinceps*| 8 incedi *S*| alios in accusatores *S* sed alius in accusatores *vg.*| 9 plaena *S*| quereris *S* querere *R* inquirere *P*| inciderit *R*| 10 sed gaude *PR* sed *V* (*in marg.* uel gaude)| euaseris *vg.*| 11 quomodo (do *adiectum est in marg.*) aduersus (*posterior* u *corr. ex* a) *S*| 12 conquireres *vg.*| aduersus sapientes *V*| 13 auxilia respice *R*| 14 quod (o *corr. ex* u) *S*| optimum est *Vvg.*| placeas *P*| 15 quam amicos non haberes *P*| 16 amico inquid perdedi *S* amicum inquit perdidi *R*| inquit *om. VPvg.*| iam enim te certum habuisse *P* (*om.* est)| 17 quere *S et deinceps*| et ibi *PRvg.*| illum queras *R* eum queres *V* eum quaeras *vg.*| 18 ubi eum inueneras *V*| inuenias *vg.*| onesta *S*| 20 querealiq; *S*| fruigi',' *S, sed prior* i *deleta est*| 21 habere in unum *P*| erubesce si uicit *P*| 22 in tanti *R*|

si inveneras, habere te posse ex hoc intellegas licet quod habuisti: si feceras, bene spera: res periit, salvus est artifex.

'amisi uxorem bonam'. quid in illa probabas? pudicitiam? 2 quam multae diu custoditam perdiderunt. quam multae inter exempla numeratarum inter probra matronalis ordinis esse coeperunt. decus? * * * * delectabat te fides eius? quam multas ex optimis coniugibus pessimas videmus, ex diligentissimis solutissimas, ex liberalissimis rapacissimas. omnium quidem inperitorum animus, 3 maxime tamen in lubrico muliebris est. etiam si bonam uxorem habuisti, non potes permansuram adfirmare in illo fuisse proposito. nihil est tam mobile quam feminarum voluntas, nihil tam vagum. veterum matrimoniorum repudia cognovimus et 4 foediores divortio male cohaerentium rixas. quam multae quos in adulescentia amaverunt in senectute communi reliquerunt. quotiens anile divortium risimus. quam multarum notus amor odio notiore mutatus est.

'sed haec et fuit bona et fuisset'. mors effecit ut adfirmare sine periculo possis.

'bonam uxorem amisi'. invenies, si nihil quaeris nisi bonam 5 uxorem: tu modo ne imagines proavosque respexeris nec patrimonium, cui iam ipsa nobilitas primo loco cessit. ista diu cum

1 *ante* habere *vg. add.* adhuc| 2 *post* artifex *vg. haec add. ab Haasio seclusa:* sine uxore sum. et sine aduersario. iam tui rerumque dominus tuarum esse incipis. uxorem bonam et decoram perdidi. stulti est compedes suas quamuis aureas amare| 4 multe diu *S*| custodite perierunt *P* decus *ante* quam *habent SV vg. om. R.: transposui ante* delectabat (*v. 6*) *et lacunam indicavi*| Quod multe *P*| inter exempla numeratorum (nominatarum *vg.* mutatarum *Lipsius* meretricum *Puteanus*), *quae in C post* coeperunt (*v. 5*) *leguntur, correxi et huc traieci*| 5 inter probas matronas *R*| ordines *S*| coeperunt *vg.*: caeperant *S* ceperant *RV* seperant *P* 8 inparitorum *S* imperitorum *om. P*| 9 mulieribus in lubrico est *R* in lubrico mulieris est *V*| 10 habuisti *om. R*| non potes affirmare in illo [eam] fuisseproposito *vg.* fuisse *om. V*| 11 uoluptas *SPR*| nihil *om. P*| 12 uacuum *S*| repudica *P, sed* t *deleta*| 13 faediores *S*| diuortium *P*| rixas *om. P*| 14 inadulescentiam *S*| senectute (*supra tertiam* e *rasura*) *R*| cumuni reliquerunt *S* coniugium reliquerunt *P, sed supra vers. scriptum est* uel *et in marg.* cominus| 15 deuortium *S*| uisimus *P*| uotus amor *P*| 16 odio *corr. ex* odium *S*| nouiore (*corr. ex* uotiore) mutatur *P*| 17 fuit et bona *P, sed* et *deletum est*| *post* fuisset *vg. add.* si uixisset, *quae Haasius uncis circumdedit*| efficit *SPR* efficit non periculo *P mediis omissis, sed* non *deletum est et in marg.* ut sine *adscriptum*| ut hoc affirmare *V*| 18 periculo non possis *V*| posses *PR*| 19 *post* inuenies *vg. add.* similem, *quod Haasius seclusit*| nichil nisi bonam uxorem queris *R*| 21 iam *om. P*| primo loco iam ipsa nobilitas *V*| nobilitas ipsa *R*|

forma repugnabunt: facilius reges animum nulla vanitate [rerum] tumentem. non multum abest a contemptu viri quae se nimis 6 suspicit. duc bene institutam nec maternis inquinatam vitiis, non cuius auriculis utrimque patrimonia bina dependeant, non quam margarita suffocent, non cuius minus sit in dote quam in veste, 5 non quam patente sella circumlatam per urbem populus ab omni parte aeque quam maritus inspexerit, cuius sarcinis domus non sit angusta. hanc facile ad mores tuos rediges, quam nondum corruperunt publici.

7 'uxorem bonam amisi'. non erubescis flere et intolerabilem 10 vocare iacturam? hoc unum deest, utrum illam lugeas an non. cum maritum te cogitaveris, et virum cogita.

8 'amisi uxorem bonam'. soror reparari bona non potest nec mater: uxor adventicium bonum est. non est inter illa quae semel unicuique contingunt. multos tibi numerare possum quibus 15 bonam uxorem lugentibus contigit melior.

9 mors, exilium, luctus, dolor non sunt supplicia, sed tributa vivendi: neminem inlaesum fata transmittunt. felix est non qui aliis videtur, sed qui sibi: vides autem quam domi sit ista felicitas. 20

1 cum fortuna *V*| cum* forma (forma *corr. ex* forrma) *P*| repugnabant *R*| *totum enuntiatum graviter corruptum sic fere refinxerim*: ista diu, cum eam formabis, repugnabunt.| rerum *seclusit Haasius*| 2 timentem *P*| comtemtu *S*| 3 suscipit *SRP*, *sed in hoc* cipit *deletum et in marg.* proicit *appositum*| dum bene *PRV*, *in V supra* dum *scriptum est* tamen| inquinata *P*| 4 bina patrimonia *V*| numquam *P*| 5 margaritae *V vg.*| suffucent *S*| suffocent — circumlatam *om. P*| cui *V vg.*| *post* dote *fortasse excidit* auri *vel simile quid,* cui minus sit <in> indole quam *H. I. Muellerus programm. gymnasii Berolinensis Friderico-Werderani anni 1876 p. 9 adn.*| 6 *ante* patente *vg. add.* in, *quod Haasius seclusit*| circumlata *S* circulatam *Haasius*| 7 aeque (ae *supra vers.*) *S*| inspexerit *corr. ex* inspexeris *P*| 8 ad mores *bis scripsit P*| tuos compones *V*| non decorruperunt *V* nondum corrumperunt *P*| 9 mores *post* publici *add. R* corruptores *vg. adicitur, quod vocabulum Haasius seclusit*| 10 erubesces *vg.*| intollerabilem *S*| 11 utrum illam *vg.*: ut illam *C, at gravius sine dubio corruptus est hic locus*| an nos *P*| 13 uxorem bonam amisi *V*| recuperari *vg.*| 14 aduenticium *corr. ex* aduentiuum *P*| 16 uxurem *S*| lugentibus uxorem *V*| contingit *SR*| melior contigit *vg.*| 18 transmutant *P*| 19 quam rara domi *vg.*| LUCIANEI · SENECE · ADGALLIONEM FRATREM · DEREMEDIIS; FORTIVITOR/ · EXPL *subscripsit S* Vale *R* ExPliCiT; Explicit; Explici t; *V.*

iam igitur etiam si hac recognitione non id effectum est ut, quod Haasius sperabat, tota libelli forma immutaretur, aliquanto tamen propius ad genuinam dialogi Annaeani formam nos accessisse contendere licet. ex tota enim eius, qualis in codicibus servatus est, ratione facile apparet eum a quo compositus est epitomatoris, ut ita dicam, negotium administrasse, rarissime interpolatoris. itaque omissis multis praeter praefationem illam brevem et ineptam nihil de suo addidit. quam in locum prologi Annaeani ad Gallionem scripti substitutam esse probabilis est Haasii coniectura (v. *Index lectionum in universitate Vratislaviensi anno 1859/60 habendarum* p. 5). enuntiata vero quaedam et enuntiatorum membra ob orationis barbariem et sententiarum perversitatem Senecae abiudicanda, cum in libris a me adhibitis desint, non ille adiecisse videtur, sed interpolator nescio quis saeculo tertio decimo recentior: 7, 2 *quibusdam enim canibus sic innatum est ut non pro feritate sed pro consuetudine latrent.* 11, 3 *denique si amissas cum amissis taediis conferas, lucrum voces.* 12, 2 *fomenta malitiae.* porro de duobus locis, qui etiam in S dicendi genus medii aevi ostendunt, dubitari potest utrum ab epitomatore an a librario aliquo mutati sint. quorum alterum (11, 3), quo deflendi verbum sensu intransitivo, id quod numquam fecit Seneca, usurpatur, supra emendatum esse confido hoc modo: *demens* (*deflens* codd.), *gemis* (de ira III 15, 4 *quid gemis, demens, quid expectas?,* cf. nat. quaest. II 59, 9), alterius (14, 1) *cogita non quid perdideris sed quod evaseris,* ubi more medii aevi *quod evaseris* pro eo quod est *te evasisse* videtur dictum esse, si non certam emendationem inveni, cum *gaude* ante *quod* insererem, tamen emendandi viam me monstravisse puto. ita vero homo ille Senecae librum in angustum coegit, ut ex iis quae de morte disputata erant satis multa excerperet, pauciora ex capite *de paupertate,* paucissima ex iis quae de calumniis, de exilio, de aliis calamitatibus dicta erant, in fine rursus ex eo capite quod erat *de uxore amissa* plura retineret (cf. Haasius l. c.). integri enim dialogi capitum similem ambitum fuisse nemo credet, si ea quae in aliis libris velut in consolationibus disseruit cum exilibus his reliquiis comparaverit. accedit quod epitomator ultimo capite

[19]) 13, 1 in libris saeculo XIII recentioribus et apud Hildebertum *defles* extat vel *deflet,* in vetustioribus verbum simplex.

magis, ut videtur, quam reliquis delectatus longiores quasdam disputationes servavit similes iis, quibus Seneca de benef. I 9, 3 sq., de matrim. fragm. 51 sq., 81 sq., de constant. sap. 14, 1 luxuriam matronarum Romanarum castigavit. reliquorum enim capitum praeter primum haec est ratio, ut ea tantum quae adversarius opponit et eorum quae Seneca respondet prima quaeque verba extent, argumenta quibus haec comprobabantur, excursus, narratiunculae in libris integris satis frequentes abiecta sint. hoc igitur modo factum est ut epitome propius ad dialogi formam accedat quam liber genuinus, in quo *inquit* illud vix multo rarius quam in reliquis Senecae libris ad adversarii verba significanda adhibitum fuisse admodum est veri simile[20]). eodem brevitatis studio ductus homo ille cum verba nonnulla omisisset, proxima interdum non ita mutavit ut nullum lacunae indicium relinqueretur. velut 1, 2 ante verba *unde ergo primum incipimus?* Seneca haud dubie nonnulla de multitudine et atrocitate calamitatum hominibus imminentium dixerat[21]). deinde 8, 1 haec: '*exulabis*'. *erras: cum omnia feceris* (*fecerim* vg.), *patriam meam transire non possum,* vix intellegentur, nisi verba *cum omnia feceris* quaedam de exiliis aut magis aut minus longinquis praecessisse putaveris. contra enuntiato quod Haasius 1, 3 post vocabulum *solatium* inseruit: *hoc unum sine remedio est, hoc unum et respuit solatium,* facile caremus. talia si commisit epitomator, fortasse non librariis vitio vertendum est, quod hi tres loci, de quibus iam in adnotationibus dictum est, gravibus vitiis laborant: 16, 2 ad adversarii interrogationem *decus?* nihil respondetur, cum ea quae sequuntur *quam multae — numeratarum?* non ad decus, sed ad pudicitiam, de qua ante dictum est, pertineant. ib. 5 verbis quae sunt *ista diu cum forma repugnabunt,* nimis abrupte formae mentio fit; accedit quod repugnandi verbum cum praepositione *cum* prave

[20]) v. *Hermes* XVII 369 sq. in eo de quo agimus libello nunc duo tantum huius usus. exempla supersunt (1, 2 et 15, 2).

[21]) de similibus erroribus a compilatore quodam medii aevi paulo recentiore commissis dixi in *Annali philologo* anni 1885 p. 410. ceterum nescio utrum Haasius lacunam, quam hoc loco indicavit, casu factam esse putaverit, an editionis suae adnotationibus continuis carentis rationes secutus aliquid ab epitomatore omissum esse significarit. at si quis hanc sententiam probaverit, fieri non poterit, quin illum libro Senecae iam initio privato aut lacunoso usum esse existimet.

coniunctum est. denique ib. 7 neque verba *hoc unum deest* neque proxima habent quo referantur[22]).

iam quo tempore libellus conscriptus sit dictu vix est difficile. cum enim codex Salmasianus, qui saeculo septimo attribuitur, haud ita paucis locis corruptus sit et is qui librum de moribus compilavit, quem iam anno 567 extitisse constat (v. Lipsius praef. edit. p. XXXVI, Haasius vol. III praef. p. XX et *Index lectionum Vratislaviensium anni 1859/60* p. 5, *Publilii Syri sententiae rec. Woelfflin* praef. p. 40sq. et p. 139), pleniorem etiam tum librum legisse videatur, quin saeculo sexto exeunte vel septimo ineunte compositus sit non dubito. integrum vero librum in dialogorum ordine ponendum esse alibi dixi neque me a sententia mea deterrere potuit, quod in Reginensi et ei simillimo Leidensi (v. p. 95 adn. 17) sollemnem epistularum formulam *vale* in fine additam inveni. nam exigua est eorum auctoritas cum Salmasiano comparata et cum in utroque epistularum ad Lucilium missarum pars prior praecedat, facile apparet ad harum similitudinem verbum illud a rubricatore aliquo adiectum esse.

medium quendam locum inter duo excerptorum Annaeanorum genera ea tenere dixeris, quae ex libris de clementia petita Hildebertus Cenomanensis ad epistulam libri I 3 (p. 6 Beaugendrii) adhibuit quibusque partis illorum librorum deperditae fragmenta nonnulla servata sunt. ad quae post ea, quae *Disquisitionum Annaeanarum* capite altero exposui et quae Aemilius Thomas in *Annali philologo* anni 1884 p. 592sq. disputavit, nunc pauca quaedam habeo, quae ex libris scriptis addam. atque primum quidem mirere quod in hoc Hildeberti enuntiato: *de clementia quoque compendiosa principibus capitula Seneca evigilavit* (*Senecae uigilant* Paris.), *in quibus ideo brevitatem dilexit non obscuram ut magnis occupatos legere non taederet,* nomen *Senecae* nisi in uno codicum quos inspexi non legitur, Parisino (bibl. nat., ante Victoriano) 14867 saeculi duodecimi, cum reliqui duo Vaticanus Reginae 236 et Romanus basilicae S. Petri G 11 uno saeculo recentiores *uigilauit* (Reginensis in marg. add. *uulgauit* et ante primam *u* supra versum

[22]) forsitan haec verba: *utrum illam lugeas an non*, simili modo corrupta sint atque ea quae 10, 3 leguntur. certe dubito de modo coniunctivo. v. praeterea 16, 1 et ad Polyb. 9, 1.

tres litteras erasit) habeant. sed ut nihil demus libri Parisini aetati superiori, nomen aliquod in ceteris excidisse verbum quod sequitur *dilexit* ostendit. hoc autem nomen nullum aliud fuisse nisi *Senecae* iam ipsa sententiarum indoles et oratio satis probant. deinde in ipsis Senecae verbis ex consensu trium librorum legendum est: *magnum quitl et divinum sapit offensus clemens,* cum Beaugendre ante *et* voculam *est* male addiderit. paulo inferius idem eandem iniuria bis omisit in verbis, quae codices sic praebent: *bonus princeps – – – nullius sanguinem contemnit: inimici est, sed eius qui amicus fieri potest: nocentis est, sed hominis.* agnoscis Senecae morem iis quae adversarius opponit obloquentis.

VI.

Orthographica.

Formas *hoc* et *illo,* quae haud raro in omnium scriptorum Annaeanorum codicibus pro *huc* et *illuc* ponuntur, sed a Fickerto receptae non sunt (v. edit. vol. III p. 394a et alibi), Gertzius de benef. V 6, 5, ubi in N aliisque extant, iure retinuit. recordabatur enim eas nat. quaest. V 1, 1 in optimis codicibus reperiri. idem postea in dialogorum Mediolanensium editione tribus locis (de ira III 21, 3, ad Marc. 11, 2, de tranqu. an. 9, 6) *hoc* pro *huc* ex A[1]), cuius auctoritati Kochius obsecutus non erat, restituit. sed extant etiam alia harum similiumque formarum exempla:

de ira III 28, 1: *hinc te illo* (sic AP et Gertzius) *furor rapiet.*

ad Marc. 21, 7: *cum illo* (sic A et Gertzius, *illa* P) *infantia statim et iuventa, omnis aetas ferat*[2]).

ad Polyb. 9, 9: *omnibus illo* (sic B et Gertzius) *nobis commune est iter.*

ad Helv. 15, 1: *illo* (sic codd. et Gertzius) *omnis consolatio mihi vertenda est.*

[1]) eadem forma tribus illis locis in P reperitur.

[2]) *feratur* Gertzius scribi iussit, quod probarem, nisi ex iis quae praecedunt (§ 6): *ex illo quo primum lucem vidit, iter mortis ingressus est,* intellegeretur Senecae animo, cum haec scriberet, imaginem illam, qua vita cum itinere comparatur, obversatam esse. ceterum nescio an nonnullis locis quibus nunc *illo* extat Seneca ipse *illoc* ut Claudius (v. p. 115) scripserit.

17, 3: *itaque illo* (sic codd. et Gertzius) *te duco, quo omnibus qui fortunam fugiunt confugiendum est, ad liberalia studia.*

ep. mor. IV 2, 9: *quomodo, inquis, isto* (sic Pp, *iste* Pr.b) *pervenitur?*

V 4, 2 *me quoque isto* (sic codd.), *si possem, transferrem.*

VII 4, 25: *deinde hoc* (sic Pp L m. 1., *uel huc* supra versum L m. 2., *huc* editores) *usque pervenies.*

ibid.: *paulatim fastidium tuum illo usque procedet.*

XII 2, 2: *invicem hoc* (P Pr.b L, *huc* vulgo) *et illo commeandum est.*

XIII 3, 12: *non dominus isto* (sic codd.), *sed colonus intrasti.*

XIV 2, 27: *ceterum ad beatum statum tendit* (sapientia), *illo* (sic AB) *ducit, illo* (sic AB) *vias aperit.*

4, 30: *illo* (sic AB) *tendit originis suae memor. – – – – – capax est noster animus, defertur illo* (sic AB), *si vitia non deprimant.*

XV 2, 5: *sic ambulabis, illo* (sic AB) *manum porriges.*

XIX 1, 7: *velociter tamen illo* (sic A, si Fickerti silentium recte interpretor, et B) *quo intendimus, perseveramus.*

8, 31: *adice isto* (sic A, ut videtur, et B) *naufragia motusque terrarum et quicquid aliud timeri potest.*

nat. quaest. II 11, 2: *causas autem illi* (aeri) *mutationis et inconstantiae alias terra praebet, cuius positiones aut hoc* (sic E B Parisini 6628 et 8624) *aut illo* (sic iidem codd.) *versae magna ad aeris temperiem momenta sunt.*

IV 2, 28: *in lucernis oleum illo* (sic codd.) *fluit ubi exuritur.*

Agam. 142: *quocumque me ira, quo dolor, quo spes feret,*
hoc (sic E, *huc* editiones) *ire pergam: fluctibus de-*
dimus ratem.

Thyest. 636: – – *ferte me insanae procul,*
illo (sic E), *procellae, ferte, quo fertur dies*
hinc raptus.

710: – – *flectit hoc* (solus E) *rictus suos* (tigris)
illo reflectit et famem dubiam tenet.

1011: – – – *hinc compagibus*
et hinc revulsis, si quid infra Tartara est
avosque nostros, hoc (solus E) *tuam inmani situ*
demitte vallem.

iam Senecae aetate has formas in usu fuisse neque librariorum qui codices nostros exaraverunt vel neglegentiae vel barbariei

tribuendas esse discimus ex tabula aenea Lugudunensi, qua reliquiae orationis Claudii imperatoris de iure honorum Galliarum servatae sunt, col. 1, 40: *sed illoc potius revertar.* v. praeterea C. I. L. I 1431 = V 4111, V 182, X 4294, Orelli-Henzen 4394, 4471. quin etiam in *exemplo codicillorum* centum fere annos post Senecae mortem insculpto (C. I. L. X 7457) *hoc* reperitur. cum quibus inscriptionum testimoniis congruit, quod Verrius Flaccus apud Servium ad Aen. VIII 423 tradidit *in adverbiis pro u o plerumque maiores ponere consuetos.* resederunt igitur in Senecae oratione cum illae formae vetustae tum aliae, quarum infra exempla dabo, ex priorum temporum usu, qui nondum prorsus extinctus erat. praeterea vero etsi genus eius dicendi admodum diversum est ab eo, quo liberae rei publicae scriptores utebantur, tamen sicut priscorum morum severitatem et sanctitatem commendabat, ita fortasse his similibusque formis, quarum magnam partem in nostris codicibus iam non superesse mihi persuasi, priscam quandam gravitatem orationi suae addere studebat. praeterea meminerimus eum Claudio imperante, qui antiquitatem omnibus in rebus colebat, multa scripsisse. quem quamquam vivum Seneca clam oderat, mortuum acerbissimis conviciis insectatus est, tamen, ut post eius obitum litterarum ab eo inventarum usus non statim desiit[3]), ita ceteras scribendi proprietates, quibus sub imperio eius assueverat, cur retinere non potuit? denique in patris Senecae libris, quem quanto studio filius imitatus sit constat[4]), eaedem illae formae inveniuntur[5]).

quamquam Claudio imperante formae vetustiores *quom* et *quoi* recentioribus sic cesserant ut vocula *cum* quater in tabula Lugudunensi et ter in decreto de Anaunis[6]) exstet, *quom* nusquam, tamen, cum etiam post ea tempora et in titulis et in codicibus saepe occurant[7]), mirandum non est quod in Senecae codicibus

[3]) v. Buechelerus in *Museo Rhenano* 1858 p. 157 et Th. Mommsenus in *Ephemeride epigraphica* I 80.

[4]) sufficiunt exempla, quae Neuius *Lateinische Formenlehre*[2] II 633 congessit.

[5]) Leo *Observat.* p. 152sq. et Woelfflin praef. ad edit. Publilii p. 11.

[6]) editum est post Kennerum a Th. Mommseno in *Hermae* vol. IV p. 99 sq. = C. I. L. V 5050.

[7]) de *quoi* forma v. Neuius II 228; *quom* etiam apud longe inferioris

paucis quibusdam locis servatae, multo pluribus restituendae sunt. neque dubium videri potest quin maior etiam earum numerus temporum iniuria oblitteratus sit[8]). in tragoediis igitur *quom,* quod sciam, nisi semel servatum non est Herc. Oet. 610:

et quom (E solus, *cum* Leo) *magnae patuere fores.*

quem versum, cum a 706 demum continuatoris operam incipere coniecerit Leo, cur tamquam adulterinum in suspicionem vocemus, nulla est causa. mirum autem est huius solius tragoediae etiam aliis quibusdam locis certa[9]) illius formae vestigia apparere, cum in ceteris omnibus ubique *cum* legatur:

607: *quom* (*quem* E, correxit Peiperus, *cum* Leo) *tot populis stipatus eas.*

1163: *per media Lethes stagna cum spolio redi,*
quom (*quo* E, *cum* A, correxit Peiperus) *paene lapsis excidit Titan equis.*

Leo hic retinuit *quo.* at cum dici vix possit *excidere aliqua re equis* pro eo quod est *propter aliquid* vel *aliqua re exterritum* atque apte Peiperus Herculis, qui in interpolatae recensionis codicibus furens appellatur, versum 60sq.: *viso labantem Cerbero vidi diem pavidumque solem* conferri iubeat, huius coniecturam sequi malo. deinde aliis duobus locis *quum* scriptum est in E, quod aut barbariei librarii debetur eam formam pro *cum* ponentis, aut, ut Peiperus vult, merus est scribendi error pro *quom*:

587: *cum* (sic Leo, *quum* E, *quom* Peiperus) *iam tumidas vere peracto* (Achelous) *poneret undas.*

596: *cum* (sic Leo, *quum* E, *quom* Peiperus) *iam falso sidere brumae*
tertia soles evocat aestas.

aetatis scriptores legi notum est. taceo apud Frontonem, qui antiquum sermonis colorem affectat, frequentissimas has formas esse.

[8]) probabilius hoc videbitur, si reputaverimus etiam in Frontonis palimpsesto aetate Senecae codicibus longe superiore interdum formas illas vetustas evanuisse velut p. 30, 4 (ed. Naber) et 157, 5, quo utroque loco *quom* in *quam* depravatum est. 34, 16 fortasse *quem,* quod in *quoniam* mutaverunt editores, olim fuit *quom.* denique 44, 11 *praesertim quo<m>* legendum videtur. quo usque autem librarii se abripi passi sint studio formae *quom* in *cum* mutandae intellegimus ex Ambrosiani apud Gertzium p. 338, 5 et ex codicis Rhedigerani 123 apud Fickertum I p. 523b variis lectionibus.

[9]) omnes locos qui huc facere possint post Peiperum in indice orthographico p. 569 collegit Leo *Observat.* p. 61.

denique duobus locis eiusdem tragoediae *qum* E habet, ubi litterae *q* eadem vis est atque *c*[10]):

208: *cum* (*quin* E i. e. *qum*) *letifero*
stipite pulsus tota iacuit
sparsus in aula.

300: *Achelous undas sanguine infecit suo,*
cum (*qum* E) *lenta serpens fieret.*

in solutae orationis libris Annaeanis *quom* certis aut verisimillimis coniecturis restitutum aut restituendum est his locis[11]):

de vit. beat. 22, 1: *quid autem dubii est quin haec maior materia sapienti viro sit animum explicandi suum in divitiis quam in paupertate, quom* (*quam* AP, *cum* ante Gertzium) *in hac unum genus virtutis sit non inclinari nec deprimi, in divitiis* e. q. s.

de otio 7, 3: *ita et haec ipsa voluptaria secta in actu est. quidni in actu sit, quom* (*quam* AP, *quom* restituit Gertzius) *ipse dicat Epicurus aliquando se recessurum a voluptate?*

8, 4: *puto, hic me vetat navem solvere, quom* (*quam* AP, correxit Gertzius, *cum* Erasmus) *laudet navigationem.*

ad Helv. de cons. 9, 5: *quantus ille vir fuit* (Brutus), *qui effecit ut aliquis exul sibi videretur, quom* (*quo* A, *quod* cod. Parisinus armamentarii aliique deteriores, correxi ego) *ab exule* (Marcello) *recederet?*

ἀποκολοκ. 9, 2: *is* (Ianus pater in senatu caelesti) *multa diserte, quom* (*quod* codd., correxit Hauptius *Opusc.* II 284) *in foro vivat*[12]), *dixit.*

de benef. IV 7, 2: *nam quom* (*quod* NR aliique, quod ex *quom* ortum esse Gertzius vidit, *cum* vulgo) *fatum nihil aliud sit quam series inplexa causarum* e. q. s.

[10]) v. F. Ritschelii *Opuscula* IV p. 156, V p. 349.

[11]) non necessariam esse puto Gertzii coniecturam qua ad Marc. 21, 6 scripsit: *ex illo quom* (*quo* codd.) *primum lucem vidit.* deinde etiam ad Polybium 15, 2 codicum BDEPU scriptura *quam sciet* (*sciat* male U) praestat ei quam in libri H lectione *quem scierit* inesse putat: *quom scierit.* denique nat. quaest. I 1, 2, ubi codices haec habent: *ne alter alterum interroget quod discit* (sic L et Parisini, *quod dicit* E, *quod scit* Madvig) *illum respondere non posse,* ego in *Annali philologo* 1885 p. 35 adn. 1 conieci *quom scit,* sed iam video eodem iure *quando scit* scribi posse.

[12]) eadem sententia est coniecturae Buechelerianae: *quod in foro vivebat.* at cum praecedat tempus praesens: *qui semper videt* ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω et Iani arcus, quem Seneca in foro Romano videbat, significetur, imperfectum minus aptum videtur.

39, 4: *effice, ut idem status sit, quom* (*quo* N, in *qum* mutavit p. c., in *cum* m. 3., *qum* R, correxit Gertzius, sed formam vetustam hic ut superiore loco recipere ausus non est) *exigis, qui fuit, cum promitterem.*

ep. mor. II 8, 13: *necessarium ergo iudico id, quod tibi scripsi magnos viros saepe fecisse, aliquos dies interponere, quibus nos imaginaria paupertate exerceamus ad veram. quod eo magis faciendum est, quom* (*quod* Pp, *quo* p. m. 2.; at cum vix credibile sit verba *deliciis – – – – iudicamus* generatim dicta esse, sed ad certum aliquod tempus pertineant[13]), *quo* scripsi, cui vicinae vocis prima littera facile adhaerescere poterat) *deliciis permaduimus et omnia dura ac difficilia iudicamus.*

III 8, 8: *propositum est adgredi illum et ostendere quanto pluris fuerit, quom* (*quam* Pp, *cum* vg., *quando* ex recentioribus quibusdam male Fickertus, cum Seneca eam particulam cum coniunctivo non coniungat, correxi ego) *multi minoris videretur.*

IV 5, 2: *adsero te mihi, meum opus es. ego quom* (*quam* p, *cum* adhuc) *vidissem indolem tuam, inieci manum, exhortatus sum,* e. q. s.

XIII 3, 24: *cum ventum est ad naturales quaestiones, geometriae testimonio statur: ergo quom* (*quam* P Pr. b L, quod correxi propter *cum* illud praecedentis enuntiati) *adiuvat, pars est.*

XIV 4, 26: *quare ergo incredibilia ista sint aput eos qui virtutem colunt, quom* (*quã* in textu et *cum* versui praepositum habet Bambergensis secundum Buecheleri specimen editionis p. 34, 28, *cum* adhuc vulgatur) *aput eos quoque reperiantur, aput quos voluptas imperavit?*

XV 2, 60: *non est quod feliciorem eum iudices, cui submovetur, quom* (*quam* AB, *quam te*<*quem*> vulgo, at neque facile *quem* omitti poterat, neque necessarium est *quam te*) *te lictor semita deicit.*

XVI 4, 20: *non est itaque, quod lacrimas propter* <*turbam*>[14]) *circumstantem adsidentemque aut contineas aut exprimas.*

[13]) dicere fortasse licebat Senecae se et aequales deliciis permaduisse, nullo tamen modo ea quae sequuntur verba.

[14]) vocem *turbam,* quae deest in codicibus, sed deesse nequit, Haasius tupplevit. antea *circumstantes adsidentesque* legebatur. quamquam nemo consendet illa coniectura recepta id quod Seneca scripserit restitutum esse. itaque haud scio an legendum sit: *propter* <*circulum*> *adstantem ad-*

nec cessant nec fluunt umquam tam turpiter quam, <*quom*> *finguntur. cum* post *quam* inserendum esse, cum *umquam* praecedat, recte vidit iam Pincianus. verum facilius *quom* excidere poterat.

7, 21: *prodest autem* (ista disputatio) *etiam, quom* (*quo* AB, *quod* recentiores, correxi) *moratur ad prava poperantem*[15]).

non rarius forma *quoi* reperitur. quam quod Fickertus ad librum de benef. III 26, 2 a se *ne in antiquissimis quidem codicibus inventam esse* dicit, iam constat codicem Nazarianum libros ab eo adhibitos vetustate superare. quamquam enim nullum eius formae exemplum in tragoediis exstat, in sexto de beneficiis libro ter codicis N auctoritate confirmatur his locis:

VI 7, 1: *voltus* (sic N, quod m. 2. in *vultus* mutavit) *tuus, quoi regendum* (*quoire gendum* N, quod primus recepit Gertzius, *cui regendum* N m. 2. R recentioresque) *me tradidi, colligit rugas et trahit frontem, quasi longius exeam.*

14, 3: *illos ex toto praeteribo, quorum mercennarium beneficium est, quod qui dat, non computat quoi* (sic N et Gertzius, *cui* N m. 2. R recentioresque), *sed quanti daturus sit quod undique in se conversum est.*

43, 3: *dignus est quoi* (ita N, *cui* N m. 2. R recentioresque, restituit Gertzius), *utrum volet, liceat.*

aliis librorum de beneficiis locis vestigia tantum huius formae relicta sunt[16]):

sidentemque e. q. s. cf. de provid. 5, 4, de benef. VII 22, 2. num *circum* pro *circulum* ponere liceat dubito. fortasse tamen recte I. Dousa in *Praecidaneorum* post Burmanni Petronium editorum libri I capite 16 apud Senecam ep. mor. XV 3, 23 scripsit: *quanto circo* (*quanta circa* codd.) *nepotum focos iuuentus premit.*

[15]) post *properantem* sequuntur verba *sed illud dico,* quae Madvigius *Adversar.* II 517 in *et i. d.* ita mutavit ut simul *properantes* scriberet. si sententiam spectas, recte, sed magis Senecae usui conveniet: *properantem. sed* <*et*> *i. d.,* quod non difficiliore mutatione nanciscimur.

[16]) non caute Madvigius et Gertzius egerunt, quod nimio formae *quoi* studio ducti ibi quoque, ubi certa eius vestigia relicta non sunt, eam restituere conati sunt. sic non intellego, cur Gertzius III 12, 3 in verbis: *ingratum vocabis eum beneficium* (sic N) *inscio – – – – – inpositum est* ante *beneficium* voculam *quoi* inserere maluerit quam ex libris recentioribus *cui,* quo nihil facilius post voculam *eum* excidere poterat, adsciscere. deinde IV 8, 1 in his: *Liberum patrem, quia omnium parens sit, quod primum inventa seminum vis*

III 26, 2: *et servus eius, quoi* (*quo* NR, quod iam Gruterus emendavit, *cui* Erasmus) *nectebantur insidiae, ei ebrio anulum extraxit.*

33, 4: *licet tibi in quantum velis extendere beneficia filii, cum paternum munus et simplex sit et facile et danti voluptarium, quod necesse est, ille multis dederit, etiam quibus dedisse se nescit, in quo consortem habet, in quo spectavit legem, patriam, praemia patrum, domus ac familiae perpetuitatem, omnia potius quam eum quoi* (*quod* NR, *cui* N m. 3., non m. 2., correxit Gertzius) *dabat.*

VI 8, 1: *beneficium aliquis nesciens accipit, nemo a nesciente. quomodo multos fortuita sanant, nec ideo remedia sunt — et*[17]) *in flumen aliquoi* (*aliquo* N, *alicui* N m. 2. R, correxi; Gertzii *aliquando* ideo aptum non est, quod supra legitur *multos,* infra *quorundam* et *quidam*) *cecidisse causa sanitatis fuit — quomodo* e. q. s. de forma *aliquoi* v. Neuius l. s.

---

est consultura per voluptatem non necessarium est *quod* cum Gertzio in *quoi* mutare. neque enim minus verisimile est hanc Senecam orationis formam esse voluisse: *quod primum – – vis est <ei> c.* vel *qu. p. – – <ei> vis est c.* de eodem loco contra Madvigium dicendum est ideo in enuntiato *quod primum – – vis est* modum indicativum positum esse, quod eo causa praecedentis enuntiati, cur *omnium parens sit* — nam *sit* neque hic neque infra mutandum est — afferatur. nec minus dubito num IV 37, 1 recte Gertzius scripserit: *quoi* (*quod* N), *ut nuntiatum est, accucurrit,* cum apud Senecam omissum pronomen *ille* vel *illi* tolerari possit. praeterea IV 9, 3 et V 5, 3 *quid* et *qui,* quod ibi N pro *cui* habet, ex *quoi* ortum esse probabile non est. etenim in scriptura capitali — id quod non consideravit Madvigius, cum de hoc vitio in *Emendationibus Livianis* p. 350 (ed. II.) disputaret — facile C et Q inter se confunduntur. huc accedit quod in saeculi noni decimique codicibus per errorem non rarius *qu* et *q* pro *c* quam *c* pro *qu* et *q* ponitur (v. Chatelain *Revue de philologie* 1877 p. 159). itaque his quoque locis aliisque formas vetustiores restituere vix licet: de ira III 19, 1: *quamquam aberrare alicui* (*aliqui* A, *aliquoi* Gertzius) *possimus videri*; de otio 5, 1: *quid* (sic A, *quoi* Madvigius, quod iure improbatum est a Gertzio) *porro? hoc non erit probatum*; de tranqu. an. 8, 8: *nisi cui* (*quid* A, *quoi* Kochius) *facillime negat, sibi*; de brevit. vit. 2, 5: *quod ista officia cuiquam* (*quiquam* A, *quoiquam* Gertzius) *imputes*; epist. moral. XVIII 1, 4: *si scias alicui* (*aliquid* B) *tuorum esse dulce.*

[17]) retinui *et,* quod Gertzius Sisbyeium secutus in *ut* mutavit. videtur enim, id quod saepissime apud Senecam usu venit, eandem vim atque *etiam* habere. fortasse tamen enuntiatorum ordo turbatus est et sic totus locus refingendus: *quomodo multos fortuita sanant nec ideo remedia sunt, quomodo quorundam flagellis quartana discussa est et in fluvium alicui cecidisse frigore magno causa sanitatis fuit et metus repentinus animum in aliam curam avertendo suspectas horas fefellit,* e. q. s.

in ceteris Senecae libris haec inveni certa exempla:

de clem. II 2, 2: *illud mecum considero multas voces magnas, sed detestabiles in vitam humanam pervenisse celebresque vulgo ferri, ut illam: 'oderint, dum metuant', quoi* (*quod* NR, correxit Gertzius, *cui* vulgo) *Graecus versus similis est <eius>, qui se mortuo terram misceri ignibus iubet.*

de vit. beat. 23, 2: *o magnum virum, o optime divitem, si post hanc vocem tantundem habuerit. ita dico, si tuto et securus scrutationem populo praebuerit, si nihil quisquam apud illum invenerit, quoi* (*quot* A m. 1., *quo* P, emendavit Madvigius *Adversar.* I 68) *manus iniciat, audaciter et propalam erit dives.*

de otio 8, 2: *ad Carthaginiensium ergo rem publicam sapiens accedet, in qua adsidua seditio et optimo quoique* (*quoque* A m. 1., *cuique* P, correxit Gertzius) *infesta libertas est?*

de brevit. vit. 3, 4: *fortasse ille ipse qui aliquoi* (*aliquo* A m. 1., correxit Gertzius) *vel homini vel rei donatur dies ultimus est.*

ibid. 10, 3: *nemo, nisi quoi* (*quo* A, correxit Gertzius) *omnia acta sunt sub censura, quae numquam fallitur, libenter se in praeteritum retorquet*[18]).

ep. mor. II, 2 8: *cum peteres Siciliam, traiecisti fretum. temerarius gubernator contempsit austri minas — ille est enim qui Siculum pelagus exasperet et in vortices*[19]) *cogat — non sinistrum petît*[20]) *latus, sed id quoi* (*sed id quo* p prima manu, v. Chatelain *Revue de philologie* 1877 p. 118, *sed ita quo* P Pr.b M, correxit Madvigius *Adversar.* II 465) *propior Charybdis maria convolvit.*

IV 2, 11: *quaerendum est, quod non fiat in dies eius*[21]) *quoi* (*quo* P p Pr.b M A W, correxit Opsopoeus, *cui* vulgo) *non possit obstari.*

XIII 1, 12: *nam, ut aiunt, qui priscos mores urbis tradiderunt, bracchia et crura cotidie abluebant* (veteres), *quae scilicet sordes*

---

[18]) ad Polyb. 9, 1 Kochius verba ex coniectura sic constituit: *utrumne meo nomine doleo an eius qui decessit? si meo, perit indulgentiae iactatio et incipit dolor hoc uno excusatus, si quoi honestum* (*quod honestus* maxima codicum pars) *est, cum ad utilitatem respicit, a pietate desciscere.* verum nimis incerta est haec coniectura. Gertzius verba illa corrupta esse negat.

[19]) sic pro *vertices* solus Nicotianus Opsopoei, de quo v. Hauptius *Opusc.* II 277 sq. et quae supra p. 40 adn. 20 dixi.

[20]) forma est perfecti contracta, de qua sub finem huius capitis dixi, *petiit* Schweighaeuserus.

[21]) h. e. vetustatis, v. Madvigius I 474.

opere collegerant, ceterum toti nundinis lavabantur. hoc loco dicere licet aliquoi (sic scripsi, *liceret aliquo* P Pr.b, v. Chatelain p. 154, *dicet aliquotis* M m. 1.)*: liquet mihi inmundissimos fuisse.*

uno loco *quoius* nunc restituitur, qui sic scriptus est in N: de benef. VII 19, 7: *proposuisti enim mihi phalarit et* (sic N, in *phalarim et* mutavit p. c. et m. 2. [v. supra p. 17], quod et ipsum R habet) *tyrannum* (sic R, *tyrrannum* N, sed priorem *r* lineola obliqua transfixit p. c.) *quorum si naturam intra se habet malus, quidni ego isti beneficium suum reddam, ne quid mihi cum illo iuris sit amplius? quorum* igitur in *quoius* mutari iussit Gertzius. atqui huius formae exempla Augusti aetati posteriora vix invenientur[22]). porro cum in eodem hoc capite (§ 5) Seneca dixerit: *sed ferus, sed immanis, qualis Apollodorus aut Phalaris* et iisdem fere verbis de ira II 5, 1: *qualis fuit Apollodorus aut Phalaris,* multo probabilius Erasmus[23]) in editione secunda scripsit: *mihi <Apollodorum et> Phalarin tyrannum.* patet tamen, cum in NR post *phalarim* vocula *et* adiecta sit, inversum nominum ordinem *Phalarin et <Apollodorum>* praeferendum esse. deinde quod ad vocabulum *tyrannum* attinet, id aut ab ipso Seneca additum est, ut tyrannum ab aliis Apollodoris distingueret[24]), aut — ad quam sententiam magis inclino — a nescio quo primum supra scriptum, deinde a librario aliquo perperam in orationem receptum, sicut ep. mor. XX 3, 6 in codice F infra nomen *pyrri* vocabulum *rex* scriptum videmus[25]), ad Marc. 13, 3 post nomen *Persen* etiam A haec habet: *incliti regis nomen,* quae iam Pincianus expulit, alibi denique nota *pro,* i. e. *proprium nomen,* similes turbas excitavit[26]). quod si hic quoque factum est, ipsum nomen explicationi cessisse patet. sic igitur hunc locum constituo: *Phalarin et Apollodorum [tyrannum], quorum si naturam intra se habet malus* e. q. s.

[22]) v. Neuius II 227 et Mommsenus, *Zwei Sepulcralreden* in commentationibus academiae litterarum Berolinensis anni 1863 p. 465. excipio, ut par est, Frontonem similesque scriptores.

[23]) idem in codice Henkiano recentiore legi, cum Fickertus eius notam uncinis saepserit, certum non est.

[24]) obstat quod duobus locis supra allatis hoc necessarium non esse putavit Seneca.

[25]) ed. Buecheler p. 61, 8.

[26]) v. p. 18 adn. 14. similiter *Pstilistas*, quod ep. mor. V 11, 13 codices A et Arg. b pro φιλήτας praebere supra (p. 57) dixi, ex *stilistas*, supra quod *pro* compendio noto scriptum (= proprium) legebatur, ortum esse puto.

sed plura etiam formarum vetustarum exempla in Senecae libris reperiuntur, quas cum cunctas hic colligere in animo non sit, breviter tantum attingam. sic aliquot locis servata sunt: *voltus, volnus, volgus, servos*[27]*), saevom*[28]*), vortices*[29]*), mavolt,* similiaque[30]); alibi leguntur: *gnatus, coniunx, thensaurus, audaciter*[31]), denique *pluris, omnis, stantis* (acc.) taliaque.

simile est quod haud raro formae non assimilatae velut: *conligo, adpeto, inpello* apparent, cum tamen etiam assimilatae inveniantur. qua de re alii editores aliter iudicarunt. nam cum veteres, Erasmum dico, Muretum, Gruterum, Lipsium, Gronovium, ut mos erat illorum saeculorum, haec parum curassent, Fickertus[32]), qui primus codicibus, quantum poterat, via ac ratione usus est, non solum ea quae in iis invenerat recepit, sed aequabilitatis studio ductus ubique praepositionum formas non colliquescentes posuit. hunc ita secuti sunt Haasius (vol. II p. V, vol. III p. XV)

[27]) hoc de benef. III 19, 2 pro *servus* in N scriptum est, sed postea a primo correctore in vulgarem formam mutatum. non memoratur haec scriptura in exemplari Gertziano.

[28]) v. Windhaus l. c. p. 28.

[29]) v. quae adnotatione 19 dixi.

[30]) ep. mor. XX 7, 16 *quos* non in *equus,* sed in *equos* mutandum esse arbitror. plures eiusdem generis formae quam in Senecae codicibus exstant servaverunt Frontini, scriptoris Seneca aetate inferioris, libri manu scripti, quantum quidem ex duorum capitum libri quarti recensione a G. Gundermanno commentationi suae *De Iuli Frontini strategematon libro, qui fertur, quarto* (*Commentationes philologae Ienenses* vol. I, Lipsiae 1881) inserta perspicitur.

[31]) vocabulum *mage*, quod nat. quaest. II 27, 3 optimorum codicum consensu confirmatur, sed post Haasium et Hauptium *Opusc.* II 332 a Madvigio II 439 damnatum est, fortasse servare licet. neque enim apud poetas tantum reperitur, sed Ciceronem quoque eo usum esse Servius ad Aen. X 481 tradidit. quin etiam Seneca ep. mor. XV 3, 27 voce *remediabilis* usus est, quamquam in iisdem epistulis XIX 5, 5 Maecenatem qui *inremediabilis* scripserat vituperavit. nam *remediabilis* ex *emendabilis* corruptum esse quis credat Madvigio (II 499 adnot.)? verbum *remediandi* cum crebrum sit in Scribonii Largi compositionibus medicamentorum, quem et ipsum Claudio imperante scripsisse constat, proprium sermonis medicorum illius aetatis videtur fuisse. vocabulo *inremediabilis* etiam Plinius nat. hist. XXV 152 usus est.

[32]) praeiverat ei iam Schweighaeuserus in epistularum editione Argentorati a. 1809 emissa vol. II p. 257sq., quamquam non prorsus sibi constitit.

et Gertzius in editione librorum de clementia et de beneficiis, ut non multum ab via, quam ingressus ille erat, deflecterent. in nuperrima tamen dialogorum Mediolanensium editione aliquanto magis Gertzius se ad libri A scripturas applicavit (v. praef. p. XXIII). contra Kochius (edit. dialogorum praef. p. XXVII sq.) in formis assimilatis certas sibi imposuit leges, quae non multo propius ad codicem Ambrosianum accedant quam Fickerti ratio. denique Buechelerus in editione aliquot epistularum in rebus orthographicis prorsus se Bambergensi et Argentoratensi addixit. in tragoediis Peiperus et Richterus eodem fere atque Fickertus Haasiusque modo rem administrarunt, Leo[33]) in verbis compositis Etruscum, qui pauciores quam ceterorum Senecae librorum codices formas non assimilatas habet, expressit, non item in accusativis pluralis in *-is* terminatis et in aliis quibusdam. quae cum ita sint, ad monumenta Senecae temporibus lapidibus vel aeri insculpta confugiendum esse patet. optime autem, quo modo iis in tali quaestione utendum sit, Th. Mommsenus[34]) docuit exemplo vocis *collegium,* quae sexcenties in actis fratrum Arvalium legitur. eius verba sunt haec: *iam intellegitur antiquam formam conlegii immutatam esse sub finem imperii Augusti vel principia Tiberii, Claudium autem, ut erat vetusti sermonis amator, ad illam rediisse.* sed latius etiam hunc usum patuisse ex eorundem actorum fragmento perspicitur, quod idem memoravit, Nerone imperante a. 59 p. Ch. exarato[35]). in hoc enim omnibus tribus locis *conlegi* extat. porro in Claudii oratione Lugudunensi invenitur: *appellitavit, appellatus, optinuit, commemorem, imperium, communicatos, immobilem,* sed *adprobare, in ad sueto* (sic divisim scriptum) et in decreto de Anaunis *allecti,* sed bis *adtributam.* itaque patet Senecae temporibus hunc usum ita fluctuasse, ut etiam tum multo in usu essent formae non assimilatae, sed praevalerent assimilatae. iam cum eandem rationem codices dialogorum, librorum de beneficiis et de clementia, epistularum antiquissimos sequi videamus neque necessarium sit credere ad prorsus severam normam Senecam se

[33]) praef. vol. II p. VII sq.

[34]) *Observat. epigraph.* VII in *Ephem. epigr.* I p. 79sq. doleo quod Ios. Dorschii commentatio *Assimilation in den Compositis bei Plautus und Terentius* edita Pragae 1887 in libro *Prager philologische Studien* fasc. I eo demum tempore in manus meas venit, quo haec iam prela exercebant.

[35]) apud Henzenum *Acta fratrum Arvalium,* Berol. 1874, p. LVII.

applicavisse[36]), omnium editorum optime a Buechelero rem institutam esse patet. ceterum quamquam concedo alicubi librariorum socordia formas non assimilatas cessisse assimilatis, illas pro his positas esse aut numquam aut rarissime crediderim. itaque ibi quoque, ubi prima manu non assimilatae in assimilatas mutatae sunt, aut ubi alii codices paullo minoris illi quidem pretii vel paullo recentioris aetatis soli illas exhibent[37]), non assimilatas — id quod non fecit Buechelerus — retinendas esse existimo.

aliquanto pauciores quam in solutae orationis scriptis in tragoediis formae non assimilatae supersunt. in quibus admittendis quod Leo codicem E secutus est recte egit. recentiores enim sunt ceteri libri omnes Senecae tragoedias complexi, quam ut his in rebus ulla eorum auctoritas esse possit. improbo tamen quod ille formas quasdam solis fragmentis Ambrosianis servatas velut Med. 209 *adficta,* 232 *inmisso,* 255 *adflictum* non recepit, praesertim cum Studemundus in epistula ad eum data et post praefationem typis expressa (p. XVIII) quam liber ille codex ceterorum vitiis orthographicis sit monuerit.

ex iisdem inscriptionibus, quas supra in auxilium vocavi, alia quoque lucramur. cum enim in edicto de Anaunis TAM· ET· SI legatur, sed ALIQVAMDIV, ISQVE, QVIQVE, NOMINAQVE et in tabula Lugudunensi POST· MODO, QVAM· VIS, IN· AD· SVETO, sed OMNISQVE, MVTATOQVE, TRIBVNOSQVE, PLVSQVAM et similia, non ubique *etiam si* et talia divisim scribenda esse apparet. codicum vero nostrorum vestigiis si hac in re insistamus, vix sperare licet nos pristinam scribendi rationem assecuturos esse. ad unum enim omnes fluxerunt ex libris litteris maiusculis et continua scriptura exaratis[38]). — sed alia quoque in titulis illis extant ei qui artem criticam in Senecae

[36]) similis et in hac re et in aliis ratio est orthographiae Suetonii librorum de vita Caesarum, de qua optime C. L. Rothius edit. p. XXXVI. ne naturalium quidem quaestionum scribendi ratio, quarum nullus codex innotuit saeculo duodecimo vetustior, multum ab ea quae est in reliquis Senecae libris recedit.

[37]) v. specimen editionis epistularum a Buechelero emissum p. 62, 11 *adtendere* G et 63, 2 *conprimi* G.

[38]) v. Peiperi et Richteri indicem orthographicum tragoediarum editioni adiectum p. 576 et quae Gertzius dixit praef. edit. dialogorum p. XXII.

libris factitat cognitu non minus digna, in Anaunorum decreto: *apsentia, neglexserit, in possessionem*[39] *eius fuisse dicuntur, posteac, beneficio, beneficium, tanquam* (bis); in tabula Lugudunensi: *quod* (= quot)[40], *pluris* (acc.)[41], *res p., rei p.*[42], *divom,* ex titulis fratrum Arvalium: *incolumenque, salvom.*

in vocabulis Graecis et in nominibus propriis ex eadem lingua petitis Seneca formas Graecas Latinis ubique fere praetulit. quam rationem eum non in tragoediis modo et carminibus, sed etiam in solutae orationis scriptis tenuisse videmus. nam cum Plauti temporibus, quibus Romae nondum magna linguae Graecae peritia erat, Graeca usui Latino ita accommodarentur ut non *Calchantis,* sed *Calchae,* non *Patrocles,* sed *Patricoles* taliaque et dicerentur et scriberentur, paullatim crescente doctrina et Varronis[43], ut videtur, exemplo gravissimo res mutata est. itaque Cicero, etiamsi *Plato* similiaque habet, iam multo minus audax est in vocibus Graecis ad usum Latinum adaptandis, sed longe eum superant poetae,

[39]) hinc apparet, quam vetustum sit hoc vitium accusativi et ablativi inter se confusorum. cf. Böcking ad Gai inst. ed. V excurs. I.

[40]) hoc quoque exemplo docemur non tam recentes esse, quam vulgo opinantur, formas: *at, aliquit, quit, quod* et talia. quamquam permultas earum recentioribus temporibus in codices inductas esse non negaverim.

[41]) hic accusativus creber in omnibus Senecae libris mss. in E tragoediarum tam constans est in vocabulo *omnis* ut paucis illis locis, ubi *omnes* extat, illud corrigendum videatur, praesertim cum a librario pro nominativis singularis *omnis* et *incolumis* (Herc. Oet. 248, 295), quos accusativos pluralis in *-is* terminatos propter vicinas voces *vultus* et *preces* opinabatur, *omnes* et *incolumes* positum sit. add. Herc. Oet. 1207, 1451. quare non recte a Leone omnes hac formae, quamquam ipse genuinas eas esse suspicabatur (II p. VII), spretae et in adnotationem reiectae sunt. nam quod hanc rationem legentium commodis profuturam esse existimat, haud sibi constitit, cum alia ut *perit* pro *perît* tironibus non minus difficilia servaverit. addo in rebus gestis divi Augusti VI 4: *nepo[tesque omnis misit]* non *omnes* supplendum videri, cum etiam V 32 legatur *omnis,* nusquam accusativus *omnes.*

[42]) ut unum exemplum afferam, de tranq. an. 5, 2 sq. A secundum Gertzium et Kochium *dere P.*, *ere P.*, *res .P.* habet.

[43]) hoc Plinius tradidisse videtur in librorum dubii sermonis sexto apud Charisium inst. gramm. p. 53, 17 K. ex veteribus de his formis dixit Quintilianus inst. orat. I 5, 58 sq., ex recentioribus de iis egerunt Neuius, *Formenlehre*[2] I p. 31 sq. et 121 sq., Corssenus, *Ueber Aussprache* etc.[2] II p. 813 sq., Iordanus, *Kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache* Berol. 1879 p. 1 sq., qui priscam tantum latinitatem curavit.

qui Augusto imperante ad exemplaria Graeca carmina Latina fingebant. eandem rationem Seneca in solutae quoque orationis libris secutus est[44], cui ut in aliis multis rebus sic in hac pater praeiverat scribendo: *Antiphon, Euctemon, Baros,* alia. in tragoediis vero, quarum argumenta quoque huic studio faveant, eo progressus est ut in Troadum chori cantico tertio inter quadraginta tria nomina undetriginta Graecas terminationes habeant. eadem de causa factum est ut plerumque formam *aera* raro *aerem* poneret[45], ep. mor. XIX 5, 17 *Panhormitanos* scriberet, nominum Latinorum formas Graecas *Sylla* et *Tyrannius* (de brevit. vit. 20, 5), quas editores ex codicibus non receperunt, Latinis *Sulla* et *Turannius* praeferret. quin etiam frequenti lectione Homeri et aliorum fortasse poetarum epicorum evenit ut quibusdam locis formas Ionicas velut *Trechina* (Herc. Oet. 135 sic Σ, *Trochina* E, *Trachina* adhuc) et *Megaren* (ibid. 903 *Megere* E, sequitur *nempe, Megaram* adhuc, quod correxi) vulgaribus praeferret[46]. contra Trach. 517 *Cephallanum* extat, quae forma, si codices vetustissimos sequimur, aliis quoque scriptoribus usitatior videtur fuisse quam ea, quae vulgaris dicitur, *Cephallenes.* iam vero vix, puto, quisquam mirabitur, si contendero Thyest. 872 *Cynoscyra,* quod E pro vulgta scriptura *Cynosura* habet, in *Cynosoyra* i. e. Κυνόσουρα mutandum esse[47] et ep. mor. XII 1, 14 *trahitiae* in P (v. Chatelain p. 146)

[44]) v. supra p. 61. idem alii fecerunt velut Hyginus et Ammianus Marcellinus, quibus formam *Spartoe* = *Sparti* iure reddidit M. Hauptius *Opusc.* III p. 411. non minus certa est Gertzii emendatio, qua apud Senecam de ira III 20, 2 codicis A scripturam *mac robidae* (*macrobide* L, *macroide* P), quae antea in *Macrobii* vel *Macrobiotae* mutabatur, in *Macrobioe* correxit. itaque miror quod ad Helv. 9, 8 formam *Aegyptos,* quam codicem A secutus in *Disquisitionibus de Senecae filii scriptis criticis* p. 4 adn. 2 commendaveram, recipiendam esse negavit. eadem reperitur in Hadriani nummo notissimo delineato in Millinii libro qui inscribitur *Galérie mythologique* tab. LXXXVII nr. 376.

[45]) v. Haasii praef. ad vol. II p. VI.

[46]) contraria igitur haec ratio est atque Plauti et Terentii, quos *Aleos* non *Eleos* et talia scripsisse notum est. simile vero est, quod C. I. L. III 1139 *Priepo* legitur in titulo anno p. Ch. 235 exarato et Albae Iuliae reperto.

[47]) merito O. Iahnius apud Florum I 41 codicis B scripturam *a et erythrean* in *Eleythernan* videtur mutavisse. ceterum *ou* pro *u* non modo in rei publicae liberae inscriptionibus invenitur (C. I. L. p. 608), verum etiam in titulo graecissante Septimii Severi (C. I. L. III 218) *tribouniciae* et similia haud pauca leguntur. alia exempla videsis in indicibus vol. II p. 778 et VII p. 345.

non temere pro *Thraciae* scriptum esse, sed *Thraiciae* in eo latere, in quo Graecum ι subscriptum, quod dicitur, adscriptum sit[48]). nam hac quoque in re considerandum est Senecae temporibus Claudium imperatorem ex lingua Graeca cum alia in Latinam induxisse, tum diphthongum *ai* pro *ae* scribi iussisse[49]).

iam liberae rei publicae temporibus i, quae longa dicitur[50]), usum obtinuisse inter omnes constat. quae cum nihil aliud sit nisi I vulgaris formae, cum qua apex ad vocalis productionem significandam impositus[51]) coaluerit, consentaneum est eius locum non esse, nisi ubi i sive natura sive positione longa sit, aut, id quod simile est, consonantis vice fungatur. talis eius usus est cum in aliis multis titulis, tum vero in oratione funebri Turiae et in rebus gestis divi Augusti, in quibus apices quoque frequenter occurrunt. at neque in his neque in inscriptionibus Senecae aetate incisis quadratarii prorsus sibi constiterunt, verum haud raro vulgarem litteram pro longa exsculpserunt aut longam ubi non requirebatur posuerunt. postea vero hic usus tantopere degeneravit ut et alibi et in titulo Malacitano notissimo Ĭ et I promiscue ponerentur saepeque Ĭ non alias ob causas posita esse videatur quam litterae H, T, E, F, Y reliquarum litterarum magnitudinem superantes[52]). iam quamvis in inscriptionibus Claudianis

[48]) similes formae de benef. V 6, 1 in quibusdam Fickerti codicibus recentioribus (V G T) occurrunt.

[49]) Buecheler *De Claudio grammatico* p. 22. cf. Suet. Claud. 42.

[50]) de hac littera disputaverunt: Frid. Ritschelius in *Museo Rhenano* VIII p. 493, XIII p. 298, 378, 486 et *Priscae Latinitatis monumenta epigraphica* p. 124, Aemilius Huebner *Quaest. onomatol.*, Bonn 1854, p. 25 et 76, Guil. Schmitz *Beitraege zur lateinischen Sprach- und Literaturkunde* Lips. 1877 p. 82 sq., Guil. Corssen *Ueber Aussprache*[2] etc. I p. 19, Hugo Schuchardt *Der Vocalismus des Vulgaerlateins* Lips. 1866—68 III p. 189 sq., Guil. Brambach *Die Neugestaltung der lateinischen Orthographie* Lips. 1886 p. 2 et 184 sq., C. Guil. Moeller *Titulorum Africanorum orthogr.* Gryphisw. 1875 p. 33 sq., M. Hoffmann *Index grammaticus ad Africae titulos Lat.* Argentor. p. 16 sq. G. Weissbrodt in *Philologo* 1884 p. 444 sq.

[51]) sunt inscriptiones in quibus apex cum littera i non coaluerit: C. I. L. IV 1068 FADĬVM, V 337 QVĬ, FĬLIÓ, VĪVĪ, X 1081 ÁEDILĪ, add. exempla a Buechelero *De Claudio grammatico* p. 45: MAĬDIVS, p. 50 AGRIPPĪNAĬ et ab Aemilio Huebnero *Quaest. onomat.* p. 26 collecta.

[52]) simile est quod in titulis Africanis prima vocis *imperator* littera propter reverentiam nominis semper longa exaratur. v. Hoffmannus l. c.

et Neronianis i longa frequens sit et in accuratius incisis plerumque recte posita, tamen audacius dictum videretur Senecam in libris suis ea usum esse, nisi[53]) undecies (atque novies quidem recte: UĬLE, SACRĬ, ĬAM bis[54]), ĬUGIS, CUĬUS, KUĬUS[55]), MAĬOR bis; praeterea: OBĬCI et ĬNDICIUM) in quinque illis tragoediarum foliis rescriptis et nobilissimo Plauti codici Ambrosiano insertis (R apud Peiperum Richterumque et Leonem) appareret. quos quidem locos enumeravit Studemundus in apographo, quod est in editione Leonis (vol. II p. XVII). deinde in Bambergensi epistularum moralium codice multo illo quidem recentiore, sed saeculo nono vel decimo scripto scimus, postquam prodiit specimen editionis Buechelerianae, XIV 2, 1; 44; XV 1, 8 *dĭs* legi, XX 3, 19 *vatinĭ* atque adeo post dialogorum librum Ambrosianum a Kochio collatum ad Helv. 1, 3 *ĭnter cludat*[56]). repperi praeterea vocabulum *dĭs* eodem modo quo in Bambergensi

p. 17. cavendum igitur est ne ubique, ubi i neque producitur neque consonans est, quadratariorum imperitia eam positam esse putemus.

[53]) in iisdem fragmentis aliae litterae ceterarum normam egressae non ponuntur nisi in initio paginarum aut, quod rarius fieri solet, versuum.

[54]) Oed. 422 editores *tam*, quod est in reliquis codicibus, praetulerunt. sed cum *iam* ferri possit et quam proclivis error sit T pro i longa scribendi facile sit intellectu, vetustissimi libri auctoritatem sequi malim. cf. Studemundi adnotationem ad hunc locum. accedit quod haec littera alibi quoque ut Herc. Oet. 1610 turbas videtur excitasse.

[55]) litterae H in Annaeanis atque Plautinis eiusdem codicis foliis, in Terentii Bembino, in Vergilii codicibus Veronensi, Palatino 1631, Vaticano 3867, in Prudentii Parisino, in Sallustii historiarum fragmentis fere eandem esse formam atque nostrae K notum est. de eiusdem formae usu in titulis cf. Huebnerum *Exempla scripturae epigraphicae Latinae* p. LIX.

[56]) *inter cludat* nulla apicis mentione facta Gertzius scriptum esse tradit. ceterum v. Moeller. p. 35a et res gest. divi Aug. II 21 ĬN SALIÁRE· CARMEN, V 23 ĬN FĪNES atque adeo IV 49 ĬN· TEMPLĬS. in formis *bebīōtæ*, *bebĭōtæ* (ita p habet ep. mor. I 12, 18 pro βεβίωται, βεβίωται secundum Aemilium Chatelain) et *rē* (ita B ep. mor. XIV 4, 11 secundum Buechelerum) accentus veterum apicum vice fungi videntur. scimus enim ex Isidori etymologiis I 4, 18 saeculo sexto exeunte apicis iam non eam figuram fuisse, quae est in titulis, sed *lineam iacentem supra litteram aequaliter ductam*, cuius haec forma ^ lenis tantum modo videtur esse immutatio. eandemque vim uncinus ille in Medeae fragmentis Ambrosianis (v. 268, cf. *Senecae tragoediae rec. Leo* vol. II p. XXIII) secundo vocis *robur* elemento praepositus, qui non fugit Studemundi aciem, videtur habere. similis enim formae apices videre licet apud Buechelerum, *De Claudio gramm.* p. 43 notumque est eos non semper mediis litteris impositos esse.

scriptum quater in Nazariano de benef. VI 23, 7; 25, 4; 27, 5; VII 2, 4, ter in Reginensi VI 23, 7; 27, 5; VII 2, 4[57]). quos accentus, qui non raro in libris saeculo duodecimo vetustioribus reperiuntur[58]), iis locis positos esse, quibus in archetypis litteris maiusculis exaratis i longae erant, valde est verisimile. iam si quis ex tenuibus his vestigiis ubique Senecae i longas restituere velit, cum quo usque progrediendum sit nesciamus et inscriptiones, quas hac quoque in re sequi debemus, valde fluctuent, difficillimum nimirum hoc futurum sit. atqui persuasum habeo imprimis formas contractas ut *Gai, Bais, reliquis, is, audit,* (perf.), *quaesisse* similesque, in quarum quibusdam hodie quoque i pro ii positam esse non primo obtutu intellegas, i longas habuisse. nam in titulis i longa tam crebro litterae i ex duabus i contractae locum tenet[59]), ut fuerint qui eam ubique pro duplici i positam esse falso opinarentur[60]). unde sequitur in libris philosophiae *perit, audit* similiaque, quae perfecta esse ex sententiarum nexu perspicimus, non cum editoribus in *periit* et *audiit* mutanda esse, praesertim cum in tragoediis eaedem formae[61]) metro quoque confirmentur. itaque ut uno dialogorum Ambrosianorum exemplo defungar, his locis codicum scriptura -it pro -iit retinenda est[62]):

[57]) hoc loco accentus postea erasus est.

[58]) exempla quae extant in Festi codice Farnesino R. Reitzenstein collegit in commentatione quam inscripsit *Verrianische Forschungen* (*Breslauer philolog. Abhandlungen* vol. I fasc. IV) p. 88 adnot. 3.

[59]) ut pauca quaedam exempla afferam, apud G. Wilmannsium in *Exempl. inscr. Lat.* 611c leguntur VENEFICĪS et VĪS; in rebus gest. divi Aug. I 25 AVSPICĪS, 26 DĪS, III 23 MUNICIPĪS, 27 PROVINCĪS, IV 24 DIVĪ·IVLĪ alia; in edicto de Anaunis MARTĪS, CONTROVERSĪS, GAĪ, MVNICIPĪ, alia; in oratione Claudii RELIQVĪS.

[60]) iure his oblocuti sunt Mommsenus *Hermes* I p. 463 adnot. et Buechelerus *Lat. Decl.*[2] p. 72.

[61]) collectae sunt a Peipero et Richtero in indice orthographico p. 570. praeiverat hac in re Senecae iam Vergilius, de quo vide Ribbeckii prolegomena ad Vergilii opera minora p. 426. similiter *desse, derat, derrantes* pro *deesse, deerat, deerrantes* in tragoediis non solum, sed etiam in solutae orationis libris reperiuntur, velut *indst* (sic A m. 1.—2. secundum Gertzium) ad Marc. 23, 2, *derunt* de brev. vit. 17, 6 et similia. ex titulis petita exempla habes apud Buechelerum ad Petronium (ed. mai.) p. 67, 16.

[62]) etiam -i pro -ii positum est de brev. vit. 13, 3, ubi *audi* A m. 1. habet, *audivi* A m. 3. et ep. mor. VII 6, 9 *nihil laudi* p, *nihil audivi* editores, quo utroque loco saltem *audii* scribere debebant.

de ira II 34, 4: *quam saepe veniam qui negavit petit* (sic APL, *petiit* Gertzius).

III 36, 1: *natura patientes* (sensus) *sunt, si animus illos desit* (sic AP, *desinit* L, *desiit* editores) *corrumpere.*

ad Marc. 1, 7: *tertius iam praeterit* (sic AP, *praeteriit* vulgo) *annus, cum interim nihil ex primo illo inpetu cecidit.*

13, 2: *idem tamen* (Pulvillus), *ut redit* (sic AP, *rediit* F et editores) *domum, et inplevit oculos et aliquas flebiles voces misit et peractis quae mos erat praestare defunctis ad Capitolinum illum redit* (sic APF, *rediit* editores) *vultum.*

14, 3: *C. Caesar, cum Britanniam peragraret nec Oceano continere felicitatem suam posset, audit* (*aud it* A, *audit* P, *audiit* editores post Fickertum) *decessisse filiam publica secum fata ducentem.* et paullo inferius: *tamen intra tertium diem imperatoria obit* (*ob it* A, *obit* P, *obiit* editores) *munia et tam cito dolorem vicit quam omnia solebat.*

16, 5: *iam cum fortuna in gratiam, Marcia, reverteris, si tela, quae in Scipiones Scipionumque matres et filias exegit, quibus Caesares petit* (sic APF, *petiit* editores), *ne a te quidem continuit?*

20, 2: *haec* (mors) *est, quam pater tuus concupit* (*concupit* A m. 1.—2. secundum Gertzium, *concupiuit* P, *concupiit* editores).

21, 1: *nimis tamen cito perit* (ita AP, *periit* F et editores) *et inmaturus.*

24, 5: *imago dumtaxat filii tui perit* (ita AP, *periit* vulgo).

de tranqu. an. 2, 15: *fastidio esse illis coepit vita et ipse mundus et subit* (AP, *subiit* editores post Lipsium omnes) *illud tabidarum deliciarum: quousque eadem?*

16, 2: *si muliebriter et ignave perierunt, nihil perit* (ita A, *periit* libri recentiores et editores).

de brevit. vit. 15, 5: *transit* (*transit* A, quod secundum Gertzium alia manus in *transilit* mutavit, *transivit* codd. recentiores, *transiit* Fickertus, Haasius, Gertzius) *tempus aliquod, hoc* (sapiens) *recordatione comprendit.*

17, 5[63]): *iudex desit* (*desit* A, quod m. 1. in *desiit* mutavit) *esse, quaesitor est.*

[63]) in eadem paragrapho etiam *desimus* (*desimus* A, *desiuimus* A m. 3.) pro *desiimus* invenitur ut ad Helv. 10, 3 *repetimus,* quod cum Lipsio in *repetiimus* mutare non licet. *desimus* exstat etiam ep. mor. XIV 2, 31 in B m. 1.

20, 1: *quosdam, cum in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissent, misera subit* (sic A, *subiit* editores omnes post Muretum) *cogitatio laborasse ipsos in titulum sepulcri.*

ad Polyb. 10, 4: *cum visum est deinde, repetit* (sic B D E T, *repetiit* adhuc).

13, 2: *deprecatus est pro me senatum et vitam mihi non tantum dedit, sed etiam petit* (sic B E H, *peciit* T P, *petiit* vulgo).

ad Helv. 19, 6: *neminem provincialem domum suam admisit, nihil a viro petit* (sic A, *petiit* editores), *nihil a se peti passa est.*

praeterea etiam aliis dialogorum Mediolanensium locis similes formas extitisse et per se verisimile est et eo probabilius fit, quod prima manu vel secunda[64]) vel tertia[65]), cum librarii perfecta illa esse nescirent, -i satis frequenter in -ii mutata est. atque adeo sunt loci quibus turpiter hac in re erratum sit velut de brevit. vit. 14, 4, ubi in A pro adiectivo *miseris* utique necessario *miseriis* scriptum legitur et ad Helv. 9, 4, ubi ille *mytileniis* pro *Mytilenis* habet. ut autem in tabula Lugudunensi praeter formas contractas semel *imperii* invenitur, ita mirandum non est quod in A haud paucae formae non contractae apparent. nam et passim *dii* et *diis,* quae Kochius omnibus locis in *di* et *dis* mutavit, reperiuntur et *Metilii* (ad Marc. 16, 8) similesque formae extant, quas, cum pars quidem genuina esse possit, omnes retinere quam temere mutare satius duco. si quis vero has litteras olim non vulgari modo scriptas nostra quoque in litteratura distinguere velit, sive apicem, quae est Mommseni in titulis transscribendis ratio[66]), litterae i imponere potest, sive accentu circumflexo, qui dicitur, huius formae ^ uti, quae iam in codice Nazariano librorum de beneficiis et de clementia saeculo octavo exarato (v. supra p. 14) conspicitur.

sed alias quoque turbas easque maiores eadem haec littera excitavit. quia enim in monumentis Senecae aequalibus ut in edicto de Anaunis ter IS pro IIS incisum est, eum eadem hac forma, quippe quae littera i supra reliquarum modulum producta a nominativo numeri singularis eiusdem pronominis facile distingueretur, in libris suis usum esse veri videtur simillimum. at in

[64]) de hac vide quae Kochius p. XV sq. et Gertzius p. X sq. disputaverunt.

[65]) v. Kochius p. XXI sq, Gertzius p. XXIV sq.

[66]) cf. Quintilianus inst. or. I 7, 3.

codicibus nostris *hi* et *his* etiam ibi invenimus, ubi nullus pronominis *hic* locus esse potest, sed unice aptum est *is.* bene autem Senecam cognitum habuisse quomodo pronomina *hic* et *is* inter se differrent et per se est probabile et ex iis formis, quibus h addere non tam proclive erat, apparet. eius generis exempla sunt haec: de prov. 4, 7: *hos itaque deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet, eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat.* de const. sap. 17, 3: *si hoc potuit ille duritia oris, qui assiduis conviciis pudere dedidicerat, cur is*[67]) *non possit, qui studiis liberalibus et sapientiae cultu ad aliquem profectum pervenerit?* de ira I 12, 5: *praerapida* (ira) *et amens ut omnis fere cupiditas ipsa sibi in id, in quod properat, opponitur.* de brevit. vit. 8, 4: *dicere solent eis, quos valdissime diligunt, paratos se partem annorum suorum dare.* mendum autem illud ita ortum est ut librarii formas *i* et *is,* quae in scriptura minuscula i longam iam non habebant, littera h, quam etiam alibi ex arbitrio et addebant et demebant, praeposita in usitatiores *hi* et *his* mutarent. quae prava scriptura quamquam iam in recentioribus libris et ab editoribus nonnullis, qui male ubique *iis* scripserunt, alicubi correcta est, usque ad Fickerti Haasiique exemplaria fere obtinuit ac ne ex recentissimis quidem editionibus prorsus expulsa est. id quod mirandum non est, quia tam vetustum hoc vitium est ut iam in legibus Malacitana et Salpensana commissum sit[68]). tenendum tamen est eas,

[67]) quamquam haec forma raro aspirationem passa est, tamen inveniuntur loci ubi etiam pro nominativo numeri singularis pronominis *is* male positum sit *his* ut apud Apuleium metam. IV 14 (p. 65, 20 ed. Eyssenh.) in codice F. quare apud Iustinianum inst. I 10, 12, ubi vulgo *cum his etiam incertus est,* legitur, malim scribere: *cum is etiam incertus est* (cf. οὗτος apud Theophilum qui dicitur). eadem fere verba Gaio I 64, quem compilat Iustinianus, probabili coniectura Goeschenus restituit.

[68]) exempla ex iis collecta sunt a Guil. Weissbrodt in *Indice lectionum Braunsbergensium* a. 1878 mense octobri edito. alia idem ex digestis, institutionibus, codice profert, quibus adde ea quae Th. Mommsenus ex Livii codice Veronensi in *Commentationibus academiae Berolinensis* a. 1868 p. 174 et Guil. Studemundus ex Gai libro Veronensi in apographo eius Lips. a. 1874 edito collegerunt. quae cum ita sint, nemo mirabitur alios quoque scriptores iisdem mendis scatere velut Quintilianum, apud quem quamquam multa in Halmii et Meisteri exemplaribus sublata sunt (inst. orat. II 5, 8; 8, 13; 17, 2 [bis]; 9; 17; III 2, 2; 4; 5, 1 [bis]; 13; passim per reliquos libros) tamen adhuc corruptus est locus X 1, 128: *aliquando ab his quibus inquirenda quae-*

quamquam Senecae aetate non multo inferiores sunt, in provincia exaratas esse. ex editoribus solus Buechelerus in septem epistulis a se editis hanc quoque rem recte administravit. patet autem nullam plane codicum in his formis auctoritatem esse, sed omnibus locis ubi *hi* vel *his* habeant, sed formae pronominis *is* ex usu Senecae diligenter observato necessariae sint, *i* et *is*, non *ii* aut *iis* restituendas esse. iam cum non primo statim obtutu intellegatur utrum forma non aspirata an aspirata apta sit, duodecim dialogorum eos locos, quibus *i* vel *is* scribendum esse existimo, hic indico: de prov. 2, 3; 3, 10; de const. sap. 4, 2; 13, 4; 14, 4; de ira I 14, 2; II 3, 1; 6, 2[69]); 29, 1; III 12, 4; 22, 5; 28, 3; 34, 2; ad Marc. 20, 1; 22, 3; de tranq. an. 10, 5; de brevit. vit. 7, 5; 6; 10, 2; ad Helv. 5, 6. porro omnibus iis locis quibus ante *hi qui* aut *his qui* persona vel res aliqua memoratur ad quam pronomina illa pertineant vel quibus pronominis *is* vis demonstrativa non sufficere videtur velut de ira II 2, 2; III 31, 3; 35, 5[70]) *hi* et *his* servanda esse pro certo haud affirmaverim. nam de brevit. vit. 10, 2, etsi eadem huius loci ratio est atque illorum, *is* Ambrosiani auctoritate confirmatur neque in his minutiis scriptores prorsus sibi constitisse crediderim. *hii* vero et *hiis* librariis deberi et ubique in *ii* et *iis* mutanda esse nemo negabit.

VII.

Observationes de singulis locis criticae.

Oed. 642: *te, te cruenta sceptra qui dextra geris,*
te pater inultus urbe cum tota petam
et mecum Erinyn pronubam thalami traham
traham sonantis verbera (sic E), *incestam domum*
vertam et penates impio Marte obteram.

dam mandabat (v. *Hermes* XVII p. 365 adn. 1) et alii haud pauci. nam Quintilianum Ciceronis imitatorem nesciisse quomodo *is* et *hic* differrent nemo mihi persuadebit. contra apud scriptores historiae Augustae et alibi formae *hi* et *his* recte defendi videntur atque in libris exeuntis antiquitatis mediique aevi talia ubique retinenda sunt.

[69]) *peior his* est in A, sed *his* scripsit m. 5., postquam ea quae m. 1. scripserat ita delevit ut iam nihil dispiciatur. *peior his* P quoque habet. *peior hiis* in L a Gertzio inspecto legitur.

[70]) simili loco qui est ep. mor. XIV 4, 4 Buechelerus retinuit: *in his erit beata vita, sine quibus non erit.*

verba sunt umbrae Laii a Tiresia vocatae, in quibus aperte corruptum est versus 645 initium. iure autem nuperrimus editor triste nondum sanatae corruptelae signum ei apposuit. nam neque virorum eruditorum coniecturae satisfaciunt, neque ea quae in interpolatae recensionis (A) codicibus extant: *et mecum herines* (unde Avantius *Erinnes*) *pronubas thalami traham, traham sonantes verbera* quicquam auxilii afferunt. nonne olim fuit: *torvam sonantem verbera? torvam* iam supra (v. 590) poeta Furiam appellavit. quod vocabulum ob simillimum et propinquum *traham*[1]) facillime in id quod E habet depravari poterat. *sonantem* autem librarius, cum noto errore ad *thalami* pertinere putavisset, in *sonantis* mutavit.

Oed. 906: — *in ponto manus*
movit implicitas puer (Icarus)
audacis viae comes audax.

duplici modo in E corruptus est versus 908. nam et abundat *audax* illud, quod a librario aliquo adiectum esse nemo non videt et intolerabilis est primo loco positus spondeus et secundo trochaeus. at friget quod L. Muellerus excogitavit *compos audacis viae* et solita felicitas Buechelerum *compede a. v.* conicientem destituit, quia neque alae apte *compes viae* dici videntur, neque quomodo verborum ordo turbatus sit intellegitur[2]). aegre vero, cum Seneca ceteris in rebus fere totum se hic quoque ad Ovidianam fabulae narrationem (met. VIII 183sq.) applicaverit, praeceptorum volandi a patre filio datorum, sed ab eo neglectorum mentionem desideres. itaque scripserim: *haud viae docilis comes. docilis viae* dictum est ut *docilis modorum, pravi,* similia. cuius constructionis ignarus cum librarius aliquis verborum ordinem sic invertisset: *haud docilis viae comes,* postea, id quod

[1]) etiam h et r litterae facile confundi poterant, cum in scriptura saeculi quinti ineuntis qua fragmenta Ambrosiana exarata sunt litterae h haec forma K esset.

[2]) nusquam, quod sciam, Seneca in tragoediis participium *implicitus* cum casu ullo coniunxit. v. Oed. 640: *implicitum malum,* Ag. 896: *hostem quaerit implicitus suum,* apocoloc. 5, 3: *vocem raucam et implicatam,* ep. mor. XVIII 6, 18: *inplicita solvere.* implicitas autem manus ideo ille dixit, quia alae taeniis per manus, bracchia, pectus circumductis corpori et patris et filii alligatae erant. ostendit hoc nobilis pictura Pompeiana a C. Roberto in *Ephemeride archaeologica* anni 1877 (XXXV) tab. I edita (= Baumeister *Denkmaeler* vol. II tab. XXII) et luculentissime enarrata.

saepissime in R et E factum esse videmus, littera aspirata evanuit et *audocilis* mutatum est in *audacis*.

Agam. 484 Eurybates procellam, qua Graecorum Troia redeuntium classis oppressa erat, describens ventos omnes enumerat, quorum alter altero vehementius saevierit. ultimo vero loco vehementissimum ponit Corum, de quo haec dicuntur:

quid rabidus ora Corus Oceano exerens?
mundum revellit sedibus totum suis
ipsosque rupto crederes caelo deos
decidere et atrum rebus induci chaos.

displicet interrogatio illa, cuius similem apud Senecam vix reperias. una littera mutata elegans et concinna oratio existet: *quin – – – – exerens mundum revellit* e. q. s. v. Thyest. 990, ubi enumeratis aliis prodigiis ultimo loco hoc describitur, *ipse quin aether gravis inter diem noctemque desertus stupet.*

Herc. Oet. 30 in tumoris et impudentiae plena oratione, qua Hercules a Iove aut nova pericula aut caelum expetit, haec extant:

– – – si negat mundus feras,
animum coercam, redde nunc nato patrem
vel astra forti.

vocem *coercam* iam Etrusci librarius posito supra litteram *a*[3]) corruptelae quodam signo depravatam esse significavit. pro qua quod in A substituitur *noverca,* satisfacere non potest. legendum videtur: *coerce,* quod ideo depravatum esse puto, quia in archetypo Etrusci alterius recensionis lectio, ut saepius usu venit, hoc fere modo appicta erat: *coercē.* hinc omissis vel non intellectis litteris *n* et *u* monstrum illud verbi effecit librarius. potest tamen etiam sic illud ortum esse ut is qui variam lectionem addidit festinanti calamo *am* tantum modo enotaverit. sed quocunque modo corruptela nata est, valde favet invento nostro similis locus eiusdem tragoediae (262): *vel si ferae negantur, hanc animam, precor, converte in aliquod.*

Herc. Oet. 465: *quas Pontus herbas generat aut quas Thessala*
sub rupe Pindus aluit ubi inveniam malum,
cui cedat ille?

[3]) nolo premere supra hanc ipsam litteram illud signum positum esse, etsi idem v. 600 ei vocabuli *auia* litterae imponitur, quae corrupta est.

sunt haec Deianirae de Hercule verba. patet autem versum 466 qualis codicibus traditus est, gravi vitio laborare. quod nondum sublatum esse iure significavit Leo. nam Bentleii quoque coniectura *alit ubi,* quae optima est prolatarum[4]), eam ob causam improbanda est quod vix credibile est *alit,* praesertim cum praesentis temporis forma *generat* praecedat, in *aluit* mutatum esse. itaque voculam *ubi,* tanquam additamentum hominis alicuius, qui ignarus erat usus Senecae saepissime interrogationis particulas omittentis, eiciendam esse puto. talibus interpolationibus ne E quidem liberum esse undecimus Herculis prioris versus aliaque exempla ostendunt. iam sic constitutus est locus ut verbum *inveniam* initio alterius interrogationis positum eximiam quandam gravitatem habeat:

quas Pontus herbas generat aut quas Thessala
sub rupe Pindus aluit, inveniam malum,
cui cedat ille? (cf. Med. 707. 723).

Herc. Oet. 1316. iis qui praecedunt versibus frustra rogavit Hercules Iovem et Minervam ut se doloribus atrocissimis liberent. iam ad Iunonem preces suas convertit:

– – supplices tendo manus
ad te, noverca, sparge tu saltem, precor,
telum (perire feminae possum manu)
iam fracta, iam satiata — quid pascis minas?
quid quaeris ultra? supplicem Alciden vides,
et nulla tellus, nulla me vidit fera
te deprecantem. nunc mihi irata pater
opus est noverca — nunc tuus cessat dolor?
nunc odia ponis?

corrupta verba *irata pater* — quid enim in precibus ad Iunonem effusis sibi vult Iovis invocatio? — mutaverim in *irato patre.* nam in novercae nomine irae et saevitiae notio nunquam non inest (cf. v. 271) et Hercules Iovem sibi iratum putat, quod se neque tutatus neque precibus suis ut se interficeret obsecutus sit. iam antequam eum rogaret ut se occideret, de eo haec dixit (1304): *sive crudelis, pater, sive es misericors.*

v. Leo *Observat.* p. 30. simile quoddam signum quod in codice F prioris epistularum partis reperitur supra p. 38sq. memoravi.

[4]) v. *Annales philologi* 1882 p. 491. in eandem coniecturam iam ante quam innotuit R. Peiperus incidit.

Herc. Oet. 1831: HYL. *debitos nato quidem*
compesce fletus, mater Alcidae incluti.
non est gemendus nec gravi urgendus prece,
virtute quisquis abstulit fatis iter:
1835 *aeterna virtus Herculem fleri vetat.*
[fortes vetant maerere, degeneres iubent.]
ALCM. *sedabo questus vindice amisso parens?*
HYL. *terra atque pelagus quaque purpureus dies*
utrumque clara spectat Oceanum rota.
1840 ALCM. *quot misera in uno condidi nato parens?*
regno carebam, regna sed poteram dare. e. q. s.

sic verba poetae corrupta constituit Leo, qui post versum 1837 nonnulla excidisse putat et hacc fere scribi vult: <*non sola maeres*>*: vindice amisso dolent,* quod ad sententiam attinet, rectissime, sed faciliore, ni fallor, hac emendatione uti licet:

ALCM. *sedabo questus? vindice amisso dolent* (vel fortasse adeo *carent*)
terra atque pelagus quaque purpureus dies
utrumque clara spectat Oceanum rota.
quot misera in uno condidi nato parens? e. q. s.

sedabo questus interrogationem esse iam diu intellectum est. *carent* in simile vocabulum *parens* paulo facilius mutari poterat quam *dolent,* quamquam versus 1840 illo ipso terminatur. verba autem illa *terra – – – – – rota* in E — nam altera recensio ea Alcmenae continuat — Hyllo tum demum tributa sunt, cum *dolent* aut *carent* iam in *parens* corruptum esset. deinde is qui hoc fecit oblitus est significare a versu 1840 Alcmenae orationem denuo incipere. regionem vero, *qua purpureus dies utrumque Oceanum clara rota spectare* dicitur, Hesperidum insulam esse existimo.

transitum a tragoediis ad prosac orationis scripta Annaeana munit divi Claudii ἀποκολοκύντωσις, cuius unicum hunc locum habeo quem hic corrigam. — acriter invehitur in senatu caelesti divus Augustus in Claudium, ne inter deos recipiatur (11, 2):

C. Caesarem non desiit mortuum persequi. occiderat ille socerum: hic et generum. Gaius Crassi filium vetuit Magnum vocari: hic nomen illi reddidit, caput tulit.

non puto dici posse *caput ferre* pro eo quod est *caput praecidere.* ut autem, quod fieri vix posse credo, prorsus similia huius usus exempla proferantur, pessime verbo simplici compositum *reddidit* opponitur. sed viam veri inveniendi optimus codex S monstrat. qui cum vocabulum *caput* hoc compendio: *capt* exaratum habeat, quid facilius ante *tulit* excidere poterat quam praepositio *aps-*? scripserat igitur Seneca: *nomen illi reddidit, caput apstulit.*

de const. sap.[5]) 9, 1: *aliorum omnium non consilia, sed fraudes et insidiae et motus animorum inconditi sunt, quos casibus* (sapiens) *adnumerat. omne autem fortuitum circa nos saevit et in vitia.*

cum probare studeat Seneca sapientem iniuriam non accipere, ultima verba sana esse nequeunt. quamquam enim *circa* cum Pinciano in *citra,* praepositionem apud Senecam creberrimam, mutare non licet (v. ad Marc. 9, 3), in proximis verbis his: *et inuitia* (sic AP) vitium inesse manifestum est. mihi in iis voces *et* <*sine*> *iniuria* latere videntur. de re v. hunc ipsum dialogum 8, 2 sq.; 16, 2; de benef. II 35, 2; alios locos.

de ira I 20, 6 sqq.: *nec est, quod existimes verum esse, quod apud disertissimum virum T. Livium dicitur, 'vir ingenii magni magis quam boni'. non potest istud separari: aut et bonum erit aut nec magnum, quia magnitudinem animi inconcussam intellego et introrsus solidam et ab imo parem firmamque, qualis inesse malis ingeniis non potest. terribilia enim esse et tumultuosa et exitiosa possunt, magnitudinem quidem, cuius firmamentum roburque bonitas*

[5]) magna inter hunc dialogum et C. Musonii Rufi librum εἰ γραφὴν ὕβρεως γράψεταί τινα ὁ φιλόσοφος, ex quo quaedam in Stobaei florilegio servata sunt, similitudo intercedit, nisi quod pro philosopho Musonii Seneca ubique Catonem habet. de const. 1, 3 haec extant: *quod – – –* (Cato) *voces improbas et sputa et omnis alias insanae multitudinis contumelias pertulisset,* apud Stobaeum floril. XIX 16: ἃ γὰρ πάσχοντές τινες ὑβρίζεσθαι δοκοῦσιν, τούτων οὐδὲν εἶναι ὕβριν ἢ αἰσχύνην τοῖς πάσχουσιν. οἷον λοιδορηθῆναι ἢ πληγῆναι ἢ ἐμπτυσθῆναι, ὧν τὸ χαλεπώτατον πληγαί (πληγή, quod editur, sic corrigendum esse apparet ex iis quae sequuntur). ceterum apparet Senecam et Musonium eodem auctore usos esse.

est, non habebunt. ceterum sermone, conatu et omni extra paratu facient magnitudinis fidem. eloquentur aliquid, quod tu magni <spiritus> putes, sicut C. Caesar, qui iratus caelo quod obstreperet pantomimis – – – – – – – ad pugnam vocavit Iovem et quidem sine missione Homericum illum exclamans versum: ἤ μ᾽ ἀνάειρ᾽ ἢ ἐγὼ σέ.

totum exscripsi locum, ut appareret erravisse Gertzium Kochiumque post *magni* vocabulum *animi* vel *spiritus* inserentes vel id in *magnum* mutantes. ostendit enim Seneca neminem magni ingenii esse posse, nisi qui boni sit, idque Gai exemplo comprobat. quare post *magni* vocem admodum similem *ingeni* excidisse multo videtur probabilius.

de ira II 33, 6: *contempsisset Romanum patrem, si sibi timuisset: nunc iram conpescuit pietas.*

dicta sunt haec de Pastore, splendido equite Romano, qui interfecto altero filio a Gaio ad cenam adhibitus nullum doloris signum ostendit, ne alter quoque iugularetur. quae verba Madvigius (*Advers. crit.* II p. 390) ita sanare conatus est ut *contempsisset tyrannum pater* scriberet[6]). vereor tamen ut haec coniectura tam certa sit quam ipse eam praedicat. negandum est futurum fuisse ut Pastor Gaium contemneret, si sibi timuisset. neque enim unquam timor contemptus est indicium. Romanus vero pater aptissime mihi ille videtur dictus esse, quia praecedit Graeci patris, Priami, mentio. sed deest nomen a quo accusativi pendeant. quod quale fuerit ambigi potest. erat cum fretus simillimo loco de benef. II 12, 2 *imperator* post *patrem* inserendum putarem. fortasse tamen ante *Romanum* nihil excidit nisi *C.* hoc si inseruerimus, non necessarium erit in eo quod sequitur enuntiato *permitteret* cum Wesenbergio in *permitteretur* mutare.

de ira II 35, 6: postquam Seneca imaginem irae, qualem ipse eam putet, deformavit, haec addit:

vel, si videtur, sit qualis apud vates nostros est,
sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum,
aut scissa gaudens vadit Discordia palla,
aut si qua magis dira facies excogitari diri adfectus potest.

[6]) similiter Guilelmus Gemoll, cuius coniecturam probavit Gertzius, scribi voluit *tyrannum Pastor.*

sic leguntur versus illi apud Vergilium Aen. VIII 702[7]): *et scissa gaudens vadit Discordia palla, quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.* ac ceterae quidem discrepantiae facile eo explicantur quod Seneca poetarum versus plerumque ex memoria non ex scripto libro afferre videtur[8]), sed *aut* ad secundum versum pertinere nunquam credam. immo hoc modo verba constituenda sunt: *qualis apud vates nostros est*

sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum,

aut (scilicet qualis)

scissa gaudens vadit Discordia palla.

sic priori *aut* bene respondet alterum in iis quae sequuntur verbis: *aut si qua – – – – – – potest.* v. simillimum locum ep. mor. VI 1, 3.

de ira III 13, 1: *pugna tecum ipse, si vincere iram non potes, <ne> te illa. incipis vincere, si absconditur, si illi exitus non datur.*

nullum vitii genus frequentius esse in Senecae codicibus quam id quo verba quaedam ante vel post similia vicina omittuntur[9])

[7]) omisit hunc locum in testimoniis Ribbeckius.

[8]) hoc de versu Georg. III 77 a Seneca ep. mor. XV 3, 68 allato coniecit Ribbeckius, qui in proleg. ad Verg. op. edit. mai. p. 202 sat multa exempla ubi Seneca a recta lectione discedat collegit. neque tamen hinc sequitur ut nullius plane pretii sint eorum locorum quos Seneca affert scripturae discrepantes. immo duo metamorphoseon Ovidia versus melius apud eum servati sunt quam in vetustissimis eius carminis codicibus. VI 56 sq. in illis haec leguntur: *inseritur medium radiis subtemen acutis, quod digiti expediunt atque inter stamina ductum percusso feriunt* (*parent* B m. l.) *insecti pectine dentes.* quae quamquam in epist. XIV 2, 20 more suo ita in brevius contraxit: *inseritur medium radiis subtemen acutis, quod lato paviunt* (*pariunt* B: corr. Gruterus) *insecti pectine dentes,* tamen pro *paviendi* verbo minus usitato a librariis *feriendi* positum esse apparet. similiter VI 67 id quod nat. quaest. I 3, 4 libri E W servarunt *usque adeo quod tangis idem est, tamen ultima distant* praestat Ovidianorum codicum scripturae *tangit.*

[9]) dici vix potest quantas turbas hic error in Senecae codicibus excitaverit. sed apud alios quoque scriptores interdum loci iam fere conclamati facili opera sic in integrum restituuntur. velut Suet. Vesp. 12: *ac ne tribuniciam quidem potestatem, patris patriae appellationem nisi sero recepit* post *potestatem* vocula *statim* interponenda est. egregie haec respondet alteri adverbio *sero*; *nec* vero, quod G. Beckerus (*Quaest. crit. de Suet. de vita Caes. libris,* Memel 1862, p. XIV) inserit, neque facile excidere poterat neque aptum est, cum Vespasianus tribuniciam potestatem, in qua dignitas

est, non habebunt. ceterum sermone, conatu et omni extra paratu facient magnitudinis fidem. eloquentur aliquid, quod tu magni <spiritus> putes, sicut C. Caesar, qui iratus caelo quod obstreperet pantomimis – – – – – – – ad pugnam vocavit Iovem et quidem sine missione Homericum illum exclamans versum: ἤ μ᾽ ἀνάειρ᾽ ἢ ἐγὼ σέ.

totum exscripsi locum, ut appareret erravisse Gertzium Kochiumque post *magni* vocabulum *animi* vel *spiritus* inserentes vel id in *magnum* mutantes. ostendit enim Seneca neminem magni ingenii esse posse, nisi qui boni sit, idque Gai exemplo comprobat. quare post *magni* vocem admodum similem *ingeni* excidisse multo videtur probabilius.

de ira II 33, 6: *contempsisset Romanum patrem, si sibi timuisset: nunc iram conpescuit pietas.*

dicta sunt haec de Pastore, splendido equite Romano, qui interfecto altero filio a Gaio ad cenam adhibitus nullum doloris signum ostendit, ne alter quoque iugularetur. quae verba Madvigius (*Advers. crit.* II p. 390) ita sanare conatus est ut *contempsisset tyrannum pater* scriberet[6]). vereor tamen ut haec coniectura tam certa sit quam ipse eam praedicat. negandum est futurum fuisse ut Pastor Gaium contemneret, si sibi timuisset. neque enim unquam timor contemptus est indicium. Romanus vero pater aptissime mihi ille videtur dictus esse, quia praecedit Graeci patris, Priami, mentio. sed deest nomen a quo accusativi pendeant. quod quale fuerit ambigi potest. erat cum fretus simillimo loco de benef. II 12, 2 *imperator* post *patrem* inserendum putarem. fortasse tamen ante *Romanum* nihil excidit nisi *C.* hoc si inseruerimus, non necessarium erit in eo quod sequitur enuntiato *permitteret* cum Wesenbergio in *permitteretur* mutare.

de ira II 35, 6: postquam Seneca imaginem irae, qualem ipse eam putet, deformavit, haec addit:

vel, si videtur, sit qualis apud vates nostros est,
sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum,
aut scissa gaudens vadit Discordia palla,
aut si qua magis dira facies excogitari diri adfectus potest.

[6]) similiter Guilelmus Gemoll, cuius coniecturam probavit Gertzius, scribi voluit *tyrannum Pastor.*

sic leguntur versus illi apud Vergilium Aen. VIII 702[7]): *et scissa gaudens vadit Discordia palla, quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.* ac ceterae quidem discrepantiae facile eo explicantur quod Seneca poetarum versus plerumque ex memoria non ex scripto libro afferre videtur[8]), sed *aut* ad secundum versum pertinere nunquam credam. immo hoc modo verba constituenda sunt: *qualis apud vates nostros est*

sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum,

aut (scilicet qualis)

scissa gaudens vadit Discordia palla.

sic priori *aut* bene respondet alterum in iis quae sequuntur verbis: *aut si qua – – – – – – potest.* v. simillimum locum ep. mor. VI 1, 3.

de ira III 13, 1: *pugna tecum ipse, si vincere iram non potes, <ne> te illa. incipis vincere, si absconditur, si illi exitus non datur.*

nullum vitii genus frequentius esse in Senecae codicibus quam id quo verba quaedam ante vel post similia vicina omittuntur[9])

[7]) omisit hunc locum in testimoniis Ribbeckius.

[8]) hoc de versu Georg. III 77 a Seneca ep. mor. XV 3, 68 allato coniecit Ribbeckius, qui in proleg. ad Verg. op. edit. mai. p. 202 sat multa exempla ubi Seneca a recta lectione discedat collegit. neque tamen hinc sequitur ut nullius plane pretii sint eorum locorum quos Seneca affert scripturae discrepantes. immo duo metamorphoseon Ovidia versus melius apud eum servati sunt quam in vetustissimis eius carminis codicibus. VI 56 sq. in illis haec leguntur: *inseritur medium radiis subtemen acutis, quod digiti expediunt atque inter stamina ductum percusso feriunt* (*parent* B m. 1.) *insecti pectine dentes.* quae quamquam in epist. XIV 2, 20 more suo ita in brevius contraxit: *inseritur medium radiis subtemen acutis, quod lato paviunt* (*pariunt* B: corr. Gruterus) *insecti pectine dentes,* tamen pro *paviendi* verbo minus usitato a librariis *feriendi* positum esse apparet. similiter VI 67 id quod nat. quaest. I 3, 4 libri E W servarunt *usque adeo quod tangis idem est, tamen ultima distant* praestat Ovidianorum codicum scripturae *tangit.*

[9]) dici vix potest quantas turbas hic error in Senecae codicibus excitaverit. sed apud alios quoque scriptores interdum loci iam fere conclamati facili opera sic in integrum restituuntur. velut Suet. Vesp. 12: *ac ne tribuniciam quidem potestatem, patris patriae appellationem nisi sero recepit* post *potestatem* vocula *statim* interponenda est. egregie haec respondet alteri adverbio *sero*; *nec* vero, quod G. Beckerus (*Quaest. crit. de Suet. de vita Caes. libris,* Memel 1862, p. XIV) inserit, neque facile excidere poterat neque aptum est, cum Vespasianus tribuniciam potestatem, in qua dignitas

nemo qui in eius libris criticen factitat ignorat. itaque hoc quoque loco, qui ante Madvigium (II 392) ex codicibus sic edebatur: *pugna tecum ipse, si vincere iram non potes, te illa incipit vincere. si apsconditur, – – – – –, signa* e. q. s. malo post *non potes* verba *non potest* inserere quam *ne te illa* cum illo scribere, quod similibus exemplis Annaeanis vix unquam confirmabitur. comprobatur coniectura mea ea re quod in A post *potes* litteram *t* erasam esse Gertzius vidit. sic igitur locum constituendum esse puto: *si* (fortasse praestat *et si*) *vincere iram non potes,* <*non potest*> *te illa. incipis* e. q. s. (ad verba autem *si – – – potes* supplendum esse *pugnando* vel simile ex iis quae praecedunt vix est quod moneam.)

ad Marc. de consol. 12, 3 de Marciae filio Seneca scribit haec:

> *iuvenis cito prudens, cito pius, cito maritus, cito pater, cito omnis officii curiosus, cito sacerdos, omnia tamquam propera.*

quamquam iam Fernandus Nonius Pincianus viderat *tamquam propera* vel *tam quam praepropera,* quod est in libris recentioribus, dici non posse, tamen Kochius demum, qui nimis violenter *praestantia* inter *tam* et *quam* inculcavit, locum mutare ausus est. at ante *mqua* numquid facilius omitti poterat quam vocabulum *magna,* quod in proximo enuntiato repetitur? scribo igitur *tam magna quam propera.* idem adiectivum Madvigius (II 473) ep. mor. IV 31, 7 certa emendatione inter *quoniam* et *animi* inseruit.

ad Marc. de consol. 18, 2: *videbis nocturnam lunae successionem, a fraternis occursibus lene remissumque lumen mutantem et modo occultam, modo toto* (*tot* A) *ore terris imminentem.*

imperatoria maxime posita erat, non sero acceperit, sed anno 70 p. Chr. n. (cf. e. g. Wilmanns *Exempla* 2864). — in eadem vita 15 haec de Vespasiano dicuntur: ***ceterum neque caede cuiusquam umquam iustis suppliciis inlacrimavit etiam et ingemuit,*** in quibus, si sententiam spectas, recte iam in recentioribus libris ***laetatus*** post ***umquam*** suppletur. at nondum intellectum est inter ***quã*** et ***iustis*** nihil facilius excidere potuisse quam ***gavisus.*** quod vero C. L. Rothius ***laetatus est et*** scribi vult, miror eum hic usus Suetoniani, quo copula tertiae personae singularis perfecti deponentis alicuius omittitur, immemorem fuisse. deinde *et* multo melius hoc loco abesse quam addi quivis videt.

non memini unquam Senecam de ore Lunae, tanquam deae, loqui. nec dubito quin scripserit *orbe.* v. Med. 97: *cum Phoebe solidum lumine non suo orbem circuitis cornibus alligat.* Phaedr. 744: *clarior quanto* (Phoebe) *micat orbe pleno.* nat. quaest. VII 10, 2 *lunaris illa orbita.* VI 3, 3 *plures solis orbes.*

de tranq. an. 9, 2: *discamus continentiam augere, luxuriam coercere, gloriam temperare, iracundiam lenire, paupertatem aequis oculis aspicere, frugalitatem colere, etiam si nunc cultus pudebit eius populum.*

ita verba constituit Gertzius. idem codicem A haec habere dicit: *etiam si mulos*[10]) *pudebit ei plus,* sed voculam *si* et primam litterae *m* lineolam in rasura a manu prima, ut sibi visum esset, scriptas esse et post *mul* supra versum litteram aliquam, *t* aut *l,* quae ante adscripta fuisset, erasam esse. in P est: *etiam simul hos pudebit ei plus.* in quibus nihil aliud delitescere videtur nisi: *etiam si multos pudebit eius.* nam *multos* a Madvigio repertum in dubitationem vocare non debebat Gertzius; *ei plus* vero litteris vocabuli *eius* (*eiius*) hunc in modum: *ei us* (*ei ius*) diremptis ortum esse puto. *templi eius* commendaverat Madvigius, *eius cultus* Kochius.

de brevit. vitae 18, 4: *maius quiddam et altius de te promiseras. non derunt*[11]) *et frugalitatis exactae homines et laboriosae operae. tanto aptiora exportandis oneribus tarda iumenta sunt quam nobiles equi, quorum generosam pernicitatem quis umquam gravi sarcina pressit?*

exportandi verbum locum hic habere iure Madvigius (II 400) negavit. verum tamen *ex* non prorsus abiciendum, sed in *et*[12]) mutandum esse arbitror. ad Helv. de consol. 5, 3: *illis gravis est* (fortuna), *quibus repentina est: facile eam sustinet, qui semper expectat. nam et hostium adventus eos prosternit, quos inopinantis occupavit.*

[10]) *simulos* (*h* manu secunda) A secundum Brancam et Bugatum habet, quos quid in rasuris lateret bene dispexisse Gertzius dixit (praef. edit. p. II).

[11]) *derunt* in A legitur m. 1., quod m. 3. in *deerunt* mutatum est. v. supra p. 130 adnot. 61.

[12]) simile vitium emendandum est ep. mor. XII 3, 40 in verbis: *non ex ebore santum Phidias sciebat facere simulacra, faciebat ex aere.* cum *tantum* praecedat, ante *ex* particulam *et* omissam esse patet.

ad Helv. de consol. 12, 1: *ne me putes ad elevanda incommoda paupertatis, quam nemo gravem sentit, nisi qui putat, uti tantum praeceptis sapientium, primum aspice, quanto maior pars sit pauperum, quos nihilo notabis tristiores sollicitioresque divitibus: immo nescio, an eo laetiores sint, quo animus eorum in pauciora distringitur. transeamus ape spe non obveniamus ad locupletes: quam multa tempora sunt quibus pauperibus similes sint?*

nescio an locus conclamatus lenibus mutationibus sic sanetur: *a re saepe*[13]) *non obvia, veniamus* e. q. s. sententiarum igitur nexum nanciscimur hunc: magna pars pauperum non tristior est quam divites. at cum saepe illi quoque tristes sint, mittamus hanc rem, veniamus ad divites. transeundi verbum etiam alibi Seneca cum praepositione *a* coniunxit idemque eo magis ei hoc loco facere licebat, quia id ad quod transitur proximis indicavit.

de benef. IV 5, 3 inter dei beneficia enumerantur: *flumina haec amoenissimis flexibus campos cingentia, illa praebitura commercia via* (sic NR alii) *vasto et navigabili cursu vadentia.*

verba corrupta post Erasmum, qui *commerciis viam* scripsit, certatim alii alio modo sanare conati sunt. quorum ultimus Gertzius collato loco qui est nat. quaest. IV 2, 4 *ad commercia viam* legi voluit. sed aliam eius rationem esse atque huius ipsis verbis consideratis facile intellegetur: – – *Nilus magnus magis quam violentus egressus Aethiopiam arenas, per quas ad commercia Indici maris iter est, praelabitur.* verum tamen non necessarius est numerus pluralis. alibi enim (de benef. VII 9, 5) singulari *ignotis etiam ad commercium gentibus* Seneca utitur. itaque faciliore mutatione *commercio viam* restituendum esse puto.

de benef. V 6, 1: *Alexander, Macedonum rex, gloriari solebat a nullo se beneficiis victum. non est, quod nimius animi Macedonas et Graecos et Caras et Persas et nationes discriptas in exercitum suspiciat, nec hoc sibi praestitisse regnum a Thraciae angulo porrectum usque ad litus incogniti maris iudicet: eadem re gloriari Socrates potuit, eadem Diogenes, a quo utique victus est.*

quamvis codicum lectionem *districtas sine exercitum* in *discriptas in exercitum* certis emendationibus I. F. Gronovius Gertziusque

[13]) *saepe* iam a Kochio inventum est.

mutaverint, displicet adhuc vox *nationes* nude et sine ullo epitheto posita. quae difficultas, si post illam *omnes* (*om̄es* vel *o͞es*) inseruerimus, facile tolletur. neque in eiusmodi hyperbole apud Senecam, *in philosophia declamatorem,* offendendum est[14]).

de benef. V 6, 2: *Archelaus rex Socratem rogavit ut ad se veniret: dixisse Socrates traditur nolle se ad eum venire, a quo acciperet beneficia, cum reddere illi paria non posset.*

iam ostendit Seneca paria atque adeo maiora beneficia Socratem illi regi reddere potuisse et deinde (§ 6) sic pergit:

Socrates parem gratiam Archelao referre non posset, si illum regnare docuisset? parum scilicet magnum beneficium a Socrate accipiebat, si ullum dare Socrati potuisset. quare ergo Socrates hoc dixit?

verba quae sunt: *illum regnare docuisset* unius codicis Trossiani recentissimi et vetustarum quarundam editionum fide nituntur, cum Nazariani prima manus haec exhibeat: *si illum regnare vetuisset si illum regnare tuisset.* quorum quamquam altera parte nihil continetur nisi repetitio eorum quae praecedunt paululum immutata[15]), tamen quid priori faciamus non liquet. nam probato illo *docuisset* nihil assequimur, quia hoc beneficium prorsus diversum est ab iis, quae paulo superius Socrates in Archelaum conferre potuisse dicitur. iam hoc Gertzius quoque perspexisse videtur, qui aliud certe quid atque illud latere dicit, sed id quod ipse scriptum fuisse coniecit: *si illum regnare vetuisset parum gnarum? scilicet* merito in margine tantum commemoravit. neque vero opus est coniecturis. nam apud Abaelardum, qui totum hunc locum in sermone XXXIII (p. 592a ed. Migne) exscripsit, haec leguntur: *si illum negare vetuisset.* in quibus omnia bene se habent, nisi quod *illum,* ne ad Archelaum referatur, in *ille eum* mutandum et post id quod sequitur enuntiatum interrogationis signum ponendum est. ad verbum autem *negare* beneficia, quae Archelaus se daturum esse promiserat, supplenda sunt, cum § 2 haec verba extent: *primum in ipsius potestate erat non accipere* et § 6:

[14]) similia apud Senecam patrem in prima suasoria reperiuntur (cf. Leo *Observat.* p. 149 sq.). ceterum eiusdem locum corruptum qui extat controv. II 1, 13 *non maria umquam ex colle vidisse lata* (*sedata* O. Iahnius, *laeta* Haasius) collatis filii verbis his (ad Marc. 17, 2) *videbis – – – stratam illam famosam Charybdin* ita emendandum esse puto ut scribatur *vidisse strata.*

[15]) N_2 et R nihil aliud praebent nisi: *si illum regnare uetuisset.*

maluit illi nasute negare quam contumaciter aut superbe. praeterea v. § 6: *timuit fortasse ne cogeretur accipere quae nollet.*

de benef. V 24 C. Iulio Caesari, cum in Hispania militans talum sibi extorsisset, a milite quodam paenulam substratam et aquam in galea oblatam esse narratur. huic postea apud illum causam dicenti et, num se aut galeam illam agnosceret, interroganti haec (§ 2) respondet Caesar:

> *quidni meminerim? et quidem siti confectus, quia impeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, nisi Militio*[16]*), homo fortis ac strenuus, aquam mihi in galea sua attulisset.*

quamquam propter totam narrationem et vocem *manibus* manifestum est posteriorem partem vocabuli *impeditus* ex *pedibus* corruptam esse, tamen quid in *im* lateat adhuc ambigitur. mihi *iam* videtur restituendum esse, quae particula cum negatione coniuncta aptissima est[17]).

de benef. VI 12, 2: *ille qui totus ad se spectat et nobis prodest, quia aliter prodesse sibi non potest, eo mihi loco est, quo qui pecori suo hibernum et aestivum pabulum prospicit: eo loco est, quo qui captivos suos, ut commodius veneant, pascit et opimos boves saginat ac defricat, quo lanista, qui familiam summa cura exercet atque ornat.*

cur tandem, cum iam ante pecora memorata sint, denuo eorum una cum captivis et loco nequaquam apto mentio inicitur? nam eo quod pecoribus oves tantum, caprae, sues significatae esse possint, nemo quisquam hoc excusabit. multo concinnior et significantior oratio evadet, si ante *opimos* particula *et* voculam *ut* sic haustam esse statuerimus ut scribatur: *qui captivos suos – – – pascit et <ut> opimos boves saginat ac defricat.*

de benef. VI 14, 3: *vendit mihi aliquis frumentum: vivere non possum, nisi emero, sed non debeo vitam, quia emi. nec quam necessarium fuerit aestimo, sine quo victurus non fui, sed quam ingratum (non gratuitum* Gronovius), *quod non habuissem, nisi emissem, in quo invehendo mercator non cogitavit, quantum auxilii allaturus esset mihi, sed quantum lucri sibi.*

[16]) v. p. 18 adnot. 14.

[17]) *iam* voculam etiam ep. mor. II 1, 14 in his verbis: *pudet me in (tui* Hauptius) *sic tecum loqui* pro eo, quod PA habent, *in* vel *ibi*, quod est in p Pr.b aliis, ponendam esse puto.

vocula *sed* neque in N neque in R extat. cum autem N *non cogitavit* in praecedente versu supra ipsa verba *mihi quantum* posita habeat, probabilius duco Senecam anaphora, quam valde amat, usum scripsisse: *non cogitavit, q. a. a. e. s., <cogitavit> quantum lucrum sibi.* similiter II 23, 2 scribendum videtur: *quidam nolunt nomina secum fieri, nec interponi pararios, nec signatores advocari, <volunt> chirographum dare,* vel *chirographum dare <volunt>,* ubi Madvigius *sed* voculam inseruit, Gertzius *tamen.*

de benef. VII 30, 2: *quae ratio est exacerbare eum, in quem magna contuleris, ut ex amico dubio fiat non dubius inimicus et patrocinium sibi nostra infamia quaerat nec desit? nescio quid est quod eum, cui tantum debuit, ferre non potuit: subest aliquid?*

verba *nec desit* nullam sententiam habere Madvigius (II 424) rectissime dixit, ante quem iam in recentioribus quibusdam libris post illa voces *qui dicat* inserebantur. tamen hae vix intercidere poterant. Madvigiana vero correctione *nec dicere: nescio – – potuit,* recepta sententiam nanciscimur nimis contortam et intricatam. porro illa non sunt, ut is putat, eius verba, qui ingratum eum in quem beneficium contulit expertus iniuriam sibi factam elevare conatur — nam eum de se tertia persona loqui absurdum est —, sed tertii cuiusdam hominis, qui, cum ingratus ille ei a quo beneficium accepit convicietur, mirabundus in illa verba prorumpit. hanc ob causam vocabulum *vox* (v. ep. mor. I 8, 7; 12, 10; II 1, 17; bene idem Gertzius inseruit de tranqu. an. 11, 8) finitimi verbi *nescio* initio haustum esse arbitror.

de clem. I 13, 4 Seneca postquam crudelem regem descripsit, clementem et omnia eadem cura tractantem his verbis ei opponit:

> *e contrario is, cui curae sunt universa, qui alia magis, alia minus tuetur, nullam non rei publicae partem tamquam sui nutrit, inclinatus ad mitiora – – – – – – – a tota civitate amatur, defenditur, colitur.*

miror neminem dum in verbis *qui alia magis – – tuetur* offendisse. prorsus enim ea repugnant his: *cui curae sunt universa* et *nullam non rei publicae partem tamquam sui nutrit.* idem rex qui haec facit quo pacto alia magis, alia minus tueri i. e. negligentiae, ne dicam iniustitiae, crimen in se suscipere potest?

quare vitio ita medendum puto ut *qui <non> alia magis* scribatur. *non* autem particulam etiam aliis locis, quibus rationes palaeographicae non adstipulantur, omissam esse ipsa haec paragraphus documento est: *etiam iniquis <non> acerbus*; adde de benef. I 7, 1, ubi *non* ante *recepturus* in N omissum Vincentius Bellovacensis spec. hist. IX 106 habet et VII 29, 1, ubi *non* ante *bene* dudum adiectum est. — idem vitium de clem. I 16, 3 emendandum videtur. nam cum in N haec legantur:

> *tribunum centurionemque da saevum: desertores faciet, quibus tamen ignoscitur,*

quis unquam audivit iis militibus, qui ob centurionum saevitiam signa deseruissent, praecipue in exercitibus Romanis, ignosci solitum esse? immo notus est disciplinae eorum militaris maxime in desertores rigor. ut unum exemplum afferam, Velleius II 85, 3 de Antonio dixit: *imperator qui in desertores saevire debuerat, desertor exercitus sui factus est.* itaque hoc quoque loco voculam *non* post *tamen* addiderim. Wesenbergii vero coniecturam *ignoscetur* eodem hoc loco a Gertzio receptam supervacaneam duco. neque enim leges grammaticas Ciceronianas Seneca secutus est. tempus autem praesens de industria, ni fallor, positum hanc vim habere videtur ut *ignoscitur* idem fere significet atque *ignosci solet.* v. de benef. I 2, 1: *quibus si detraxeris iudicium, desinunt* (*desinent* solus Guelferbytanus saec. XV) *esse beneficia* et de clem. I 6, 1: *cogitato – – – – –, quanta solitudo ac vastitas futura sit, si nihil relinquitur* (*relinquetur* Wesenbergius), *nisi quod iudex severus absolverit.*

> de clem. II 2, 1: *tradetur ista animi tui mansuetudo diffunderturque paulatim per omne imperii corpus et cuncta in similitudinem tuam formabuntur.*

post *omne* invenitur in N *imne* in R *inme*, quod ex dittographia ortum esse vix credibile videtur. in mentem mihi venit Senecam per *omne immane imperii corpus* scripsisse, et est illa vox, ut in libris vetustis exaratur, una tantum littera minor quam *imane.* praeterea maxime idonea hic est magnitudinis imperii Romani commemoratio.

de clem. II 5, 2 Seneca, postquam narravit obici Stoicis, quod negarent sapientem misereri, negarent ignoscere, sic pergit:

> *haec si per se ponantur*[18]*), invisa sunt: videntur enim nullam relinquere spem humanis erroribus, sed omnia delicta ad poenam deducere. quod si est, quidni haec sit sapientia*[19]*), quae dediscere humanitatem iubet portumque adversus fortunam certissimum mutuo auxilio cludit?*

taceo facile fieri posse ut verba haec: *mutuo auxilio* non intellegantur, sed quaenam haec est imago portus (misericordiae), a quo auxilia mutua prohibentur? non in portu, sed in alto auxilio opus est. quae difficultas facilius, opinor, quam Lipsii et Gertzii coniecturis: *mutui auxilii* vel *mutuum auxilium* vel *mutui auxilii occludit* sic removetur, ut *mutua auxilia,* quae est appositio vocabuli *portum,* scribatur. simili modo corruptum esse locum qui est de benef. IV 5, 3 supra (p. 144) indicavi, sed eadem medicina egent etiam verba quae extant IV 18, 2: *duas deus* (hanc vocem inseruit Haasius) *res dedit quae illum obnoxio* (ita N ex correctura eiusdem manus et R) *validissimum facerent, rationem et societatem.* verisimilius puto ea ex *illi obnoxia validissima* orta esse quam quod Lipsius voluit praepositionem *ex* ante *obnoxia* excidisse.

> epist. mor. II 1, 11: *quid facies lucri? tempus: multa intervenient quibus vicinum periculum ut prope admotum aut subsistat aut desinat aut in alienum caput transeat. incendium ad fugam patuit, quosdam molliter ruina deposuit, aliquando gladius ab ipsa cervice revocatus est, aliquis carnifici suo superstes fuit.*

scribo: *vicinum vel prope admotum malum aut* e. q. s. *vel* voculam tam saepe propter notissimum illud compendium *ut* cum particula *ut* confusam habent iam T et editiones quaedam vetustae, *periculum,* quod in MW aliis post *vicinum* additur, cum neque in P neque in p[20]) legatur, librariorum additamentum esse in promptu est. *malum* vero, qua voce etiam supra (§ 10) Seneca usus est,

---

[18]) nequaquam necessarium est hoc verbum cum Gertzio in *ponuntur* mutare.

[19]) Madvigium Gertziumque, quia meliora non suppetunt, secutus sum. in NR est: *quidni haec scientia.*

[20]) v. Aem. Chatelain in *Revue de philol., nouv. sér.* Paris 1877 tom. I p. 117.

propter *admotum* facile omittere poterat oscitans scriba. post vocabulum *incendium* erat, cum *iam* inserendum putarem, sed nunc collatis his locis: de ira I 13, 3 *multi - meliores ad ferrum fuere male sobrii* et nat. quaest. III 16, 3 *hiems numquam aberravit: aestas suo tempore incaluit: autumni verisque ut solet*[21]) *facta mutatio est: tam aequinoctium quam solstitium suus dies rettulit* necessarium esse nego. saepius enim usu venisse ut incendium ad fugam pateret tempore perfecto, quod hic aliisque similibus locis fere vim aoristi gnomici Graeci habet (v. de ira II 17, 1, ubi nihil mutandum est; II 34, 4; ep. mor. IX 3, 19; cf. supra p. 19 et p. 99 adnot. ad versum 9) significatur. contra iis locis, quibus particulae temporales *saepe, aliquando, nunquam* similesque adiectae sunt, etiam tempore praesenti Seneca utitur, ut de ira I 18, 2: *saepe infesta* (ira) *patrono reum damnat* et ib. 13, 3 *saepe validiores furor reddit,* ubi Gertzius coniecturam non necessariam *reddidit* protulit.

ep. mor. II 4, 7: *quicquid bene dictum est ab ullo, meum est. sicut quoque ab Epicuro dictum est: si ad naturam vives, numquam eris pauper: si ad opiniones, numquam eris dives.*

vitiosa sunt verba *sicut quoque,* quae sic leguntur in P p g Pr.b A aliis, neque aut in libris recentioribus (*sic quoque, quod* G T R V; *sicut id, quod* ε ι ξ τ ν), aut ab Haasio (*sicut quod*) facilibus remediis curata sunt. equidem *illud* (*illut*) post *sicut* omissum esse puto. saepe enim Seneca pronomine *ille* ibi utitur, ubi florentis aetatis scriptores *hic* habent. sufficiunt exempla quae Rauschningius *De latinitate L. Annaei Senecae philosophi* Regim. Pruss. 1876 p. 68 sq. collegit.

ep. mor. II 5, 3: *paupertas expedita est, secura est. cum classicum cecinit, scit non se peti: cum aliqua conclamatio est, quomodo exeat, non quid efferat quaerit.*

quid sit *aliqua conclamatio* nescio et nescivit Fernandus Nonius Pincianus, qui cum in libro quodam suo *aliqua vi conclamatum est* invenisset, *alicubi conclamatum est* scribendum esse suspicatus est. at neutra scriptura firmo utitur fundamento. nam *aliqua*

[21]) *ut solet* ex B recentioribusque receperunt Fickertus et Haasius. codicum L (v. G. G. Mueller *De Senecae quaestionibus naturalibus* p. 32) et Parisinorum 6628 et 8624 scriptura haec est: *unde solet.* E habet: *unde solent.*

conclamatio ex vetustis codicibus non legitur nisi in P, qui interdum cum recentioribus facit, et Pinciani codex ille, cum similes lectiones in Coloniensi et duobus Leidensibus extent, ex recentiorum numero videtur fuisse. contra *aliqua conclamata est* habent p g (*aliquo conclamato* p prima manu, cf. Chatelain p. 119) M W Pr.b[22]), optimae notae libri. iam facile apparet *aliqua* vel *aliquo* ortum esse ex compendio vocis *aliquando* male intellecto (*aliqua* vel *aliquo*) et a Seneca *conclamatum est* scriptum fuisse, quod tum demum, cum *aliqua* scriptum erat, in *conclamata est* mutatum est.

ep. mor. III 3, 11: *mihi crede, Lucili, adeo mors timenda non est, ut beneficio eius nihil timendum sit.*

ita haec habent p A, *anteferendum timendum sit* P M W E. apparet igitur in illis vocem *anteferendum,* cum non intellegeretur a librariis, omissam esse. nam quod Schweighaeuserus dixit *anteferendum* invectum esse a librario aliquo, qui *beneficio* pro tertio casu habuisset, vix probabiliter excogitatum videtur. itaque ut Lipsius putat, genuina lectio in verbo *anteferendum* latere videtur, sed displicet in eius invento *a te verendum timendumve sit,* quod verba non necessaria *a te* — praestat *tibi* — et *timendumve* adiciuntur. praeterea particula *ve* ex vetustioribus libris nisi in Pr.b L_2 non invenitur. quare cum *anteferendum,* quia sententiarum nexui non convenit, retineri nequeat, malo *timendum,* quod in P expunctum est, secludere et *ante* (i. e. ante mortem) *verendum sit* scribere. v. ep. mor. II 2, 10 et Phoen. 492[23]).

ep. mor. III 5, 8: *desinere iam volebam et manus spectabat ad clausulam, sed conficienda sunt sacra*[24]) *et huic epistulae viaticum dandum est. puta me non dicere: unde sumpturus*

[22]) de A v. supra p. 56 adn. 45.

[23]) simili modo emendandus est hic Apuleii locus (metam. VII 18): *sed occipiens a capite, immo vero et ipsis auribus, totum me compilabat cidit cidit* (sic F) *fusti grandissimo.* scriptum erat in archetypo: *cpilabat* ita, ut *concidit* — sic enim legendum — explicatio verbi inusitati *compilabat* esset. cf. Lucian. Luc. vel asin. 30: συνέκοπτέ με τῷ ξύλῳ. simplex autem verbum *pilabat* etiam apud Petronium 44 (p. 49, 5 ed. mai. Buech.) interpolationis ansam dedit.

[24]) mutare non licet hanc vocem cum Madvigio (II 472) in *aera.* mos enim erat Senecae, ut unicuique epistulae ad Lucilium datae sententiam aliquam adiungeret. itaque *sacra* eandem vim hic habet atque *sollemnia.* cf. III 1, 13: *resolvenda est* (epistula), *ut cum sollemni ad te munusculo veniat.*

sum mutuum? scis cuius arca utar. expecta me pusillum et de domo fiet numeratio, interim commodabit Epicurus, qui ait: meditare mortem, vel, si commodius sit transire ad nos. hic patet sensus: egregia res est mortem condiscere.

Epicuri sententiam hoc modo a se emendatam esse putat Madvigius (I 117 sq. = *Annal. philol. Dan.* I 43 et 174): *meditare mortem, vel, si commodius sic transire ad nos hic potest sensus* e. q. s. neque tamen mihi persuasit vir acutissimus Senecam dubitasse de tam simplici, ne dicam, vulgari sententia ex Graeca lingua in Latinam vertenda, aut pro eo, quod ita exprimi solet: *ex Graeco sermone in nostrum transferre* tam mira et contorta verba posuisse. multo facilioribus remediis res administrabitur, si *vel* pervulgato errore ex *ut* corruptum esse putaverimus et particulam *si,* quae non raro a librariis adiecta est, cum codice P omiserimus. *nos* vero non in *divos,* quod Haasius scripsit, sed in *deos* corrigendum est. quod vitium sic ortum esse existimo, ut cum praecedente vocula *ad* littera *d* semel tantum exarata esset, *eos* in *nos* mutaretur. quare quae recuperamus verba: *meditare mortem, ut commodius sit transire ad deos* optime illis: *egregia res est mortem condiscere* respondent. hac enim sententia Epicurus, quem acerrimum immortalitatis animorum adversarium fuisse recte Madvigius dicit, non opinionem suam de ea re profert, sed meditationem mortis rem tam egregiam et divinam dicit, ut qui eam exerceat, ad deos aspirare videatur. cf. verba epistulae eius ad Menoeceum datae (Diog. Laert. X 135) haec: οὐθὲν γὰρ ἔοικε θνητῷ ζῴῳ ζῶν ἄνθρωπος ἐν ἀθανάτοις ἀγαθοῖς.

ep. mor. IV 1, 6 – – *mors adeo extra omne malum est, ut sit extra omnem malorum metum. haec ego scio et saepe dicta et saepe dicenda, sed neque, cum legerem, aeque mihi profuerunt, neque cum audirem iis*[25]) *dicentibus, qui negabant timenda, a quorum metu aberant: hic vero* (Bassus Aufidius) *plurimum apud me auctoritatis habuit, cum loqueretur de morte vicina. dicam etiam quid sentiam: puto fortiorem eum esse, qui in ipsa morte est quam qui circa mortem. mors enim admota etiam inperitis animum dedit non vitandi inevitabilia. sic gladiator tota pugna timidissimus iugulum adversario praestat et errantem gladium sibi adtemperat.*

[25]) *his* vulgo, *diis* p (v. Chatelain p. 132) Pr.b M W A, quod correxi.

at illa, quae in propinquo est utique ventura, desiderat lentam animi firmitatem, quae est rarior nec potest nisi a sapiente praestari.

enuntiatum quod est: *puto fortiorem – – mortem,* ut nunc legitur, verbis quae sequuntur prorsus repugnat. nam cum his narratum sit etiam timidissimos gladiatores in ipsa morte iugula adversariis fortiter praebuisse, illic fortior dicitur is, qui in ipsa morte sit quam qui circa mortem. deinde etiam Bassus nondum erat in ipsa morte, sed loquebatur de morte vicina. quae difficultates facili paucorum verborum transpositione amoventur: *p. f. e. e., qui circa mortem est quam qui in ipsa morte.* aut aberraverunt librarii oculi ab altero *qui* ad alterum, aut de industria membrorum ordo inversus est ab eo, qui paradoxon hoc non intellexerat. simili modo[26]) turbata sunt verba quae extant V 4, 2: *vellem, inquis, magis libros mihi quam consilium dares,* ut recte a Pinciano et in recentioribus quibusdam libris scripta sunt, cum P p alii habeant: *consilium mihi quam libros.* — paullo inferius nescio an pro *adtemperat* (*adtemptatur* p) *adtemptat* legendum sit, quod cum similiter dictum sit atque frequens hac in locutione intentandi verbum, altero, cuius hac significatione usurpati unum hoc exemplum in lexicis affertur, longe aptius videtur.

ep. mor. V 9, 3: *quicquid temporis transiit, eodem loco est: pariter aspicitur* (sic p secundum Chatelain p. 129), *una iacet. omnia inde profundum cadunt.*

inde profundum in pM W aliis extat, nisi quod in M litteras *de* manus secunda expunxit. paullo magis depravata est alterius Parisini P scriptura: *omnia de profundo cado* (*cadum* m. 1., ut videtur) *cadunt.* vera autem lectio *in idem p.* videtur esse, quae optime cum iis quae praecedunt verbis *eodem loco* et *una* concinit[27]).

[26]) apud Ampelium XVI 4 verba sic constituit Woelfflinus: *Perses, Philippi filius, cum maximis copiis Macedoniis * * et cum in Graeciam impetum fecisset, cum inanibus elephantorum simulacris – – – victus – – – profugit.* videtur duplex *cum* librario fraudem fecisse et scribendum esse: *P. – – cum m. c. M. et cum inanibus e. s. cum in Graeciam i. f.,* e. q. s.

[27]) similis error nondum emendatus est apud Petronium 116: *qui vero nec uxores unquam duxerunt nec proximas necessitudines habent, ad summos honores perveniunt, id est soli militares, soli fortissimi atque etiam innocentes*

ep. mor. VI 1, 4: *quae putas me passum, dum per aspera erepo, dum viam quaero, dum facio? incredibilia sunt, quae tulerim, cum me ferre non possim. illud scito Ulixem non fuisse tam irato mari natum, ut ubique naufragia faceret: nausiator erat.*

cum *possim* praecedente voce *tulerim,* ut nunc quidem verba leguntur, tolerari nequeat, ab Haasio in *possem* mutatum est. at aliter prorsus res se habet. nam ut taceam sic quoque sensum verborum *cum m. f. n. p.* non meliorem evadere, cur tandem *efferre,* quod est in P, retineri non potest? quod si eandem notionem atque *eloqui,* ut saepissime usu venit, habere statuerimus, distinctione paululum immutata, nulla difficultas remanebit: *incredibilia sunt, quae tulerim. cum efferre* (i. e. eloqui) *non possim, illud scito* e. q. s. quam facile vero fieri potuerit, ut verba *cum efferre* in *cum me ferre,* quae p habet (Chatelain p. 130), corrumperentur, nemo non intellegit.

ep. mor. VI 7, 4: *tamen ego non immerito dixeram cepisse me magnam ex epistula tua voluptatem. quamvis enim ex honesta causa inperitus homo gaudeat, tamen adfectum eius inpotententem et in diversum statim inclinaturum voluptatem voco opinione falsi boni motam, immoderatam et immodicam.*

honesta est Lipsii coniectura ab omnibus recepta pro vitiosa codicum lectione *homine ista* vel *nomine ista* (ita LB). at propius, opinor, ad traditae lectionis vestigia accedemus, si *non iniusta* posuerimus, quod mihi quidem de imperito homine accommodatius videtur dictum esse quam *honesta.*

ep. mor. VII 5, 16: *uror, sed invictus. quidni hoc*[28]) *optabile sit? <optabile> autem, non quod urit me ignis, sed quod non vincit.*

sic locum Fickerti copiis usus constituit Haasius. vocabulum *autem* codice p (v. Chatelain p. 138), qui *hoc optabile autem non* habet, confirmatur, copula *sit* codice M aliisque, in quibus

habentur. mendum latitare recte suspicatus est Buechelerus, cum ad *id est* adnotaret: '*et*' *praestat.* quid vero facilius in *id est* corrumpi poterat quam *idem*? porro melius haud dubie est eo, quod in apographo Memmiano legitur *hii.*

[28]) vocula *hoc* iam in editione quadam anonyma saeculi decimi quinti exeuntis (2ℓ apud Fickertum) omissa et ab Haasio uncis inclusa est. tamen cum in pM aliis extet et tolerari possit, quid est cur eam eiciamus?

haec extant: *hoc optabile sit non* e. q. s. ego malo corrigere: *quidni hoc optabile sit? <est> autem* e. q. s. nam *optabile* addi nequit, cum vix copula carere possit. *est* autem post *sit* multo facilius illo omitti potuisse patet.

ep. mor. VII 6, 3: *nunc ad illud revertor, quod suadere tibi coeperam, ut otium tuum ignotum sit. non est quod inscribas tibi philosophiam. atque etiam aliud proposito tuo nomen inpone: valetudinem et inbecillitatem vocato* (*uoca* p solus, *uocato* M Arg. b L Θ alii) *et desidiam.*

in verbis *philosophiam. atque etiam aliud,* in quae Haasius codices quosdam recentiores secutus vulgatam scripturam *philosophiam atque otium. aliud* mutavit, p habet: *aut qui etiam,* M: *at qui etiam.* attamen neutra lectio ab editoribus recepta probari potest. nam voculae *atque etiam* supervacaneae et ineptae sunt. otio vero ipsius otii nomen praetendi posse quis credat? praeterea aliorsum ducunt vetustissimorum codicum vestigia. scriptum fuisse puto: *philosophiam aut quietem. aliud* e. q. s.

ep. mor. VIII 1, 24 sermo est de morte voluntaria:

nihil opstat (sic p secundum Chatelain p. 139) *erumpere et exire cupienti. in aperto nos natura custodit: cui permittit necessitas sua, circumspiciat exitum mollem. cui ad manum plura sunt, per quae sese adserat, is delectum agat et, qua potissimum liberetur, consideret. cui difficilis occasio est, is proximam quamque pro optima arripiat* (sic p ex Chatelainii collatione et M), *sit licet inaudita, sit nova.*

solus P pro tertio *cui* habet *acuit,* sed tanta est eius libri auctoritas ut huic lectioni, quae iam per se ipsa nullam interpolationis suspicionem movet, aliquid subesse videatur. quare Senecam *at cui,* quod sententiae egregie convenit, scripsisse conicio.

ep. mor. X 1, 4: *iter imperfectum erit, si in media parte aut citra petitum locum steteris, vita non est inperfecta, si honesta est. ubicumque desines, si bene desinis, tota est. saepe autem et fortiter desinendum est et non ex maximis causis: nam nec maximae sunt, quae nos tenent.*

inter *nec* et *maximae* in PL legitur *et,* quod in *eae,* pronomen hoc loco necessarium, mutandum esse arbitror. simile quid is fortasse legebat, a quo manus secundae saeculi XI correctiones in M profectae sunt. nam supra vocem *nec* scripsit: *uel heae.*

ep. mor. XV 2, 38: *in hac re dissentio a Posidonio, qui: non, inquit, probo, quod Platonis legibus adiecta principia sunt. legem enim brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur.*

pro *qui: non, inquit probo, quod,* quae est Mureti coniectura, B primo scripsit: *qui pro quod* omissis reliquis. sine dubio autem ab hac lectione proficiscendum est, cum *eo,* quod in B postea demum ante *quod* insertum est et in A statim scriptum, additamentum librarii alicuius esse verisimile sit. quamquam quomodo ea, quae Muretus supplevit, excidere potuerint, neque ego intellego neque intellexisse videtur Buechelerus, quippe qui in adnotatione Useneri inventum *vitupero* commemoret. at nonne facilius restituitur: *qui: <im>pro<bo, inquit> quod?* in quibus primam verbi *improbo* (ῑpbo) syllabam vicino *qui* et *inquit* (ῑqd) eo, quod sequitur *quod* (qd'), hausta esse puto.

ep. mor. XV 3, 16: *inde* (ex cibo per artem voluptatemque corrupto) *suffusio*[29]) *luridae bilis et decolor vultus*[30]) *tabesque in se putrescentium dentium*[31]) *et retorridi digiti articulis obrigescentibus nervorumque sine sensu iacentium torpor aut palpitatio corporum sine intermissione vibrantium.*

Schweighaeuserus cum hic non de totis corporibus, sed de singulis eorum partibus agi vidisset, induxit *corporum.* sed cum dittographia vocum *torpor aut* vix esse possit, assentior Windhausio corruptam eam vocem dicenti. quod tamen eidem olim extitisse persuasum est *cordum,* id ideo reiciendum est, quod, ut ante *venter, bilis, vultus* dictum erat, sic huius quoque vocis numerus singularis necessarius erat. ego *tororum* emendandum puto, quod vocabulum, cum modo nervorum mentio facta sit, hic aptissimum est et crebrum apud Senecam[32]).

ep. mor. XVI 2, 10: *omne tempus Clodios, non omne Catones feret. ad deteriora*[33]) *faciles sumus, quia nec dux potest nec*

[29]) v. G. Windhaus *Varietas lectionis ad Senecae epist. e cod. Bamb. enotata,* Darmstadtii 1879 p. 15.

[30]) v. Windhaus l. s.

[31]) *dentium* deest in codd., rectissime supplevit Kochius in *Annali philol.* 1875 p. 723.

[32]) v. Haasii indicem i. v.

[33]) *e,* quod post hanc vocem in B legi Windhaus p. 20 refert, fortasse ex *enim* natum est.

comes deesse et res ipsa etiam[34]) *sine duce, sine comite procedit. non praenuntius tantum ad vitia, sed praeceps et, quod plerosque inemendabiles facit, omnium aliarum artium peccata artificibus pudori sunt offenduntque deerrantem, vitae peccata delectant.*

quamquam variis modis viri eruditi vocem corruptam *praenuntius* emendare conati sunt, inter omnes convenit in priore eius parte adiectivum *pronum,* quod recentiores libri nonnulli praebent, delitescere. id quod ea re confirmatur, quod Windhaus p. 20 in B litteras *ae* in rasura exaratas esse dicit. de posteriore illius vocis parte valde dubitatur, neque ex coniecturis adhuc prolatis: Haasii *pronum euntibus,* Lipsii *non pronum est tantum ad,* Windhausii *non per pronum tantum ad vitia venitur, sed per praeceps* aut *non prona est tantum ad vitia via* ulla satis probabilis videtur esse. fortasse Seneca scripserat *pronus animus* et ante *et quod* vel alibi *it* vel *est* posuerat.

ep. mor. XVI 4, 25: *illud nullo modo probo, quod ait Metrodorus, esse aliquam cognatam tristitiae voluptatem. hanc esse captandam in eiusmodi tempore. ipsa Metrodori verba subscripsi.* ΜΗΤΡΟΔΟΡΟΥ ΕΠΙΣΤΟΛΩΝΤ ΡΟC ΤΗΝ ΑΑΔΕΑΦΗΝ ECTIN FAP ΠΟC ΗΔΟΝΗΝ ΚΥΤΤΗCΟΥΤΤΕΙΝ ΚΑΤΑ ΤΟΥΤΟΝ ΤΟΝ ΚΑΤΡΟΝ. *de quibus non dubito quid sis sensurus. quid enim est turpius quam captare in ipso luctu voluptatem?* e. q. s.

affert Seneca contra morem suum, qui is est ut Graeca omnia vertat, ipsa verba Graeca Metrodori. sunt autem ea, id quod semper fere in codicibus Latinis accidit, pessime habita a librariis linguae Graecae ignaris. ad quae restauranda cum viri eruditi ante Schweighaeuserum recentioribus codicibus usi essent, vix quidquam certi expiscati sunt nisi in initio Metrodori nomen et in fine κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν[35]). plura Schweighaeuserus, qui primus codicem A adhibuit, dispexit, cum sic scriberet: Μητροδώρου ἐπιστολῶν α΄ πρὸς τὴν ἀδελφήν. ἔστιν γάρ τις λύπη συγγενὴς ἡδονῇ, ἣν κυνηγετεῖν κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν. hunc fere secuti sunt Fickertus et Haasius, male reliquit Ianus, qui, ut alia taceam, vocabulum poeticum ἄρτιος Metrodoro obtrudere conatus est.

[34]) v. Windhaus l. s.

[35]) haec primus I. I. Scaliger invenisse videtur. cf. Gruteri adnotat.

ego Senecae interpretationem Latinam et codicis B vestigia v. Windhaus p. 21), quantum fieri potest, secutus haec fere olim scripta fuisse existimo: Μητροδώρου ἐπιστολῶν πρὸς τὴν ἀδελφήν[36]· ἔστιν γάρ πως ἡδονή τις συγγ<εν>ὴς λύπ<η· θηρευτέον ταύτ>ην κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν. atque hoc quidem paene certum est in IIOC πως latere, sicut supra in nomine Μητροδώρου O pro ω posita est, incertum quomodo ultima Metrodori verba lacunosa in B et valde corrupta restituenda sint. eodem enim iure quo θηρευτέον ταύτην restituere licet, contendas in OYTTEIN infinitivum latere et ἣν δεῖ θηρεύειν scribendum esse. praeterea dubito num Graecum θηρεύειν Latino *captare* prorsus respondeat[37]).

ep. mor. XVII 2, 13: *ad gloriam aut famam non est satis unius opinio. illic* (apud bonos) *idem potest una sententia quod omnium, quia omnium, si perrogetur, una erit: hic diversa dissimilium iudicia sunt, dissimiles adfectus. dubia omnia invenies, levia, suspecta. putas tu posse unam omnium esse sententiam? non est unius una sententia: illi placet verum, veritatis una vis, una facies est: apud hos falsa sunt, quibus adsentiuntur. numquam autem falsis constantia est: variantur et dissident.*

vix credibile est verba *non — sententia*, quae contrarium plane ei quod desideratur exprimant, tam diu in exemplaribus servari potuisse. sed omnia bene procedent, si ante *unius* voculam *nisi* posuerimus. *illi* autem in *illis* vel *illic* mutandum esse puto.

ep. mor. XVIII 1, 22: *unus est enim huius vitae fluctuantis et turbidae portus eventura contemnere, stare fidenter adpartum. tela fortunae adverso pectore excipere, non latitantem nec tergiversantem.*

adapertum Trillerus scripsit in *Observationibus criticis* Francofurti a. M. a. 1742 emissis p. 178 sq., *apertum* Schweighaeuserus. sed eandem vim habet *adverso pectore* et sine dubio Seneca illud

[36]) si numerus excidit, malo eum post hanc vocem inserere, non ut Schweighaeuserus vult post ἐπιστολῶν. sed fortasse necessarius non est.

[37]) iam scripta haec erant, cum inspecta, quam neglegere non debueram, Dueningii commentatione hac: *De Metrodori vita et scriptis*, Lipsiae 1870 p. 45, ab hoc Metrodori fragmentum similiter tractatum esse vidi. sic autem id conformandum esse putat: Μητροδώρου ἐπιστολῶν α΄ τῶν πρὸς τὴν ἀδελφήν· ἐστιν γάρ τις ἡδονὴ τῇ λύπῃ συγγενής· θηρευτέον ταύτην κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν.

cum iis quae sequuntur coniunxisset. forsitan ipsa scriptoris manus sic restituatur ut scribamus: *stare fidenter adparatum tela – – – excipere.* v. Ilias Latina 798 sq.: *totamque incendere classem apparat*[38]). idem verbum reperitur in periochae Livianae libri XXXV verbis ultimis his: *adparatum belli* (lege: *bellum*) *ab Antiocho continet.*

ep. mor. XIX 2, 4: *quidni contentus sit* (philosophus) *eo usque crevisse, quo manus fortuna non porrigit? ergo et supra humana est et par sibi in omni statu rerum, sive secundo cursu vita procedit, sive fluctuatur per adversa ac difficilia.*

cum *et*, quod AB ante *per* inserunt, neque interpolationis speciem habeat neque pro *etiam* dictum esse possit[39]), verbum *it* eo haustum esse arbitror. accedit quod praeter hunc unum nullum alium locum novi, ubi verbum fluctuandi cum praepositione *per* coniunctum sit. apud Plinium demum maiorem *circa* ab eo pendet. scribo igitur: *fluctuatur et <it> per adversa* e. q. s.

ep. mor. XIX 5[40]), 17: *L. Arruntius, vir rarae frugalitatis, qui historias belli Punici scripsit, fuit Sallustianus et in illud genus nitens. est apud Sallustium: exercitum argento fecit, id est pecunia paravit. hoc Arruntius amare coepit, posuit illud omnibus paginis. dicit quodam loco: Hiero, rex Syracusanorum, bellum fecit. et alio loco: quae audita Panhormitanos*[41]) *dedere Romanis fecere.*

[38]) *ac paratum* video Guilelmum Gemoll in *Adnotationibus criticis in Senecae epistulas morales* programmati gymnasii Cruciburgensis anni 1886 adiectis et bonae frugis plenis p. 20 commendavisse. at amat Seneca asyndeta neque apte coniungitur adverbium cum adiectivo.

[39]) ne in his quidem verbis, quae XIX 5, 10 leguntur: *cum adsuevit animus fastidire, quae ex more sunt et illi pro sordidis solita sunt, etiam in oratione, quod novum est, quaerit et modo antiqua verba atque exoleta revocat ac profert, modo fingit et ignota ac deflectit,* particulam *et* pro *etiam* positam puto. itaque vocula *nova* post similem *modo* excidisse videtur, qua inserta duo apodosis membra prorsus sibi respondent.

[40]) eiusdem epistulae locum multum tentatum (§ 6): *non aliter quam in mimo divites fugitivi solent* fortasse recte Kochius l. c. p. 726 mutavit: *n. a. q. i. m. induti esse fugitivi s.* sed nollem hac occasione oblata Apuleii verba met. VII 9: *sumeret obiecto centunculo divite* in suspicionem vocasset. *divitem* centunculum Apuleius ideo vocare poterat, quod magnum auri pondus eo occultatum fuisse sub finem praecedentis capitis narraverat.

[41]) v. supra p. 127.

credo Senecae mirum dicendi genus Arruntii visum esse, numquam credam eum tam ineptum fuisse ut non diceret, quem Panormitani Romanis dediderint. saltem debebat: *P. dedi R. f.* practerea Seneca omnibus his locis nihil aliud probare studet nisi Arruntium faciendi verbo perperam usum esse. id quod iam recentiorum codicum R P_3 librarios offendit, qui *se dedere* scripserunt. verum multo facilius *se* post *dedere* omitti poterat. idem vitium XX 5, 12 extat, ubi post spargere *se* omissum est.

ep. mor. XX 5, 9 Seneca lychnobios haec dicentes facit:

res sordida est trita ac vulgari via vivere: dies publicus relinquatur: proprium nobis ac peculiare mane fiat.

patet male dici publico proprium ac peculiare mane, partem toti, opponi. porro codex p non habet *proprium*, sed *proprius* similiterque B et alii *propius*. itaque iam Schweighaeuserus scripsit: *proprius nobis ac peculiaris* (i. e. dies) *mane fiat*. at ne sic quidem, quid *mane* illud sibi velit, intellegitur. quare *mane fiat* ex verbo *maneat*, quod syllabis male divisis sic exaratum legebatur: *mane at*, ortum esse puto. optime enim hoc respondet ei quod praecedit *relinquatur*. *peculiaris* autem in *peculiare* noto assimilationis vitio propter praecedens vocabulum *mane* mutatum est.

ep. mor. XX 6, 3: *necessarium est parvo adsuescere. multae difficultates locorum, multae temporum etiam locupletibus et instructis a duobus optantem prohibentes occurrent.*

ex corrupta lectione, quam neque Haasius emendavit, cum *a communibus*, neque Madvigius, cum *adversus optata* scriberet, *ab omnibus* (i. e. rebus) facillime videtur elici posse. creber autem est inde a Cicerone participii *instructus* cum praepositione *ab* coniuncti usus.

ep. mor. XX 6, 15 Seneca Stoicos de sapiente haec dicentes facit:

solus apte ad hanc artem (amorem): *aeque conbibendi et convivendi sapiens est peritissimus.*

post Schweighaeuserum *apte* in *aptus* mutari solet. at nonne et facilius et aptius *aptus est* (*apt; ē*) substituetur? v. supra p. 83.

ep. mor. XX 7, 5: *quid, si quis vellet non oculis, sed tactu minuta discernere? subtilior adhuc acies nulla quam oculorum et intentior* daret bonum malumque dinoscere. vides in quanta ignorantia veritatis versetur et quam humi sublimia ac divina proiecerit, apud quem de summo bono maloque iudicat tactus.*

sic haec verba Haasius, qui de restituendis iis desperasse videtur, edidit. post quem Madvigius (II 516) *subtilior adhuc acies multo quam oculorum et intentior reformidaret* scribi iussit, rectissime quod ad *multo* pertinet. *reformidaret* vero et nimis quaesitum videtur et a tradita scriptura nimium discedit. mihi in mentem venit *debet*, quod paene in ipso codice B (v. Windhaus p. 44) extat, in quo prima manu *deret*, secunda *daret* exaratum est.

ep. mor. XX 7, 12: *quod autem hoc* (hominis) *bonum? dicam: liber animus, erectus, alia subiciens sibi, se nulli. hoc bonum adeo non recipit infantia, ut pueritia non speret, adulescentia inprobe speret: bene agitur cum senectute, si ad illud longo studio intentoque pervenit. si hoc, et bonum* [*et*] *intellegibile est.*

alterum *et* seclusit Schweighaeuserus. at displicet *si hoc* tam nude positum et facilius quam *et* eicitur scribi posse videtur: *si hoc est bonum, et intellegibile est* (bonum).

Excursus ad fragmentum Palatinum de vita patris.

Insigni G. Studemundi benevolentia factum est ut fragmenta rescripta Palatina librorum *quomodo amicitia continenda sit* et *de vita patris* iterata lectione adaucta et emendata his analectis praeponere licuerit. de quorum altero si hoc loco quaedam exposuero, quamquam despero dignam me viro inlustrissimo gratiam relaturum esse, id tamen ostendere conabor quanti folia illa male habita et fusca facienda sint. eo autem maioris pretii est libri *de vita patris* fragmentum (v. supra p. XXXI sq.), quod ex tot libris Annaeanis solutae orationis qui ad philosophiam non pertinerent praeter apocolocyntosin et pauca quaedam fragmenta solum aetatem tulit. cuius verba si diligenter consideraverimus, haec discemus:

scripserat Lucius filius de vita patris, quem summo amore filios Novatum, qui postea adoptione in Gallionum familiam

transiit, Senecam, Melam amplexum esse eorumque studia fovisse non minus intellegimus ex controversiis et suasoriis filiis dedicatis quam ex Lucii dicendi genere paterno admodum simili. cum autem liber ille paulo post patris mortem, hoc est Gaio imperante, scriptus sit, primis ingenii Annaeani monumentis annumerandus est[1]). gravius vero est quod de historiis Senecae patris, quarum praeter exilia fragmenta nihil aetatem tulit, paucis verbis haud pauca edocemur. ac primum quidem nondum editum erat hoc opus quo tempore filius patris vitam emittebat. quando vero aut a quo in lucem prolatum sit certo quidem dici nequit, quamquam, si conieceris eundem filium qui servandae patris memoriae tam sedulo operam dederit, non multo post patris mortem et post editum illum librum de eius vita id negotium administrasse, in temeritatis crimen vix incurres. praeterea ex primis fragmenti verbis: *si quaecumque composuit pater meus et edi voluit iam in manus populi emisissem* alia quaedam scripta praeter historias a patre relicta et a filio edita esse non sine quadam specie veri efficere mihi videor[2]). quin etiam nescio an Lucio aut ab ipso patre aut a fratribus cura operum, quae ille edere morte prohibitus erat, edendorum mandata sit.

deinde patet ex his verbis: *quisquis legisset eius historias ab initio bellorum civilium, unde primum veritas retro abiit, usque ad mortis suae diem,* quorum temporum historia opere illo amplo sine dubio et prolixo narrata fuerit. ac finis quidem operis quin Tiberii ultimi et fortasse Gai quoque primi anni fuerint vix quisquam dubitabit (cf. p. 173), de initio paulo difficilior est quaestio. nam etsi viri eruditi iam sibi persuasisse videntur Senecam ab eo tempore quo C. Iulius Caesar ex Gallia in Italiam transiisset exorsum esse, Niebuhrio tamen, a quo profecta est haec opinio, de vi ac potestate verborum quae sunt *ab initio bellorum civilium* dubitationem quandam subortam esse ipsa produnt eius verba haec (p. 104): *initium bellorum civilium divi*

[1]) v. *Ionas de ordine librorum Senecae*, Berolini 1870 p. 23. ceterum si coniecturam in re incerta pronuntiare licet, liber ille praecipue ad commendanda patris scripta a filio, qui ea editurus erat, videtur compositus esse. laudationem enim funebrem eam non fuisse ex ipsis primis verbis perspicitur.

[2]) cum Seneca pater libros rhetoricos hodie superstites senem se scripsisse dicat, fortasse hi quoque post mortem demum eius *in manus populi emissi sunt.*

Iulii adventus in Italiam est: nam de iis temporibus, quorum historiam Sallustius conscripsit, dici non poterat veritatem retro abiisse. ambigi igitur potest utrum bellorum civilium[3]) nomine etiam bella sociorum et Sullanum comprehendantur an Caesarianum solum et Antoninianum: recte autem Niebuhrius litem enuntiato *unde primum veritas retro abiit* dirimi perspexit. at enim num iure dici poterat a Caesariano demum bello veritatem retro abiisse? nonne iam inde a Gracchana seditione atque etiam magis a Sullae temporibus partium studium in rerum gestarum narratione plurimum valuit? notissimum est hinc Scaurum, Rutilium Rufum, Lutatium Catulum, ipsum Sullam Corneliumque Epicadum, illinc Licinium Macrum stetisse. quare quamvis Sallustius in historiis et in libris minoribus priorum scriptorum vitia evitare studuerit, tamen in illis initium a Sullae demum morte cepit et, cum Caesari amicissimus fuisset, utique ei favere debebat. itaque unico hoc exemplo scriptoris veritatis quantum licebat amantis id quod Niebuhrius voluit non probatur. iam nihil aliud relinquitur nisi ut Seneca non solum historiam bellorum civilium inter Pompeium et Caesarem, inter Antonium et Octavianum gestorum eorumque quae insecuta sunt temporum composuerit, sed omnia populi Romani bella civilia narraverit, quae iam a morte Tiberii Gracchi initium cepisse historici Romani tradere solent. cuius rei manifestissimum testimonium apud Velleium Paterculum II 3, 3 extat, qui de morte Tiberii Gracchi haec dicit: *hoc initium in urbe Roma civilis sanguinis gladiorumque impunitatis fuit.* itaque similem Seneca pater materiam tractavit atque Appianus, apud quem ab hoc ipso tempore Ῥωμαικὰ ἐμφύλια initium capiunt, et Florus, qui cum libro primo bella externa usque ad Parthicum Crassi persecutus esset, altero bella civilia rectissime iam a Gracchana seditione exorsus usque ad eius qui finem iis imposuit Augusti tempora descripsit. multo vero prolixiores

[3]) *civile bellum* post Caesaris commentarios praecipue id quod ille cum Pompeio gessit appellatur. eodem nomine Livii libros centesimum nonum usque ad centesimum decimum sextum, quibus res inde ab adventu Caesaris in Italiam usque ad eius caedem gestae enarrabantur, comprehensos fuisse ex periochis scimus. neque obstat quod Augustus in indice rerum a se gestarum (VI 13) *bella civilia* a se extincta esse dicit (cf. I 13 et II 26). patet enim illo nomine non Antonianum tantum, sed etiam ea quae cum Bruto et Cassio et Sex. Pompeio gesserat et fortasse etiam priora significari.

eius historias fuisse quam illius epitomen et ipsum earum nomen et filii verba ostendunt, quae nisi de amplo et laborioso opere dici non poterant.

age vero num mero casui haec librorum Flori et Senecae similitudo tribuenda est? accedunt enim aliae eaeque gravissimae rationes. dudum autem perspectum est fragmentum de aetatibus Romanae urbis, quod ex Senecae historiis petitum Lactantius institut. divin. VII 15, 14 servavit, artissimo nexu cum loco quodam prooemii Flori coniunctum esse. qua de re ut certius iudicari possit utriusque scriptoris verba inter se comparemus:

Seneca apud Lactantium.	Florus I prooem.
non inscite Seneca Romanae urbis tempora distribuit in aetates. primam enim dixit infantiam sub rege Romulo fuisse, a quo et genita et quasi educata sit Roma: deinde pueritiam sub ceteris regibus, a quibus et aucta sit et disciplinis pluribus institutisque formata: at vero Tarquinio regnante, cum iam quasi adulta esse coepisset, servitium non tulisse et reiecto superbae dominationis iugo maluisse legibus optemperare quam regibus[4]), cumque esset adulescentia eius fine Punici belli terminata, tum denique confirmatis viribus coepisse iuvenescere. sublata enim Carthagine, quae diu aemula imperii fuit, manus suas in totum orbem terra marique porrexit, donec regibus cunctis et nationibus imperio subiugatis, cum iam	*si quis ergo populum Romanum quasi unum hominem consideret totamque eius aetatem percenseat, ut coeperit utque adoleverit, ut quasi ad quandam iuventae frugem pervenerit, ut postea velut consenuerit, quattuor gradus processusque eius inveniet. prima[5]) aetas sub regibus fuit prope per annos quadringentos[6]), quibus circum urbem ipsam cum finitimis luctatus est. haec erit eius infantia. sequens a Bruto Collatinoque consulibus in Appium Claudium Quintum Fulvium consules centum quinquaginta annis patet, quibus Italiam subegit. hoc fuit tempus viris armis incitatissimum, ideoque quis adulescentiam dixerit. deinceps ad Caesarem Augustum centum et quinquaginta anni, quibus totum*

[4]) agnoscisne rhetorem homoeoteleutis ludentem?

[5]) N(azarianum) secutus haec posui pro corrupta B(ambergensis) scriptura *quattuor gradibus romae*, quae ex adnotatione in margine apposita *de quattuor gradibus romae* nata videtur esse.

[6]) falsos numeros hunc et proximos duos Halmii exemplum secutus non mutavi.

bellorum materia deficeret, viribus suis male uteretur, quibus se ipsa confecit. haec fuit prima eius senectus, cum bellis lacerata civilibus atque intestino malo pressa rursus ad regimen singularis imperii reccidit quasi ad alteram infantiam revoluta. amissa enim libertate, quam Bruto duce et auctore defenderat, ita consenuit, tanquam sustentare se ipsa non valeret, nisi adminiculo regentium niteretur.	*orbem pacavit. hic iam ipsa iuventus imperii et quasi robusta maturitas. a Caesare Augusto in saeculum nostrum haud minus anni ducenti, quibus inertia Caesarum quasi consenuit atque decoxit, nisi quod sub Traiano principe movit lacertos et praeter spem omnium senectus imperii quasi reddita iuventute reviruit.*

haec quicunque perlustraverit, insignem quendam duorum scriptorum consensum deprehendet. nam duo quae insunt discrimina, alterum quod Florus infantiam quae sub rege Romulo fuerit omisit, alterum quod non eadem ab utroque senectus indicatur aut ex brevitatis studio scriptoris epitomae aut quod diversis temporibus eorum libri compositi sunt repetenda esse consentaneum videtur. accedit quod dubitare licet num satis accurate Lactantius Senecae verba rettulerit. ob quae discrimina cum iam I. G. Vossius (*De historicis* I 30 p. 264 ed. II) merito iis adversatus sit qui vel a Seneca Flori epitomen scriptam esse vel Floro Senecae cognomen fuisse contendebant, id tamen utique concedendum est et concessit O. Iahnius (edit. Flori p. XXXIX) Florum a Seneca illam imaginem mutuatum esse[7]).

hoc si tenuerimus, sine ullo temeritatis opprobio longius progredi licebit, id quod ne Iahnium quidem fecisse, qui fragmenti de vita patris haud immemor erat, est cur mireris. hanc enim aetatum historiae populi Romani distinctionem Florus per totum librum, non per praefationem solam secutus est et tribus prioribus aetatibus anacephalaeoses earum, quas ei qui epitomen

[7]) eadem verborum Senecae et Flori discrimina impediunt ne cum L. Spengelio (*Abhandlungen der bayerischen Akademie, philos.-histor. Klasse* IX 345 sq.) putemus Lactantium a Floro ipso, quem propter Annaei cognomen ei in N inditum Senecam putaret, verba illa petivisse. ut taceam patrem ecclesiae eruditissimum longe afuisse a puerili hoc errore, num credibile est eum, cum ipse multo recentior Traiano esset, senectutem populi Romani usque ad Augusti imperium restrinxisse?

in capita distinxit dicere placuit, postposuit (I 2, 17, 46.[8]) itaque si Florus historiae Romanae epitomen modo ei, quem Seneca pater in historiis secutus erat, simillimo disposuit, num a probabilitate abhorret eum etiam in rerum enarratione multa ab eo petivisse[9])? quamquam autem ex duorum prooemiorum discriminibus eum non anxie se ad Senecae verba applicavisse perspicuum est, tamen supersunt vestigia ab epitomae editoribus silentio haud praetermissa, ex quibus Florum historicum quendam vetustiorem tam neglegenter secutum esse pateat, ut quae illius aetate dici poterant, sua non item, securus transcriberet. hanc ob causam Pompeii et Herculaneum eius aetate dudum obrutae (I 11) stare etiam tum perhibentur, hanc ob causam (II 30[10]), signa et aquilas duas Variani exercitus, quae iam a Germanico recepta erant, suis temporibus barbaros tenere tradidit. neque tamen in posteriore libro solo Senecam a Floro compilatum esse puto. sine dubio enim more illo ab omnibus fere historicis Romanis, qui quidem maioris ambitus opera conscripserunt, inde a Fabiis Cinciisque usque ad Tacitum servato, qui pro breviloquentia sua paucissimis verbis usus est, ut res Romanae inde a primordiis usque ad ea tempora a quibus prolixior narratio incipiebat brevi conspectu ob oculos legentium ponerentur, Seneca quoque accuratae et diligenti bellorum civilium descriptioni brevem et concisam externorum bellorum narrationem praemiserat, praesertim cum constet eum initio librorum suorum totam historiam Romanam in aetates divisisse. cave tamen credideris breviorem illam priore Flori libro fuisse. nam et historias magnae molis fuisse opus supra vidimus et egregiam praefatio historico rhetori occasionem declamandi praebebat, cum imago illa magnitudinis Romanae in bellis externis maxime conspicua quasi uno obtutu ob oculos poneretur. accedit quod similes praefationes aliorum

[8]) v. O. Iahnius praef. p. XXXVIsq.

[9]) Florum Senecae filii, cuius perperam putabat, opus historicum imitatum esse iam Lipsii videtur fuisse sententia. v. editio operum Senecae Plantiniana anni 1615 p. XXXIII adnot. quamquam ex brevissimis eius verbis non prorsus elucet utrum de prooemio tantum Flori an de toto libro ex Senecae historiis compilato cogitaverit.

[10]) Livium auctorem erroris Senecae fuisse puto, a quo eum Florus sumpsit. v. p. 167. ceterum huius verba sunt haec: *signa et aquilas duas adhuc barbari possident.*

historicorum integros libros occupasse constat. talem bellorum illorum descriptionem usui suo accommodatam cum Florus invenisset, utrum probabilius est eum, qui historiae Romanae cognitione exigua imbutus[11]) magis ornatum orationis quam res ipsas curaret, paratis manus iniecisse atque aliena suo modo immutata in usum suum convertisse an maiore cum labore ex magnae molis operibus ea quae memoria dignissima viderentur excerpsisse? cui rei non obstat codicum inscriptio, qua Flori libris Titi Livii epitome contineri perhibetur. veri simile enim est illam, cum constet Florum dispositione operis, fine, rebus haud paucis aliter narratis[12]) vel a Livio omnino non memoratis ab eo discrepare, aut ad exemplum periocharum Livii saepe eodem quo Florus continebatur volumine comprehensarum fictam esse ab eo qui claro illo nomine libellum commendare studeret aut per errorem impositam, cum nescio quis Livio solo Florum usum esse arbitratus esset. neque enim infitior multa maxime in priore libro a Livio petita esse, sed nihil impedit ne credamus Senecam ipsum, quem bellorum civilium accuratiori narrationi externorum epitomen praemisisse probare studuimus, in hac parte eum sibi potissimum ducem elegisse, cuius opus non multo ante emissum summo in honore esset et cuius in controversiis bis mentionem fecisset. in posteriore parte, quoniam amissis Livii libris integris ex periochis sub finem magis magisque exarescentibus haec quaestio vix diiudicari potest, quem praecipue auctorem Seneca et cum eo Florus secuti sint nescimus. quamquam in hac quoque Livium certe in usum vocatum esse veri non est dissimile. Florum vero in eadem Senecae historias compilasse praeter argumenta supra allata hac ratiocinatione colligitur. non fugit Flori et Lucani interpretes mirus quidam in descriptionibus belli civilis inter Caesarem et Pompeium gesti consensus. quem haud fortuitum esse eo probabilius est, quo frequentius in brevi belli apud Florum narratione, quae ne tota quidem in censum veniat, eaedem res isdem vel similibus verbis referuntur. collegit haec iam Meinertus in

[11]) enumeraverunt graviora eius peccata Graevius aliique editores in praefationibus et adnotationibus, alia adiecit L. Spengelius l. c. p 310.

[12]) v. O. Iahnius in edit. p. XXXIV et Teuffel-Schwabe H. L. R. p. 815 (ed. 4).

Annalibus litterariis Vindobonensibus XXVIII (1824) 185 sq.[13]), sed cum neque omnia protulerit neque recto ubique iudicio usus sit, hunc eorum conspectum subicio:

Florus.	Lucanus.
II 13, 4 *adeo ut non recte tantum civile dicatur, ac ne sociale quidem, sed nec externum, sed potius commune quoddam ex omnibus et plus quam bellum.*	I 1 *bella per Emathios plus quam civilia campos* e. q. s.
8 *cum - recentes - victorias, Ponticos et Armenios triumphos in Pompeianis theatris Roma cantaret.*	I 133 *plausuque sui gaudere theatri.*
14 *nec ille* (Pompeius) *ferebat parem, nec hic* (Caesar) *superiorem. pro nefas. sic de principatu laborabant, tamquam duos tanti imperii fortuna non caperet.*	I 125 *nec quemquam iam ferre potest, Caesarve priorem Pompeiusve parem.* 109 *populique potentis quae mare, quae terras, quae totum possidet orbem, non cepit fortuna duos.*
20 *turpe dictu: modo princeps patrum, pacis bellique moderator per triumphatum a se mare lacera et paene inermi nave fugiebat.*	II 708 *heu pudor, exigua est fugiens victoria Magnus.* 725 *pelagus iam, Magne, tenebas non ea fata ferens quae, cum super aequora toto praedonem sequerere mari.*
30 *aliquid tamen adversus absentem ducem ausa Fortuna est.*	IV 402 *non eadem belli totum Fortuna per orbem constitit, in partes aliquid sed Caesaris ausa est.*
32 *missae quoque a Basilo in auxilium eius* (Antonii) *rates, quales inopia navium fecerat*[14]),	448 *at Pompeianus fraudes innectere ponto antiqua parat arte Cilix passusque vacare*

[13]) v. O. Iahnius praef. p. XLVII sq. qui merito Meinertum errasse dixit, quod ex consensu quodam fortuito paucorum Flori et Silii locorum hunc quoque ab eo imitando expressum esse existimasset.

[14]) sic N, cuius scriptura in rhetorica et prope ad poeticam accedente Flori oratione sine dubio praeferenda est codicis B lectioni *fecerant*. quem librum immerito ubique Nazariano ab Iahnio Halmioque praelatum esse

nova Pompeianorum arte Cilicum actis sub mari funibus captae quasi per indaginem. duas tamen aestus explicuit, una quae Opiterginos ferebat in vadis haesit memorandumque posteris exemplum dedit.	*summa freti medio suspendit vincula ponto et laxas fluitare sinit religatque catenas rupis ab Illyricae scopulis. nec prima nec illa quae sequitur tardata ratis, sed tertia moles haesit et ad cautes adducto fune secuta est.* 496 *nescio quod nostris magnum et memorabile fatis exemplum, Fortuna, paras.*
35 *sed iam debitum par Fortuna flagitante.*	VI 3 *parque suum videre dei.*
46 *adnotatum quoque committentis aciem Crastini pilum, qui mox adacto in os gladio sic inter cadavera repertus est.*	VII 470 *di tibi non mortem - - - -, sed sensum post fata tuae dent, Crastine, morti, cuius torta manu commisit lancea bellum primaque Thessaliam Romano sanguine tinxit.*
56 *aderat puellae* (Cleopatrae) *forma.*	X 105 *vultus adest precibus.*
60 *ne virilia quidem portenta, Pothinus atque Ganymedes.*	VIII 474 *tamen omnia monstra Pellaeae coiere domus.*
65 *sparsae magis quam oppressae* (Pompeianorum) *vires erant.*	VIII 273 *sparsit potius Pharsalia nostras quam subvertit opes.*

omnes fere qui insignem hunc duorum scriptorum consensum animadverterunt Florum ex Lucani Pharsalia lumina orationi suae interposuisse putaverunt. quamquam autem negare non licet fieri potuisse ut Florus quaedam a Lucano mutuaretur, vix minore iure utrumque scriptorem eodem auctore usum esse contendas[15]). utrum

demonstravit H. Sauppius in *Indice scholarum Gottingensium hibernarum anni 1871*. Orosio autem antiquiorem codicis N recensionem esse Zangemeisterus ostendit praef. edit. Orosii p. XXVI.

[15]) G. Baierus in commentatione *De Livio Lucani in carmine de bello civili auctore* Suidniciae anno 1874 emissa p. 3 sq. Flori et Lucani consensum ita explicat ut utrumque Livio usum esse dicat. praeterea errat quod Livium unicum Lucani auctorem putat (p. 46). hoc enim verum esse et propter causas supra afferendas et quod poeta eruditissimus sine dubio plures scriptores secutus est (v. adn. 16), nullo modo credibile est. ipse autem

autem probabilius est Florum, cum iam in priore libro Senecae historiis usus esset, in narrando bello Pompeiano Lucanum adhibuisse, an hunc, sicut in descriptione Nili avunculi quaestiones naturales secutus est[16]), ita quae in avi historiis acute et eleganter dicta invenerat sua fecisse? quae cum et ipsa Florus, quippe qui argutiis rhetoricis mirifice delectaretur, cupide arripuisset, hic quem vidimus illorum locorum consensus ortus est. itaque de mortis genere Crastini, quamquam initium eum proelii Pharsalici fecisse refertur, nihil apud Lucanum legitur. merito autem poeta nullam eius mentionem fecit, quippe cui in vividiore pugnae descriptione ab initio eius ad finem aberrare, id quod rerum scriptores Seneca et Florus fecerunt, non liceret. porro in paragraphis 14, 35, 46, 56, 65 magis propria et aptiora videntur ea vocabula esse quae Florus nimirum a Seneca ipso mutuatus est: *superiorem, debitum, aciem, forma, oppressae vires* quam ea quae Lucanus ob metrum vel alias ab causas posuit: *priorem, suum, bellum, vultus, subvertit opes.* Flori enim dicendi genus tam prope abest a poetico ut, si Lucano usus esset, eius verba vix mutaturus fuerit. quin etiam IV 449 ubi dolus Pompeianorum Cilicum a Seneca, quem postea Florus secutus est, *nova ars* i. e. *inaudita et mira ars* dicta erat, nepos similiter atque poetae Alexandrini nominibus non memoratis aequalium errores emendare studuerunt avum ita correxisse sibi visus est ut *antiqua arte* scriberet. memor enim erat belli contra praedones gesti, in quo Cilices similibus fraudibus Pompeium adorti erant. denique toto poetae prooemio nihil contineri nisi exaggerationem et verbosam

Baierus p. 41 sq. sat multa affert, quibus Lucanus ab ea quae belli Caesariani apud Livium fuerit descriptione discrepet.

[16]) nat. quaest. IV 1 et 2 = Pharsal. X 194—331. Salmasius in *Exercitationibus Plinianis* p. 439 (ed. Paris. a. 1629) paucos quosdam locos, quibus Seneca et Lucanus consentiunt, indicavit, totam rem eruditissime et luculentissime ut solet H. Dielsius persecutus est in commentatione *Seneca und Lucan* inscripta (*Abhandlungen der k. preussischen Akademie der Wissenschaften vom Jahre 1885*). similem consensum inter naturales quaestiones et poema Aetnam intercedere P. R. Waglerus demonstravit *Quaestionum criticarum de Aetna poemate* (Berolini 1884) capite altero, sed vellem eo ad carmen Lucilio Senecae amico, vindicandum melius usus esset. tribus igitur iam exemplis, quibus alia adici possunt, demonstratum est quam artis studiorum vinculis illi scriptores praeter cognationem et amicitiam inter se conexi sint et quam non alter alterum expilare dubitaverit. ceterum v. quae *Disquisitionum de Seneca filii scriptis criticarum* p. 1 dixi.

repetitionem sententiae *bella plus quam civilia* a Seneca patre, ut videtur, cum apud Florum redeat, inventae iam Fronto (p. 157 Naberi) bene animadvertit, ea vero quae apud illum leguntur multo aptius figura gradationis apud omnes rhetores frequentissima sensim a bello *civili* usque ad *plus quam civile* ascendunt.

iam circumspicientibus nobis num alia quoque vestigia extent historiarum Senecae patris a scriptoribus veteribus in usum vocatarum post nepotem poetam filius eius offertur philosophus. nam insunt in libris eius quae philosophiam tractant inter exempla quibus ad sententiam aliquam inlustrandam utitur praeter haud pauca ex rhetorum scholis petita[17]) plurima quae ex historia populi Romani deprompsit. ex quibus quamquam nonnulla maximeque ea, quae velut Reguli, Rufi, Bruti, Catonis exempla in locorum communium usum abierant, ex memoria fere narrata videntur[18]), alibi tamen historicos ex quibus ea petiverit velut Claudium Quadrigarium[19]) et Titum Livium[20]) commemorat. sunt

[17]) alicubi declamationum vel controversiarum argumenta tanquam exempla affert Seneca velut de benef. I 5, 4; II 20, 1; V 13, 4; VI 13, 5; 38, 1. cf. praeterea ep. mor. III 3, 6 et quae dixi *Disquisitionum de Senecae filii libris criticarum* p. 18.

[18]) quamquam in his quoque insunt loci quibus auctoris quo Seneca usus est verba ipsa servata esse credas, velut ea quae de provid. 2, 11 et alibi narrantur egregie concinunt cum iis quae Florus II 13, 72 secundum Senecam patrem vel Livium refert. alia vero exempla suae ipsius aetatis ex memoria a Seneca proferri probabile est. ad quae ea maxime pertinere videntur quae Gaio imperante non sine acerba eius insectatione facta esse tradit.

[19]) ex annali Claudii duodevicesimo nobile illud exemplum de matrona quadam Romana in Grumeti expugnatione a duobus servis servata petitum esse ipse Seneca dicit de bene. III 23, 2. quam narratiunculam quae proxime sequitur de Vetteno (*Vettius* etiam Gertzius scripsit, sed restituenda quamvis adversantibus historicis qui eandem rem tradiderunt altera forma consensu librorum NRL confirmata, cf. supra p. 15 adn. 7) Marsorum praetore, quae et ipsa ad bellum sociale pertineat, ex eiusdem Claudii opere deprompta videtur.

[20]) Livium etiam praeter eos locos quibus nomen eius commemoratur adhibitum esse ideo probabile est, quia eius libri Senecae temporibus summo in honore erant. quare pendent ex eo quae nat. quaest. V 18, 10 de Crassi morte narrantur. nam et in eodem capite Livius commemoratur et *diris revocantis tribuni* haud dubie longior quaedam narratio significatur (cf. Florus I 46, 3). porro ea quoque quae epist. moral. XI 3, 24 (cf. de clem. I 28, 3 sq.) referuntur de serpente illa ingenti, cum qua bello Punico primo M. Atilii Reguli milites pugnasse dicebantur, ex illius libro XVIII petita sunt. in hoc enim rem illam fabulosam a Livio, qui et ipse eam a Tuberone (apud Gellium

tamen alia exempla eaque satis prolixe narrata quae eum ex patris historiis petivisse a similitudine veri non abhorreat. quibus enim potius uteretur quam his quas et pernovisse eum constat et pro ambitu et rhetorica scriptoris indole huius modi narratiunculis refertas. fuisse probabile est? ex harum igitur numero narrationum, immo, ut Seneca ipse eas appellat, fabularum (de benef. VII 20, 5; nat. quaest. V 15, 1) longissima et lepidissime narrata quae est de insidiis Augusto a Cinna paratis extat de clem. I 9[21]). quam quidem, cum et longior sit et accuratius relata quam ut memoriter narrata esse possit et ex periochis constet Livium in describendis Augusti rebus non ultra Drusi mortem processisse, verisimillimum est ex Senecae patris historiis originem ducere. quin etiam haec verba quae sunt (§ 11): *ne totam eius* (Augusti) *orationem repetendo magnam partem voluminis occupem: diutius enim quam duabus horis locutum esse constat,* aperte ostendunt Senecam filium certum aliquem scriptorem ob oculos habuisse eiusque verba tam accurate expressisse, ut quo loco longiorem quae apud eum extabat orationem omisisset indicandum esse putaret.

VII 3) videtur petivisse, vividis coloribus depictam fuisse scimus ex periocha eius libri. v. praeterea Valerius Maximus I 8 extern. 19 et Orosius IV 8, 10 sq. cum Zangemeisteri adnotationibus. — ceterum repraesentari videtur haec res in lucerna fictili collectionis Oppermani edita a G. Froehnero in libello doctrinae et acuminis pleno *Mélanges d'épigraphie et d'archéologie*, Paris 1873 p. 20 sq. tres enim legionarii Romani — id quod ex armorum forma intellegitur — aditum castrorum loco declivi, i. e. in ripa Bagradae fluminis, sitorum contra immanem serpentem alis et capite et pectore muliebri praeditam defendunt seque scutis oppositis a pestilenti eius afflatu tutantur. neque id explicationi meae obstat quod artifex serpentem ipsa castra adortam esse, non prope ea cum Romanis conflixisse finxit, aut quod murum potius castelli quam vallum castrorum videtur indicasse. notum enim est artis monumenta in his minutiis saepe cum rebus a poetis vel scriptoribus traditis discrepare. porro caput femininum artis cadentis aetate etiam hydra Lernaea habet. denique hanc pugnam, quae quamvis bello Punico primo ab annalium scriptoribus inserta sit, tamen ad historiam fabularem pertinet, notissimam fuisse ex locis supra allatis perspicitur.

[21]) iam Lipsius vidit eandem rem a Cassio Dione LV 14 sq. narratam esse. cuius verba etiam si interdum Annaeanis similia sunt (3 *nox illi inquieta erat* = 2 οὔτ' αὐ νύκτωρ ἀτρεμεῖν δυναμένῳ, 7—11 = 22 λόγοις τισὶ νουθετήσας), tamen, cum saepius inter se discrepent, nolim de Seneca ipso Dionis auctore cogitare, sed videtur nescio quis scriptor qui Senecam excerpserat adhibitus esse. ceterum longum illud inter Augustum et Liviam colloquium non dubito quin Dio ipse more suo finxerit.

potest filius etiam alias narrationes velut illas de Trichone et Tario (de clem. I 15), de Paulo et Rufo (de benef. III 26 sq.), de Livia et Octavia (ad Marc. 2 sq.), de Iulia (de benef. VI 32) similesque ex largo historiarum a patre conscriptarum penu mutuatus esse, immo haud improbabile videtur id factum esse, sed quoniam certis argumentis probari nequit, diutius huic quaestioni immorari nolo. — pauca dicenda restant de altero historiarum fragmento in Suetonii vita Tiberii (73) servato[22]). nam quamvis et hic et Lactantius scriptoris tantum nomen, non libri indicaverint, tamen num iure illa fragmenta ad Senecae patris historias referantur non est cur dubitemus. filii enim nullum opus historicum Quintilianus in catalogo librorum eius commemorat, neutrum vero fragmentum ita comparatum est ut tanquam exemplum in scriptis philosophiae facile locum habere potuerit. confirmatur autem fragmento Suetoniano id quod supra vidimus Senecae patris historias *paene usque ad mortis eius diem* pertinuisse et satis prolixum narrandi genus fuisse. nam quod Flori epitome pace Parthorum et consecratione Augusti terminatur, ea ex re Senecae historias ab eo adhibitas non esse concludere non licet. immo voluit librum suum, quam declamationem verius dixeris quam historiam, exitu quam aptissimo finire.

---

[22]) aliorum de obitu Tiberii narrationibus memoratis haec dicuntur: *Seneca eum scribit intellecta defectione exemptum anulum quasi alicui traditurum parumper tenuisse, dein rursus aptasse digito et compressa sinistra manu iacuisse diu immobilem, subito vocatis ministris ac nemine respondente surrexisse nec procul a lectulo deficientibus viribus concidisse.* habes ultimos tyranni moribundi spasmos vividis coloribus a rhetore depictos, simul vero vides quam non sollicitus hic fuerit mendaciis suis saltem speciem quandam veri circumdare. *mendacia* dico, nam si ne minister quidem ullus morti Tiberii interfuit, quis tandem vel minimos eius motus spectavit? accedit quod ea quae de anulo narrantur ad similitudinem mortis Alexandri magni efficta videntur. porro animadvertendum est Senecam, quippe qui Gaio imperante historias ad finem perduxisset, nihil de Tiberio a Gaio interempto tradidisse. ceterum cum hac in re Suetonium auctoritati Senecae multum tribuisse appareat, etiam alibi eum non memorato nomine illo usum esse probabile est.

Addenda et corrigenda.

P. XXI fol. 40^{v} vers. 12 dele virgulam ante RA.
p. XXIV vers. 4 ab ultimo pro sextam lege septimam.
p. XXIX vers. 7 ab ultimo lege: epist. 75, 11.
p. 2 adnot. 2: melius catalogi Casinensis verba Gertzius edit. dialogorum p. V distinxit hoc modo: *Senecam magistri amici quem abemus pro alio Seneca monasterii in pignore I.*
p. 9 adnot. 15 post 'puto' adde: codicem Ambrosianum olim congregationis Casinensis fuisse demonstravit Gertzius edit. dialogorum p. V.
p. 11 vers. 25: in novo bibliothecae Parisinae armamentarii catalogo ab Henrico Martin edito (*Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques de France* vol. II p. 346, Paris 1886) codici numero *Scient. et Art. Lat. 28* signato novus numerus 1202 impositus est.
p. 13 v. 8: *bene*, quod ante *felicitatem* etiam Gruteri quidam codex habet, ferri posse Gertzius dixit p. 345.
p. 21 v. 21 lege: *si cohędit herit* N.
ibid. v. 22 lege: *illi simile habebat* R.
ibid. v. ult. lege: **84**, 6.
p. 23 v. 30 lege: *maximi scilicet viri.*
ibid. adnotationi priori numerus **21** praeponendus est.
p. 27 adnot. 3 lege: quae prolata sunt.
p. 29 adnot. 6 lege: qui quamquam.
p. 41 adnot. 22 lege: de eo p. **58**.
p. 48 v. 11 lege: p. **95**.
ibid. v. 29 lege: p. **43**.
p. 63 adnot. 59 lege: *non Iesum norunt isti,*
p. 73 adnot. cum hac acrostichide (*Hatto miser* e. q. s.) Studemundus confert similem (*Manno — miser*) Mannonis, qui anno 880 mortuus est. quam acrostichidem ex codice Parisino 6601 saeculi IX exeuntis edidit Aemilius Chatelain *Paléographie des classiques latins* p. 12.
p. 81 v. 34: Cleanthis versum primum in Epicteti enchiridio 53 servatum exscripsi qualem Duebnerus edidit in Theophrasti, Antonini, Epicteti exemplari Parisiis 1842 emisso. at cum apud Arrianum dissert. Epictet. II 23, 42; III 22, 95; IV 1, 131; IV 4, 34 sic scriptus sit: ἄγου δέ μ', ὦ Ζεῦ, et enchiridii codex Uptonianus hanc eius formam habeat: ἄγε δή μοι, ὦ Ζεῦ, nescio an legendum sit: ἡγοῦ δέ μοι, Ζεῦ. ἄγου δέ μ', ὦ Ζεῦ, dubitanter scribendum proposuit Schweighaeuserus.

p. 85 adnot. 1 lege: *morientis extremas voces.*
p. 86 adnot. post 'σύγκρισιν quae' adde: partim plurium partim.
p. 96 v. 4 dele: est.
p. 123 adnot. 31 post 'tradidit' adde: cf. Marius Victorinus art. gramm. II 8 p. 94, 9 K.
p. 125 v. paenult. post 'exaratis' adde: de normis quibus in disiungendis iungendisve vocabulis et grammatici Romani et librarii saeculi p. Chr. n. sexti usi sint cf. quae Studemundus disputavit in *Dissertat. philol. Argentorat.* IX p. [70] sq.
p. 141 adnot. 8 lege: metamorphoseon Ovidii.
p. 145 adnot. 14: in coniecturam *strata* etiam Gertzium incidisse disco ex Senecae patris editione ab H. I. Muellero Vindobonae a. 1888 emissa.
p. 158 adnot. 37: H. Usenerus in *Epicureis* Lipsiae 1887 editis p. 164 Metrodori fragmentum sic constituit: ἔστιν γάρ τις ἡδονὴ διὰ λύπης θηρευτέα κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν. cf. eiusdem libri p. LVI. ceterum verba quae ipsum Metrodori dictum praecedunt: Μητροδώρου — ἀδελφήν sicut ea quae simili loco ep. mor. XIX 5, 5 leguntur *Maecenas de cultu suo* in Senecae orationem e margine, ubi aut ab ipso scriptore aut ab amanuensi posita erant (v. Quintilian. inst. orat. X 1, 128), irrepsisse videntur. verba enim *Maecenas de cultu suo,* cum post ea *quid turpius?* legatur, ne iusto quidem loco recepta sunt. simile quid invenies apud Velleium I 6, 6.
p. 172 v. 2 lege: abhorreat.

Index capitum.

L. Annaei Senecae librorum quomodo amicitia continenda sit et de vita patris quae supersunt edidit Guilelmus Studemund. . p. I
Prooemium 1
I. De dialogis recensendis 6
II. De libris qui sunt de beneficiis et de clementia recensendis . . . 13
III. De apocolocyntosis codice Valenciennensi 25
IV. De epistulis moralibus recensendis 31
V. De libris qui de formula honestae vitae et de remediis fortuitorum inscribuntur medio aevo in epitomas redactis 84
VI. Orthographica 113
VII. Observationes de singulis locis criticae 134
Excursus ad fragmentum Palatinum de vita patris 161

Index rerum.

Acrostichides medii aevi p. 72, adnot. 71
Albericus 49, 35
'aliquoi' 121
Annaeae gentis studia litterarum 170, 16
apices 129, 56
assimilatio praepositionum . . 123 sq.

'bellum civile' et 'bella civilia' . 163

Caecilius Balbus 3, 10
carmina medii aevi inedita . 72, 71
carmen de Seneca et Paulo . 63, 59
Cassius Dio eodem fonte quo Seneca utitur 172, 21
Claudius Quadrigarius . . . 171, 19
compilatorum errores 111

declamationum argumentis Seneca utitur 171

dialogi Annaeani per medium aevum minus noti . . . . . p. 6
dialogi Annaeani in Italiae monasteriis servati 9, 15
diiungendorum vocabulorum normae . . . . . 125 et 175

epistularum moralium Senecae inscriptio 31, 1
epistularum moralium prius volumen posteriore saepius descriptum 32
epitaphium Africanum litteris uncialibus scriptum XIII
excerptorum e dialogo de remediis fortuitorum aetas . . . 112

Florus Senecae patris historiis utitur . . . . . 163 sq.
Flori recensio Nazariana . . 168, 14

Hildebertus Cenomanensis Senecae epitaphium sibi vindicat p. 31, adnot. 2
Hildebertus Cenomanensis dialogo de remed. fortuit. utitur . . 96
'hi' pro 'ii' et 'his' pro 'iis' . 132 sq.
'hoc' pro 'huc' . . . . . 113 sq.

Iacobus Magni libello de remediis fortuitorum utitur 96
'illo' et 'illoc' pro 'illuc'. . . 113 sq.
I longa . . . . . 128 sq.
'institutio oratoria' inerat in archetypo codicis Nazariani . . 17, 12
interpolandi genus gravissimum 49, 35
interpolator apocolocyntosis vetus 27, 3
Ioannis Saresberiensis catalogus librorum Senecae 3, 10
'isto' 114
L. Iustinianus 62, 56
Iuvenalis vita inedita 77, 73

K = H in codicibus 129, 55

librarii Graeca interpretari conantur 50
librariorum recentiorum interpolandi studium . . . . . 49 sq.
I. Lipsius 53, 41
Livio Seneca pater utitur . . . 167
Livio Seneca filius utitur . . . 171
lucerna fictilis Oppermanni . 171, 20
Lupi commentarius de metris Boethii . . . . . 75, III

Militio 18, 14
monachorum adnotationes . . 65, 60
Musonius eodem quo Seneca auctore utitur 139, 5

Nicianus librarius . X, XXIII, XXXI
nominum propriorum formae Graecae . . . . . 61 et 126 sq.
notae iuris VIII

orbes e parietibus suspensi . . . 66

perfecti formae contractae . p. 130 sq.
perfectum aoristi gnomici vice fungitur 150
pictura Pompeiana edita Arch. Zeit. 1877 tab. I. 135, 2
Pinciani fides 18, 14
Publilii Syri recensio 85, 2
Publilii Syri sententiae Senecae aetate collectae 85, 2
Publilii sententiarum collectione ampliore quam nostra est Gellius utebatur 85, 2

'quoi' . . . . . 119 sq.
'quoique' 121
'quoius' 122
'quom' . . . . . 115 sq.

scripturae capitalis et uncialis discrimen . . . . . VI sqq.
'Seneca ad Novatum' 6, 2
Seneca amat formas vetustas 115 et 123
Senecae citandi ratio . 141, 8 et 175
Senecae de clementia liber II et III 20, 16
Senecae dicendi genus XXV
Seneca eodem quo Musonius auctore utitur 139, 5
Senecae epitaphium 31, 2
Senecae exempla historica . . 171 sq.
Senecae exhortationes 87
Seneca grammaticos contemnit . 1, 1
Seneca historiis patris utitur 171 sq.
Senecae librorum fata . . . . . 1 sq.
Senecae monita et liber de moribus 85, 1
Senecae studia historica . . 171 sq.
Senecae patris historiae . XXIII sq., XXXI sq., 162 sq.
Senecae patris libri rhetorici quando editi sint 162, 2
sententiarum collectiones medii aevi 85, 1
sententiae e Senecae libris excerptae . . . . . 84 sq.
Suetonius Senecae patris historiis utitur 173

Tiberii mors . . . . p. 173, adnot. 22

variae lectiones veteres errorum causa . . . . . 24 sq. et 41

'vereri' . . . . . p. 151
Vettenus, praetor Marsorum . 15, 7
Vincentius Bellovacensis libro de remed. fortuit. utitur . . . 96

Index locorum.

(In solutae orationis libris Haasii numeros secutus sum, in tragoediis Leonis.)

Ampelius lib. memorial. 16, 4 p. 153, adnot. 26
Apuleius metamorph. VII 9. 159, 40
18. 151, 23
Cleanthes apud Epictetum enchir. 53 175
Florus epit. I prooem. 4 . . . . . 164, 5
41, 4 . . . . . 127, 47
II 13, 32 . . . . . 168, 14
Fronto ed. Naber p. 30, 4 . . . 116, 8
34, 16 . . 116, 8
44, 11 . . 116, 8
157, 5 . . . 116, 8
Iustinianus institut. I 10, 12. 133, 67
Iuvenalis XI 175 . . . . . 66, 61
vita in O. Iahnii ed. mai. 1. et 7 . . . . . 77, 73
Metrodorus apud Senecam ep. XVI 4, 25 . . . . . 157 et 175
Musonius apud Stobaeum florileg. XIX 16 . . . . . 139, 5
Ovidius metamorph. VI 67 . . . 141, 8
Petronius sat. 116 . . . . . 153, 27
Quintilianus inst. orat. X 1, 128 133, 68
Seneca de providentia 2, 3 . . . 134
3, 10 . . 134
de constantia sapientis 4, 2 . 134
13, 4 . 134
14, 4 . 134
de ira I 14, 2 134
20, 6 . . . . . 139 sq.
II 3, 1 134
6, 2 134
12, 4 10
Seneca de ira II 29, 1 . . . . . p. 134
33, 6 140
34, 4 131
35, 6 . . . . . 140 sq.
III 12, 4 134
13, 1 . . . . . 141 sq.
19, 1 . . . . . 119, 16
22, 5 134
28, 3 134
34, 2 134
36, 1 131
consolatio ad Marciam 1, 7 . . 131
10, 7. 8, 12
12, 3 . . 142
13, 2 . . 131
14, 3 . . 131
16, 5 . . 131
18, 2 . . 142
19, 6 . . 10
20, 1 . . 134
20, 2 . . 10
21, 6. 117, 11
21, 7. 113, 2
22, 3 . . 134
24, 5 . . 131
de vita beata 13, 3 . . . . . 8, 10
22, 1 117
23, 2 121
de otio 7, 3 117
8, 2 121
8, 4 117
de tranquillitate animi 2, 10 . . 10
2, 15 . . 131
3, 4 . . . 10
8, 8 . 119, 16

Seneca de tranquillitate animi
9, 2 . . . p. 143
10, 5 134
10, 6 10
11, 1 10
11, 12 . . . 8, 13
de brevitate vitae 2, 5. 119, 16
3, 4 121
7, 5 134
10, 3 121
13, 3 . 130, 62
15, 5 131
17, 5 131
18, 4 143
20, 1 132
20, 3 127
consolatio ad Polybium 3, 3 . . . 13
4, 1 . . . 13
9, 1. 121, 18
10, 4 . . . 132
10, 5 . . . 13
13, 2 . . . 132
15, 2. 117, 11
consolatio ad Helviam 5, 6 . . . 134
9, 5 . . . 117
9, 8. 127, 44
12, 1 . . . 144
19, 6 . . . 132
de beneficiis I 2, 3 14
4, 3 18
5, 2 18
8, 1 14
13, 1 14
II 2, 2 14
13, 1 18
14, 3 15
18, 2 15
18, 3 15
19, 2 15
20, 2 15
22, 1 15
23, 2 147
24, 1 18
III 2, 2 15
12, 3 . . 119, 16
17, 2 15
Seneca de beneficiis III 18, 4 . . p. 18 sq.
22, 1 15
23, 2 . . . . 15, 7
23, 5 15
26, 2 120
28, 5 19
30, 4 19
33, 4 120
IV 2, 4 . . . 21, 18
5, 3 144
7, 2 117
8, 1 . . 119, 16
16, 2 (bis). 16
19, 3 16
20, 2 16
28, 5 16
31, 3 16
34, 5 . . . 21, 19
37, 1 16
ib. . . 119, 16
39, 4 118
V 6, 1 . . . 144 sq.
6, 2 . . . 145 sq.
11, 4 16
11, 6 . . . 23, 21
20, 4 16
21, 2 16
24, 1 sq. . 18, 14
24, 2 146
VI 5, 5 17
7, 1 119
8, 1 120
13, 4 17
14, 3 119
ib. . . . 146 sq.
15, 6 17
17, 1 17
19, 1 17
23, 6 17
27, 5 17
35, 5 17
41, 1 17
43, 3 119
VII 2, 1 17
8, 2 17
12, 4 17

Seneca de benef. VII 19, 7.... p. 122
30, 1... 20, 17
30, 2..... 147
de clementia I 5, 5... 24 sq.
6, 2..... 24
8, 5..... 24
13, 4... 147 sq.
14, 2..... 17
16, 3..... 148
19, 8... 17, 13
II 2, 1..... 148
2, 2..... 121
4, 4..... 19
5, 2... 148 sq.
de clementia fragmenta ab Hildeberto servata (ter) 112 sq.
quaestion. natural. I 1, 2. 117, 11
II 11, 2... 114
27, 3... 57
ib. ..123, 31
III 16, 3.150, 21
26, 8. 46, 30
VI 26, 3... 1, 1
epistulae morales I 2, 6..... 38, 12
3, 3..... 61
4, 5..... 38, 13
4. 7..... 35
5, 4..... 68
5, 9..... 35
6, 1..... 35 sq.
6, 5..... 56
6, 6..... 61 sq.
7, 5..... 39, 14
7, 12.... 62, 55
8, 2..... 39. 15
8, 3..... 39, 16
ib. .... 45 sq.
8, 7..50, 38 et 54
9, 4..... 51, 39
9, 10..... 36
9, 12. 40 sq. et 45
10, 3..... 47, 23
11, 5..... 39, 18
12, 7..... 44
II 1, 11.... 149 sq.
1, 12..... 36

Seneca epist. moral. II 2, 3.....p. 36
2, 8... 40, 20
ib. 121
3, 3..... 57
3, 10.... 36
4, 3..... 36
4, 5..... 36
4, 7..... 150
4, 9... 36 sq.
5, 3... 150 sq.
5, 4... 40, 20
5, 6..... 62
8, 13.... 118
9, 9..... 37
III 1, 17.... 46
2, 3..... 42
3, 11.... 151
5, 3..... 62
5, 4..... 62
5, 8... 151 sq.
6, 2..... 57
8, 3..... 37
8, 8..... 62
ib. 118
IV 1, 6..... 152
2, 11.... 121
4, 8... 51, 40
5, 2..... 118
8, 4..... 37
12, 3..... 57
12, 6..... 53
V 2, 2..... 62
4, 7..... 57
6, 17.. 66, 63
7, 2..... 66
9, 3..... 153
12, 5..... 46
VI 1, 4..... 154
2, 7..... 53
4, 4.. 66, 62
4, 9... 40, 20
7, 4..... 154
8, 2... 46, 30
VII 3, 1... 66, 62
3, 16.... 62
4, 18.... 58

Seneca epist. mor. VII 4, 25.....p. 68
ib. 114
5, 1..... 37
5, 13... 66 sq.
5, 16... 154 sq.
6, 3..... 155
VIII 1, 24..... 155
2, 15..... 67
2, 25..... 68
IX 3, 9. 40, 20 et 58
3, 33... 53 sq.
X 1, 4.... 155 sq.
1, 18..... 67
2, 11... 66, 62
2, 28..... 67
3, 13..... 58
3, 15..... 46
XI 2, 26... 40, 20
XII 1, 14... 127 sq.
1, 26..... 47
2, 2..... 114
3, 4..... 53
3, 40.. 143, 12
XIII 1, 6..... 66
1, 12... 121 sq.
3, 23..... 50
3, 24..... 118
XIV 2, 31..... 131
4, 26..... 118
XV 2, 38..... 156
2, 60..... 118
3, 16..... 156
3, 27.. 123, 31
3, 51... 80 sq.
XVI 2, 10... 156 sq.
4, 20 (bis). 118 sq.
4, 25... 157 sq.
XVII 2, 13..... 158
XVIII 1, 22... 158 sq.
4, 11..... 81
XIX 1, 12..... 83
2, 4..... 159
4, 17..... 83
4, 20..... 84
5, 6... 159, 40
5, 10.. 159, 39

Seneca epist. mor. XIX 5, 17 p. 159 sq.
8, 10.. 83 sq.
8, 14.... 83
8, 26.... 83
XX 1, 16.... 83
3, 3..... 78
3, 8..... 79
5, 3..... 82
5, 9..... 82
ib. 160
6, 3..... 160
6, 15.... 160
6, 16.... 83
7, 5... 160 sq.
7, 12.... 161
7, 16. 123, 30
fragm. exhortationum apud Lactantium ..... 45 sq.
apocolocyntosis 1, 3..... 30
3, 4.... 30, 9
4, 2... 30 sq.
6, 2..... 30
7, 3..... 31
9, 2..... 117
11, 2... 138 sq.
12, 2.... 27, 3
13, 6..... 31
14, 2..... 31
14, 4..... 31
de remediis fortuit. 1, 2..... 111
1, 3..... 111
8, 1..... 111
11, 3..... 110
14, 1..... 110
16, 2..... 111
16, 5..... 111
16, 7..... 112
de form. honestae vitae 2, 9.. 90, 5
ib. .. 90, 6
2, 9.. 90, 6
2, 10. 90, 7
3, 3.. 90, 8
4, 8.. 91, 9
5, 1. 92, 10
5, 3. 93, 11
5, 6. 93, 12

Seneca de form. honestae vitae
6, 3 ... p. 93, adnot. 13
ib. 93, 14
7, 2 ..... 94, 15
monita 174 ..... 85, 1
Oedipus 642 ..... 134 sq.
906 ..... 135 sq.
Agamemnon 143 114
484 136
Thyestes 637 114
710 sq. 114
1013 114
Hercules Oetaeus 30 136
Seneca Herc. Oet. 208 ..... p. 117
301 117
465 ..... 136 sq.
587 116
596 116
607 116
610 116
1163 116
1316 137
1838 138
Seneca pater controv. II 1, 13. 145, 14
Suetonius Vespas. 12 ..... 141, 9
15 ..... 141, 9

Index codicum.

Abrincensis 239 ..... p. 32
Ambrosianus B 2 sup. .... p. 7, p. 20
C 90 inf. 6
D 13 inf. 20
Plauti rescriptus X
Amplonianus Erfurtensis in Qu. 3. 55 sq.
Argentoratensis C VI 5 71
partis prioris epistularum Senecae ..... 55, 57 sq.
Aurelianensis historiarum Sallustii IX
Bambergensis IV 4 ..... 55, 57
V 14 71
Bernensis 484 (Danielinus) .. 67 sq.
Berolinensis Ulpiani (?) de iudiciis ..... VI sq.
Papiniani responsorum VI
Sallustii historiarum IX
Bongarsianus ..... 12 adnot. 19
Cantabrigiensis 1768 32
I. Cauchi codex apocolocynt. . 29 adnot. 6
Cheltenhamensis Phillippsianus
1278 ..... 33 adnot. 5
2144 ..... 33 adnot. 5
6966 ..... 33 adnot. 5
9072 ..... 33 adnot. 5
9944 ..... 33 adnot. 5
Cheltenhamensis Phillippsianus
9476 ..... p. 33 adnot. 5
12305 ..... 33 adnot. 5
12306 ..... 33 adnot. 5
legis Romanae Visigothorum . VIII
Coloniensis App. IV (Darmstadinus 2326) VIII
Erasmi codices ..... 40 adnot. 20
Erlangensis 354 ..... 59 sq.
Guelferbytanus Gud. 274 20
335 41
Eberti 803. 85 adnot. 2
805. 85 adnot. 2
Heidelbergensis Palatinus 1546 . 47, 54
H. Iunii codex laudis Pisonis . 29 adnot. 6
Iureti codex 59
Laurentianus XXXVIII 24 72
LXXVI 32 7
36. 18 adnot. 14, p. 20
40 ..... 37 sq.
Digestorum VII
Leidensis supplem. 459 (Lipsii 49). 48, 50 sq., 95 adnot. 17
Leidense 'fragmentum vetustissimum' ..... 41 adnot. 22
Metensis 300 ..... 31 adnot. 1, 63 sq.
377 ..... 72 sq.

Modii codices ..... p. 60 adnot. 53
Monacensis 144 88
2544 20
14738 88
legis Romanae Visigothorum VIII
Montepessulanus schol. med.
H 132 ... 70, 54 adnot. 43
H 445 ..... 32, 79
Mureti codices ..... 40 adnot. 20
Mutinensis Atestinus V C 11 ... 88
Neapolitanus Digestorum VIII
Norimbergensis 20 V C 59
Opsopoei Ambianus .... 40 adnot. 20
Nicotianus ..... 40 sq.
Puteanus ..... 40 adnot. 20
Put. optimus . 40 adnot. 20
Parisinus (bibl. nat.)
2772 88
6378 (Bigotianus) ... 69
6382 20
6383 20
6388 (Puteaneus) .... 69, 54 adnot. 43
7698 12
8388 ..... 40 adnot. 20
8539 ... 41 sq., 40 adnot. 20
8540 ..... 35 sq., 82 sq.
8541 69
8542 (Thuaneus) 19 sq., 69 sq.
8543 (Thuaneus) .... 70, 54 adnot. 43
8543 a (Colbertinus) . 70
8545 70
8615 ..... 19 sq., 47, 53 sq.
8616 (Thuaneus) ... 70
8624 (Colbertinus) ... 69
8658 a ..... 35 sq.
9643 VII
10136 ..... 9 adnot. 15
10318 (Salmasianus) . 95
13948 70
14867 (Victorianus) . 112
15085 (Victorianus) . 70
15086 (Victorianus) . 9 sq.
16592 ..... 47, 49 sq.
16711 79
Parisinus Sangermanensis 1278 p. VIII
Sorbonicus 354 20
1586 20
Papiniani responsorum VI
armamentarii 1202 (S. A. L. 28) ..... 11 sq.
Didotianus .... 85 adnot. 2
Pinciani codex Facundi et Primitivi ..... 40 adnot. 20
Franciscanus ... 32 adnot. 3
Salmanticensis. 18 adnot. 14
Pommersfeldensis Digestorum .. VIII
Romanus basilicae S. Petri G 11 112
Sangallensis 878 72
Sinaiticus scholiorum in Ulpiani libros ad Sabinum VII
Taurinensis *a* II 2 VII
E. IV. 44 IX
codicis Theodosiani VII
Valenciennensis 393 (402) .... 25 sq., 85 adnot. 2
Vaticanus 1551 69
1769 12
2201 69
2205 69
2207 69
5766 ..... VII sq.
Ottobonianus 1031. 74 sq.
1670 .. 69
Palatinus 24 ..... III sqq.
869 80
1447 (Nazarianus) 2, 13 sq.
1475 .. 47, 54 sq.
1543 .... 47, 54
1548 95
1549 69
1550 69
Reginensis 84. 95 adnot. 17
135 79
209 69
236 .... 69, 112
886 VII
1424. 85 adnot. 1
1440 88
1454 69
1529 .... 21 sq.

pag.

Vaticanus Reginensis 1544 (Petavianus).. 67 sq.
1546..... 69
1548..... 95
1561... 85 adnot. 1
2077..... IX sq.
Urbinas 219.. 70 adnot. 68
340..... 12
Venetus Marcianus 143 . 38 adnot. 11
Veronensis Gai rescriptus .. VI, VIII
Veronensis Euclidis Latine facti IX
de iure fisci VII
institutionum Iustiniani..... VIII
Vindobonensis 150 59
202 95
institutionum Ulpiani VII
Vindocinensis..... 85 adnot. 2
Wirzeburgensis theol. 916.... 60 sq.

Typis societatis typographorum Vratislaviensium.

BRESLAUER
PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN.

ZWEITER BAND.

VIERTES HEFT.

DE

Q. ASCONII PEDIANI

FONTIBUS AC FIDE

SCRIPSIT

CAROLUS LICHTENFELDT
DR. PHIL.

BRESLAU.
VERLAG VON WILHELM KOEBNER.
1888.

DE

Q. ASCONII PEDIANI

FONTIBUS AC FIDE

SCRIPSIT

CAROLUS LICHTENFELDT
DR. PHIL.

VRATISLAVIAE
APUD GUILELMUM KOEBNER
1888

GEORGIO WISSOWA

SACRUM

Inter eos scriptores, qui cum ad extrema liberae rei publicae Romanae tempora cognoscenda tum ad Ciceronis orationes illustrandas conferunt, quamquam Sallustius, Plutarchus, Appianus, Cassius Dio monumenta nobis reliquerunt haud spernenda, tamen Q. Asconius Pedianus Patavinus, quem Hieronymo auctore Suetonius (p. 92 Reiffersch.) 'scriptorem historicum clarum' nominat, commentariis ad Ciceronis orationes scriptis principem facile occupat locum. Longe enim diversus ab aliis scriptoribus minime est contentus eos, qui in propatulo iacebant, auctores arcessere et ex iis suum commentarium consarcinare, sed fontium[1]) vel remotiorum atque perpaucis cognitorum adeo est studiosus, ut et acta p. R. et orationes obscuriores velut Cominii, Luccei, aliorum evolverit atque hoc usus fundamento, ut est vir sobrii circumspectique iudicii, librum condiderit, cui quae comparari possint non multa habemus veterum scriptorum opera ad historiam pertinentia. Quanta autem in iis, quae Ciceronis verbis lucem afferre possent, indagandis et colligendis usus sit diligentia, iam inde apparet, quod saepius de rebus a Cicerone significatis se frustra quaesivisse neque quicquam uspiam invenisse fatetur[2]) atque differentias inter varias Ciceronis narrationes intercedentes detegit (p. 61, 25 sqq.) vel abditissimas. Idem ne levissimas quidem res aut obscurissimos homines neglexit neque pauca congessit, quorum no-

---

[1]) Omnes, quos ipse laudat fontes Asconius, congesti leguntur apud Nicolaum Madvig, de Q. Asconii Pediani .... in Ciceronis orationes commentariis disp. crit. (Hauniae 1828) p. 63 sqq. et in Asconii editione, quam curaverunt A. Kiessling et R. Schoell praef. p. XII sq.

[2]) Ascon. p. 7, 6—10; 9, 24—10, 3; 42, 17. 18; 43, 7. 8; 47, 14. 15; 82, 17. Utor editione ab A. Kiessling et R. Schoell (Berolini 1875) parata; ubi ab ea recessi, hoc diserte adnotavi.

titia paulo post ipsum periisse videtur, velut quae de cognationibus familiarum Romanarum tradidit[1]). Itaque quod Asconii commentariorum, in quibus componendis eum merum historicum egisse Madvigius certissimis argumentis demonstravit, minima tantum pars ad nos venit, quam maxime dolendum est; qui si incolumes superessent, et pleniorem et veriorem aetatis Ciceronianae memoriam suppeditarent quam vel de Sallustii Liviique libris, si aetatem tulissent, sperandum esset[2]). Quam ob rem nostris quoque temporibus quicunque Asconium tractarunt, insignem eius industriam, curiositatem, religionem eximiis tollunt laudibus atque eum ex rhetorum vel grammaticorum numero eximendum accuratissimisque studiis praeclarissimos illos antiquitatis investigatores Varronem, Messallam, Pollionem aequare consentiunt[3]).

Nec tamen quisquam adhuc continua exposuit disquisitione, quos potissimum auctores Asconius usurpaverit, quae ex singulis hauserit, qua ratione iis usus sit. Quam quaestionem solvendam ego suscepi non uno nomine spinosam, cum et eorum quos scholiasta laudat auctorum plerique perierint et ipsa qua commentator utitur enarrandi ratio singulares quaerenti obiciat difficultates. Etenim cum non continuum componeret libellum, sed singulas Ciceronis sententias interpretaretur, quae in fontibus legerat, variis modis discerpsit ac saepe ita in brevius contraxit[4]), ut indicia ad indagandum fontem idonea aut nulla aut parum certa relinqueret. Adde, quod non pauca ex scholae rhetorumque disciplina communique vitae usu et eruditione omnibus nota commentario suo immiscuit (veluti quae p. 15, 21—23 de Fregellis ab Opimio eversis, quae p. 68, 23—27 de Verginia et Appio Claudio decemviro[5]), quae p. 10, 27—11, 1 de L. Aemilio Paulo refert, 'qui fuit pater naturalis Africani posterioris, de Macedoniaque ulti-

[1]) Madvig l. c. p. 63 n. 3.

[2]) Madvig l. c. p. 81.

[3]) Madvig. l. c. p. 61 sq.; Kiessling-Schoell praef. ad Ascon. p. VIII. XII; Kiessling, coniectaneorum specilegium I (Gryphiswaldae 1883) p. 5; Franciscus Buecheler Mus. Rhen. XXXIV p. 352.

[4]) Asc. p. 13, 2—4; 22, 28. 29; 47, 12—15; 15, 8—14; 59, 14—17; 70, 7—10; 59, 24—60, 8.

[5]) Notissimas has narrationes fuisse de Fregellis patet ex Cornificii rhet. ad Her. IV 9, 13; 15, 22; 27, 37; Ciceronis de leg. agr. II 33, 90; de Verginia ex Ciceronis de rep. II 37, 63; de fin. II 20, 66; Senecae contr. I. 5, 3.

mum et Perse rege triumphavit') aut res[1]) ennaravit, quas ex ipso vitae usu aut e memoria temporum haud ita longe antecedentium plurimis notas fuisse consentaneum est. Alia exempla ita sunt comparata, ut dubites, utrum certo fonti an communi eruditioni sua debeat commentator; nonnullis enim locis velut iis, quae de C. Cotta oratore illo compari P. Sulpicii et C. Iulii Caesaris (p. 13, 11. 12; 22, 15. 16; 58, 27. 28) et de Q. Mucio Scaevola et oratore et iuris consulto (p. 59, 24. 25) et de Philodemo Epicureo illo nobilissimo (p. 14, 23. 24) disserit, Ciceroni quidem harum rerum notitiam acceptam refert, sed ita, ut ex universa Ciceronis lectione harum personarum memoriam repetiverit.

Quae idem de L. Opimio ob Gracchi oppressi invidiam iudicio circumvento et in exsilium acto (p. 15, 23—26), quae de P. Sulpicio ab initiis bonarum actionum ad perditas progresso et iussu consulum oppresso (p. 57, 6—12; 22, 10—15) memoriae prodit, utrum ex rhetorum scholis noverit an e certo annalium scriptore sumpserit, difficillimum est diiudicatu.

Itaque verendum est, ne inter ea, quae infra ad certos auctores referre conabor, nonnulla e memoria potius atque varia doctrina, non ex singulis scriptorum locis inspectis collegisse videatur Asconius.

Neque vero is est, qui semper singulos in singulis rebus explicandis auctores ceteris neglectis adhibeat, sed multifariam narrationes e compluribus fontibus delibatas conglutinavit; atque saepe complures fontes ita nominat, ut illos omnes ab ipso excerptos esse manifestum sit; veluti[2]) de P. et M. Valeriis consuluit Valerium Antiatem et Hygini de viris claris librum (p. 12, 1—9), de primis tribunis plebis inter alios Tuditanum, Atticum, Livium (p. 68, 13—20), de lege C. Aurelii Cottae Sallustium, Livium, Fenestellam (p. 59, 1—7). Conflavit igitur quasi in unum corpus complurium auctorum non nominatorum — nam cum non auctorum multitudine glorietur sed rerum copia nobis imponat, nomina fontium fere reticet, nisi singulares suppetebant causae[3]) — narrationes ita, ut id, quod in posterioris aetatis compi-

[1]) Asc. p. 23, 22—24, 1; 38, 19—39, 2; 63, 5—10; 80, 25—81, 4.

[2]) Praeterea cf. Asc. p. 1, 2—9; 2, 24. 25; 12, 9—15; 26, 2—7; 27, 12—14; 36, 9—14. 27. 28; 43, 7—11; 54, 12—15; 61, 22—62, 24; 78, 4—6; 82, 16. 17.

[3]) v. gr. ubi contra alicuius sententiam pugnabat (p. 27, 12—14) aut

latoribus Gelliis Noniis Macrobiis bene procedit, in Asconio neutiquam fieri possit, ut eius commentarios quasi dissuamus singulosque pannos ex singulis fontibus arcessitos esse demonstremus. Itaque angustis admodum finibus id, quod cum aliqua boni eventus spe in Asconio suscipi potest, circumscribitur, quamquam vel intra hos fines non omnia, quae explorari possunt, a me exhausta esse fateor.

Caput I. De Cicerone.

In indagandis Asconii fontibus ut a Ciceronis scriptis initium faciamus, ipsa res fert. Etenim cum non solum plurimos Ciceronis libros legisse sed etiam omnes fere orationes commentatus esse videatur [1]), ubicunque inter Asconium Ciceronemque convenit, etiamsi easdem res in annalibus narratas fuisse compertum habeamus, hos ab Asconio inspectos esse minus probabile est quam ex lectionis Ciceronis memoria narrationem depromptam [2]).

Discernendum autem est inter eas res, quae ex ea ipsa quam commentatur oratione scholiasta elicere poterat easque, quarum notitiam aliis Ciceronis sive orationibus sive libris rhetoricis, philosophis, historicis sive denique epistulis debet. Ex ipsa quam interpretatur oratione sua se haurire identidem Asconius diserte profitetur: Velut Pisonianam et Cn. Pompeio II. M. Crasso II. coss. esse habitam ante paucos dies, quam Cn. Pompeius ludos faceret, et ante Gabini reditum ex oratione (22, 51; 27, 65) potissimum se intellexisse profitetur p. 1, 2 sqq. Nec minus eandem orationem (4, 8) ipse excitat p. 7, 9.

Etiam rarius oratio in Scaurianae enarratione praedicatur, cum unus tantum locus cadat in nostram quaestionem, eum dico, quo scholiasta refert (p. 23, 26—24, 3) oratorem [3]) significare quattuor

obscurioris argumenti narrationem proferebat (p. 43, 7—11) aut diversorum auctorum sententias inter se comparabat (p. 68, 11—20).

[1]) Madvig l. c. p. 21; Kiessling-Schoell praef. p. XIV—XXI; Kiessling l. c. p. 6.

[2]) cf. Asc. p. 6, 5—7 cum Cic. epist. ad fam. V 2, 7 (certe Cicero hanc rem etiam in libris historicis commemoraverat); Plut. vit. Cic. c. 23; Dione XXXVII 38, 2. — Asc. p. 9, 4. 5 cum Cic. in Pis. 27, 64; post red. in sen. 5, 12; pro Sest. 12, 29; ad fam. XI 16, 2; XII 29, 1; Dione XXXVIII 16, 4. Praeterea cf. Schol. Bob. p. 271, 21 sqq. (Orelli).

[3]) cf. fr. 45^{i}. 45^{l}. 45^{n}.

columnis marmoreis Scaurum aedilem ad theatrum perquam amplae magnitudinis exornandum usum esse.

Milonianae autem hi apud commentatorem conferendi sunt loci: p. 26, 5; 27, 7. 8. 13; 36, 12—18; 47, 27—48, 1, de quibus [1]), cum omnia sint apertissima, pluribus non opus est verbis.

Atque eadem condicio est exemplorum, quae in Cornelianae commentario leguntur: p. 53, 17—24; 54, 16. 17 [2]); 55, 21—23; 61, 25—27 [3]); 62, 16—20; 69, 13—16.

Denique orationem in toga candida commemorat Asconius p. 75, 2—6 [4]); 80, 20. 21; 76, 10—16; 79, 9—11; 81, 18—20. 22—25, quo postremo loco scholiastam Ciceronis vestigia artissime pressisse P. Koetschau [5]) perspexit.

Sed multo saepius ex similitudine, quae inter Asconium et orationis quandam partem est, sive ex toto colore Ciceronem sapiente sive ex aliis causis scholiastae verba ab oratione ducere originem concludi potest.

Ordiendum videtur a Milonianae [6]) commentario locupletissimo, in quo quid ex oratione fluxerit, cum haec ipsa superstes sit, quam maxime patet. Hanc autem disputationis partem ita expediemus, ut afferamus, quae aut ad verbum fere apud oratorem Asconiumque congruunt aut ex oratione sola profecta esse aliis de causis probabile est, contra omittamus, quae Cicero modo adum-

[1]) cf. Cic. pro Mil. 1, 1—3; 35, 95; 10, 27; 2, 6; 3, 9—4, 10; 11, 30—12, 32; 17, 45—19, 51; 9, 26.

[2]) cf. Doering ad Plin. epist. I 20, 8.

[3]) cf. Cic. pro Corn. I apud Asc. p. 61, 14—19.

[4]) cf. Ernestum Schmidt, de Ciceronis commentario de consulatu graece scripto a Plutarcho in vita Ciceronis expresso (Lubecae 1884) p. 9 n. 16.

[5]) De M. Tullii Ciceronis oratione in toga candida habita (Lipsiae 1880) p. 23.

[6]) Asconius certe eam quoque orationem legit, quam Cicero re vera pro Milone habuerat. Hoc et ipsius verbis (p. 36, 24—28) 'Cicero cum inciperet dicere, exceptus ⟨*est*⟩ acclamatione Clodianorum, qui se continere ne metu quidem circumstantium militum potuerunt. Itaque non ea qua solitus erat constantia dixit. Manet autem illa quoque excepta eius oratio' et iis comprobatur, quae legimus apud Schol. Bob. p. 276, 9—12: 'perferri defensio ista non potuit: nam metu consternatus et ipse Tullius pedem rettulit; et exsistit alius praeterea liber actorum pro Milone, in quo omnia interrupta et inpolita et rudia, plena denique maximi terroris agnoscas'. Quem interpretem illo loco Asconio usum esse iam Kiessling et Schoell praef. p. XX coniecerunt.

bravit aut quae aliunde quoque commentatorem novisse in propatulo est.

Alibi commentator Ciceronem ita defendit, ut eum magis oratorem quam historicum agere adnotet, velut p. 11, 24 sqq., quo loco Ciceronis sententiam copiose ita interpretatur, ut illum a veritate non recessisse concedendum sit, et p. 61, 25—62, 24, ubi quanta calliditate Cicero alias (pro Corn. I apud Asc. p. 61, 14—19) 'passum esse' P. Scipionem Africanum secerni a populari consessu subsellia senatorum, alias (de har. resp. 12, 24) 'ipsum auctorem fuisse dandi eum locum senatoribus' dicat, optime ostendit [3]).

Postremo ut exempla ponam, quibus tacite a Ciceronis narratione decedere Asconium intellegatur, hic (p. 27, 17) nona [4]) Clodium et Milonem sibi occurrisse hora exponit, contra Cicero (pro Mil. 10, 29) 'hora fere undecima aut non multo secus' id accidisse contendit. Verum scholiastam non modo de hac re, sed omnino de tota Clodii caedis ratione, de comitatu Clodii Milonisque, denique

[1]) De Q. Asconii Pediani . . . in Ciceronis orationes commentariis disp. crit. (Hauniae 1828) p. 66 sq.

[2]) Madvig. l. c.; cf. Niebuhr R. G. I p. 503; Ihne, ueber die Entstehung u. die ältesten Befugnisse des rœm. Volkstribunats, Mus. Rhen. XXI p. 174.

[3]) Marklandi sententia (praef. ad IV oratt. post red. hab. ed. Wolfi p. LXX), qui scholiastam ipsum hoc loco iocularem in errorem incidisse putabat, quod non satis magna diligentia in scribendo usus esset, egregie refutata est a Nicolao Madvig (l. c. p. 72 sq.).

[4]) Eandem quam Asconius horam commemorat Quintilianus VI 3, 49, cum obiecisse Miloni accusatorem scribat, 'quod Bovillas ante horam nonam devertisset'. Milonem et Clodium forte sibi occurrisse (Asc. p. 27, 15 sqq.; p. 36, 16—19) omnes scriptores consentire videntur: cf. Vell. II 47, 4; Quint. VI 5, 10; Dionem XL 48; Appian. b. c. II 21.

de altero alteri mortem minante [1]) ita rettulisse, ut Ciceronis descriptioni non satis fidei haberet, Asconio p. 27, 26—28, 12; 36, 16—24 comparato cum orationis capitibus 9. 10. 12. 19. 21 elucet, in quibus partim contraria narrantur. Quod autem commentator expressam et veram illarum rerum quasi effigiem 'actis' potissimum annalibusque adhibitis sibi finxit, ad fidem eius confirmandam augendamque plurimum valet.

Caput II. De Livio.

Livii annales, qui et memoriam imperii Romani inde ab urbe condita usque ad extrema liberae rei publicae tempora accurate descriptam continerent et Asconii aetate haud dubie omnium maximae essent auctoritatis [2]), scholiastam praeter ceteros scriptores uno Cicerone excepto ad illustrandas orationes identidem usurpasse veri est simillimum. Quid autem quantumque Asconius Livio debeat cum quaerimus, res non mediocriter est difficilis, si quidem Asconianae reliquiae ad ea fere sola tempora spectant, quorum historiam non ipsis Patavini verbis, sed ab iis tantum servatam habemus, qui hunc modo curiosius modo socordius excerpserunt compilaruntque. Atque citatur Livius a scholiasta p. 59, 3 in lege C. Aurelii Cottae commemoranda et p. 68, 17, ubi interpretem ex Livio nihil mutuatum esse nisi numerum primorum tribunorum plebis ipso auctore (II 33) comparato patet.

Ut autem quae fonte non indicato e Livio scholiasta deprompserit agnoscantur, praeter periochas comparandi sunt reliqui, qui eiusdem temporis historiam enarraverunt scriptores, e quibus nullus maioris in hac quaestione momenti est quam Cassius Dio, qui quam saepe Livii scrinia compilaverit in dies magis patefit [3]).

[1]) Cicero, quamquam in oratione (9, 25; 16, 44; 19, 52; 21, 56) tantummodo Miloni mortem a Clodio, contra numquam Clodio ab illo denuntiatam esse scribit, tamen iam anno 57 in epist. ad Att. IV 3, 5 Milonem Clodii necem moliri idque consilium 'prae se ferre' tradit. Utrum autem hinc an aliunde Asconius (p. 36, 20. 21) sua arcessiverit, in medio relinquendum est. Praeterea cf. Leo Ziegler, zur Texteskritik des schol. Bob. zu Ciceron. Reden, Mus. Rhen. XXVII p. 425 sq.

[2]) cf. Mommsen, Chronik des Cassiodor p. 551; C. John in annal. philol. supplem. VIII p. 722; C. Peter zur Kritik der Quellen der älteren rœm. Geschichte (Halis 1879) p. 153.

[3]) Hugo Grohs, der Werth des Geschichtswerkes des Cassius Dio als Quelle fuer die Geschichte der Jahre 49—44 a. Chr. (Zuellichav. 1884) p. 2 sqq.;

Ac primum quidem ea perlustremus exempla, ubi Asconio in argumento Milonianae narrando convenit cum locis quibusdam Dionis libri XL:

Asc. p. 26, 9—11:

⟨*T.*⟩ Annius Milo et P. Plautius Hypsaeus et Q. Metellus Scipio consulatum petierunt non solum largitione palam profusa, sed etiam factionibus armatorum succincti.

Dio XL 46, 3:

οὔτε γὰρ (scil. consulatus candidati) *ἐμετρίαζον οὔθ' ὑγιὲς οὐδὲν ἐποίουν, ἀλλ' ἐπ' ἀλλήλους παρώρμηντο πολλὰ μὲν δαπανώμενοι πολλῷ δὲ ἔτι πλείω μαχόμενοι.*

Asc. p. 26, 20 - 27, 3:

Deinde cum diu tracta essent comitia consularia perficique ob eas ipsas perditas candidatorum contentiones non possent, et ob id mense Ianuario nulli dum neque consules neque praetores essent traherenturque dies eodem quo antea modo . . .

Dio l. c. 46, 3—47, 1:

οὔκουν οὔθ' ὕπατος οὔτε στρατηγὸς οὔτε πολίαρχός τίς σφας διεδέξατο, ἀλλὰ ἄναρχοι κατὰ τοῦτο παντελῶς οἱ Ῥωμαῖοι τὰ πρῶτα τοῦ ἔτους ἐγένοντο. κἀκ τούτου οὔτε τι ἄλλο χρηστὸν συνέβη . . .

Dio XL 48, 1:

τοιαύτης οὖν τότε τῆς ἐν ιῷ ἄστει καταστάσεως οὔσης, καὶ μηδενὸς τοῖς πράγμασιν ἐπιτεταγμένου, σφαγαὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ὡς εἰπεῖν ἐγίγνοντο, τάς τε ἀρχαιρεσίας καίτοι σπεύδοντες ἐπὶ τὰς ἀρχὰς καὶ δεκασμοῖς καὶ φόνοις δι' αὐτὰς χρώμενοι, οὐκ ἐπετέλουν.

Asc. p. 28, 7—10. 11. 12:

Milo ut cognovit vulneratum Clodium, cum sibi periculosius illud etiam vivo eo futurum intellegeret, occiso autem magnum solacium esset habiturus, etiamsi subeunda esset poena, exturbari taberna iussit. . . . . Atque ita Clodius latens extractus est multisque vulneribus confectus.

Dio l. c. 48, 2:

ὁ γοῦν Μίλων ὑπατείαν αἰτῶν τὸν Κλώδιον ἐν τῇ Ἀππίᾳ ὁδῷ συντυχόντα οἱ τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς πως ἔτρωσεν, ἔπειτα δὲ φοβηθεὶς μὴ ἐπεξέλθῃ τῷ γεγονότι κατέσφαξεν, ἐλπίσας . . . . . ῥᾷον τοῦ φόνου τελευτήσαντος αὐτοῦ ἢ τοῦ τραύματος, εἰ περιγίγνοιτο, ἀφεθήσεσθαι.

Asc. p. 28, 16—19:

Perlatum est corpus Clodi ante primam noctis horam, infimaeque plebis et servorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domus positum circumstetit.

Dio l. c. 48, 3:

ἀκούσαντες οὖν τοῦθ' οἱ ἐν τῇ πόλει πρὸς ἑσπέραν δεινῶς ἐταράχθησαν.

Asc. p. 28, 20. 21; 28, 24—29, 5:

Maior postera die luce prima multitudo eiusdem generis confluxit. . . . . ⟨*T.*⟩ Munatius Plancus . . . et Q. Pompeius Rufus . . . . . tribuni plebis accurrerunt: eisque hortantibus vulgus imperitum corpus nudum ac lutatum, sicut in lecto erat positum, ut vulnera videri possent, in forum detulit et in rostris posuit. Ibi pro contione Plancus et Pompeius, qui competitoribus Milonis studebant, invidiam Miloni fecerunt. Populus . . . . corpus P. Clodi in curiam intulit, cremavitque subselliis et tribunalibus et mensis et codicibus librariorum; quo igne et ipsa quoque curia flagravit.

Dio l. c. 49, 1. 2:

παραλαβόντες δὲ αὐτοὺς οὕτως ἔχοντας ὅ τε Ῥοῦφος καὶ Τίτος Μουνάτιος Πλάγκος προσπαρώξυναν· δημαρχοῦντες γὰρ ἔς τε τὴν ἀγορὰν νεκρὸν ὑπὸ τὴν ἕω ἐσεκόμισαν καὶ ἐπὶ τὸ βῆμα ἐπέθεσαν πᾶσί τε ἐπεδείκνυσαν, καὶ ἐπέλεγον οἷα εἰκὸς ἦν ὀδυρόμενοι, ὥστε τὸν ὅμιλον καὶ ἐξ ὧν ἑώρων καὶ ἐξ ὧν ἤκουον συνταραχθῆναι καὶ . . . . . πάντα μὲν τὰ περὶ τὰς ταφὰς νόμιμα συγχέαι, πᾶσαν δὲ ὀλίγου τὴν πόλιν καταπρῆσαι. τὸ γὰρ σῶμα τοῦ Κλωδίου ἀράμενοι ἔς τε τὸ βουλευτήριον ἐσήνεγκαν καὶ εὐθέτησαν καὶ μετὰ τοῦτο πυρὰν ἐκ τῶν βάθρων νήσαντες ἔκαυσαν καὶ ἐκεῖνο καὶ τὸ συνέδριον.

Walther Judeich, Caesar im Orient (Lipsiae 1885) p. 14 sqq., ubi singulas disputationes commemoratas invenies. Addo Ernestum Schmidt, Plutarchs Bericht über die Catilin. Verschwœrung in seinem Verhæltniss zu Sallust, Livius u. Dio (Lubecae 1885) p. 8 sqq.

Asc. p. 29, 6—8:

Domus quoque M. Lepidi interregis .... et absentis Milonis eadem illa Clodiana multitudo oppugnavit, sed inde sagittis repulsa est.

Asc. p. 29, 12—16:

Incendium curiae maiorem aliquanto indignationem civitatis moverat quam interfectio Clodi. Itaque Milo .... invidia adversariorum recreatus nocte ea redierat Romam, qua incensa erat curia. Petebatque nihilo deterius[1]) consulatum.

Asc. p. 29, 21—26:

Fiebant interea alii ex aliis interreges, quia comitia consularia propter eorum candidatorum tumultus et easdem manus armatas haberi non poterant. Itaque primo factum erat S. C., ut interrex et tribuni plebis et Cn. Pompeius, qui proconsule ad urbem erat, viderent ne quid detrimenti res publica caperet, dilectus[1]) autem Pompeius tota Italia haberet.

Dio l. c. 49, 3. 4:

ἐκ προαιρέσεως αὐτὸ ἔπραξαν, ὥστε ..... προσέτι καὶ τὴν οἰκίαν τὴν τοῦ Μίλωνος καταφλέξαι ἐπιχειρῆσαι. ἐκείνη μὲν οὖν πολλῶν αὐτῇ ἀμυνάντων οὐκ ἐκαύθη.

Dio l. c. 49, 4. 5; 50, 1:

ὁ δὲ δὴ Μίλων τέως μὲν περίφοβος ἐπὶ τῷ φόνῳ ὢν ἐκρύπτετο ..... ἐπεὶ δὲ τοῦτό τε ἐγένετο καὶ τὴν ὀργὴν τῆς γερουσίας ἐς τὸ τῶν ἀντιστασιωτῶν μίασμα περιχωρήσειν ἤλπισεν, εὐθὺς γοῦν τῆς δείλης ἐς τὸ παλάτιον δι' αὐτὸ τοῦτο συλλεγέντες τόν τε μεσοβασιλέα προχειρισθῆναι, καὶ τῆς φυλακῆς τῆς πόλεως καὶ ἐκεῖνον καὶ τοὺς δημάρχους καὶ προσέτι καὶ τὸν Πομπήιον ἐπιμεληθῆναι, ὥστε μηδὲν ἀπ' αὐτῆς ἀποτριβῆναι, ἐψηφίσαντο, προήει τε ἐς μέσον καὶ τῆς ἀρχῆς ὁμοίως ἢ καὶ μᾶλλον ἀντεποιεῖτο. μάχαι τε οὖν ἐκ τούτου πολλαὶ καὶ σφαγαὶ αὖθις ἐγίγνοντο, ὥστε τὴν βουλὴν τά τε προειρημένα ἐπικυρῶσαι, καὶ τὸν Πομπήιον μεταπέμψασθαι, καταλόγους τε αὐτῷ καινοὺς ποιήσασθαι ἐπιτρέψαι.

Porro Pompei legibus 'formam iudiciorum breviorem' et 'poenam graviorem' fuisse et praeter Milonem multos alios esse damnatos (Asc. p. 31, 23—27; 49, 18—20) Dio (XL 52, 1. 2; 54, 1) similiter explicat[2]).

Denique conferas, quae de forma iudicii Miloniani et de Milone ambitus reo Asconius (p. 26, 3—5; 34, 6—9) et Dio (XL 53, 1. 2) referunt. Iam vero Grasshofius (l. c. p. 30 sq.), quamquam Dionem inde a capite 44 libri XL usque ad eius finem res tam confuse narrasse existimat, ut eius fontem indagare difficile sit, idem tamen inde, quod et Dio cum Asconio de illis rebus tantopere consentit et Asconius in illo commentario se ea quae scripserit in 'actis' urbanis legisse saepius profitetur, Dionem, quippe quem ipsum 'acta' inspexisse non veri simile sit, scriptorem secutum esse concludit, qui aeque atque scholiasta 'actis' usus sit. Quam sententiam meam facere non possum; nam neque Dionis narratio tam perversa est, ut ad historiam illorum temporum cognoscendam nullius sit momenti, et maxima inter commentatorem Dionemque est consensio de his ipsis rebus, quae propter totam indolem in 'actis' relatae fuisse nequeant. Videntur mihi et Asconius et Dio eodem Livio usi esse, cuius vestigia Dionem inde a capitibus 1—30

[1]) Codd: 'milo deterius'. Madvig, quem secuti sunt Kiessling et Schoell, Ciceronis (pro Mil. 23, 61) verbis ductus 'Milonem nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum .... Romam revertisse' praedicantis scripsit 'nihil deterritus'. Equidem cum Halmio (in Milonianae editionis sextae p. 4) praefero 'nilo deterius' (Halm: 'nihilo deterius'), quae lectio optime ad Dionis verba *τῆς ἀρχῆς ὁμοίως ἢ καὶ μᾶλλον ἀντεποιεῖτο* quadrat. Eodem vero iure 'milo' sive 'nihilo deterius' quo 'nihilo minus' in satira quidem Horatiana usurpari posse constat (cf. Hor. sat. I 5, 67; I 10, 90). Quamquam in editione octava Halm scripsit 'nihil deterritus.'

[1]) Asconius, cum illa S. C. una facta esse tradat, a Dionis auctore dissidere videtur, qui Pompeium dilectum in Italia habere postea demum iussum esse narrat; sed haec discrepantia haud dubie inde orta est, quod scholiasta res brevius complectitur Dione; praeterea in eo concinunt, quod uterque Pompeium tum Romae fuisse negat.

[2]) In iis autem, quae praecedunt apud Dionem (XL 50, 3—5), quamvis nonnulla similiter atque apud Asconium (p. 31, 12—19) relata sint, tamen hunc alium arcessivisse fontem infra demonstrabitur; nec recte M. Grasshof (de fontibus et auctoritate Dionis Cassii, Bonnae 1867 p. 31) utrumque scriptorem de his rebus congruere contendit. Iam Grasshof quidem breviter adnotat Dionem de senatus consultis (XL 49, 5), de Clodii corpore in curia cremato (XL 49, 2), denique de legibus a Pompeio latis (XL 52, 2) similia atque Asconium tradere; quod autem etiam de servis a Milone manu missis Asconium (p. 30, 10. 11) cum Dione (XL 48, 2) consentire dixit, erravit vir doctus.

et 55—66 eiusdem libri XL pressisse constat[1]). Accedit, quod totus color narrationis, quamquam Dio non omni Pompei vituperatione abstinet[2]), praesertim si Appiani (b. c. II 18—20) et Plutarchi (vit. Pomp. c. 54) verba contuleris, multo minus Pompeio quam Caesari adversus est. Nam cum Appianus Pompeium illius temporis tumultus atque turbas consulto neglexisse, quin etiam, ut nimiae ambitioni satisfaceret, excitasse narret, Dio (XL 50, 5) nihil eiusmodi, sed potius Pompeium minus Caesare favorem multitudinis petivisse affirmat. Appiani vero fontem, qui ad Asinium Pollionem, a Graeco quodam historico transscriptum[3]), redire videtur, diversum esse et inde apparet, quod rerum ab altero relatarum haud parva pars apud alterum desideratur, et inde, quod Appianus (b. c. II 19) octo menses, septem Dio (XL 45, 1) omnium rerum perturbationem fuisse scribit.

Sed certiora in promptu sunt argumenta, quibus Livius Dionis auctor esse arguatur. Etenim Iuliae morte amicitiam Caesaris Pompeique laxatam atque principium belli civilis maturatum esse non tantum Dio (XL 44, 3) auctor est, sed etiam Lucanus (I 111), quem Livii annales quodammodo versibus inclusisse credunt[4]). Deinde si ea, quae Dio XL 46, 3 de candidatis (*οὔτε γὰρ ἐμετρίαζον — μαχόμενοι*) refert, cum Livii periochae libri 107 verbis 'cum seditiones inter candidatos consulatus Hypsaeum, Scipionem, Milonem essent, qui armis et vi contendebant' ... comparamus, vel in verbis concentum quendam deprehendimus. Adde quod Plutarchus (vit. Cat. min. c. 47) eam de isdem rebus exhibet memoriam, quae cum Asconii ipsius (p. 26, 9—11) verbis perspicuam ostendat congruentiam. Plutarchi enim verba sunt haec: *ἐπεὶ δέ, Σκηπίωνος καὶ Ὑψαίου καὶ Μίλωνος ὑπατείαν μετερχομένων οὐ μόνον ἐκείνοις τοῖς συντρόφοις ἤδη καὶ συμπολιτευομένοις ἀδικήμασι, δωροδοκίαις καὶ δεκασμοῖς, ἀλλ' ἄντικρυς δι' ὅπλων καὶ φόνων εἰς ἐμφύλιον πόλεμον ὠθουμένων τόλμῃ καὶ ἀπονοίᾳ, Πομπήιόν τινες ἠξίουν ἐπιστῆναι ταῖς ἀρχαι-*

[1]) cf. Heimbach, quaeritur quid et quantum Cassius Dio in historia conscribenda inde a l. XL usque ad l. XLVII e Livio desumpserit (Bonnae 1878) p. 8—10. Unde Dio ea, quae de rebus a Caesare in Gallia gestis (cap. 30—43) tradit, acciverit in suspenso relinquam.

[2]) cf. Dionem XL 51, 2. 3; 53, 2. Haec Dionem fortasse aliunde supplevisse non negem.

[3]) cf. Thouret l. c. p. 324 sqq.; Judeich l. c. p. 33 sqq.

[4]) cf. Grohs l. c. p. 12 n. 5; Judeich l. c. p. 11.

ρεσίαις. Iam vero cum Hermannus Peter[1]) Plutarchum in Catonis vita describenda Thraseam Paetum solum sequi putet, qui ad Munatium Rufum redeat, ego, quia neque Dionem neque scholiastam illis ipsis locis Thraseam aut Munatium arcessivisse consentaneum est, consensum Asconii, Plutarchi, Dionis ita expediverim, ut aut Plutarchum praeter Thraseam Paetum in illa vita Livio usum esse statuam aut Livium Munatio Rufo — quam sententiam Grohsius (l. c. p. 19 sq.) non sine veri specie protulit —, Dionem autem et Asconium ad unum Livium revocandos esse crediderim.

Nec minus Livianae originis signa eo indicantur, quod Dio in capite 47 prodigia enumerat, quorum nusquam alibi fit mentio, cum huius generis res maxime Livius proferre soleat. Denique iis collatis, quae de Pompeio consule sine collega creato Dio (XL 50, 5: *ξένον τε δὴ τοῦτο καὶ ἐπὶ μηδενὸς ἄλλου γενόμενον ἔπραξαν*) et Livii periocha (107: 'consul tertio factus est, absens et solus, quod nulli alii umquam contigit') referunt, quin ille ex Livio hauserit, nullo pacto dubitare licet, ita ut Livium omnium earum rerum, quarum conspectum supra composui, primarium fontem fuisse suspicemur. Unde sequitur, ut, ubi Asconius et Dio consentiunt, Livius communis auctor fuerit, etsi nonnullas earum rerum, quas de Clodii corpore in curia cremato et de senatus consultis refert Asconius, aliunde quoque ab eo hauriri potuisse constat, praesertim cum scholiasta in Milonianae argumento etiam 'acta', Fenestellam, denique in universum annales citet (p. 27, 12. 14; 26, 5) atque certo acciverit[2]).

Nunc ad alium locum pergamus. Asconius enim (p. 66, 21—24) L. Cottam et L. Torquatum in locum P. Sullae et P. Autronii, qui consules designati, sed ab illis ambitus in crimen vocati fuerint, creatos esse scribit; nec discrepat Dio XXXVI 44 (27). Cum autem Cicero (de fin. II 19, 62) non L. Torquatum, qui consul factus est, sed huius filium cognominem P. Sullae accusatorem fuisse testetur[3]), illi scriptores a Cicerone aeque recedentes communi fonti sua debere mihi videntur. Iam vero illius Dionis ca-

[1]) Die Quellen Plutarchs p. 65—68.

[2]) Hoc infra demonstrabimus.

[3]) cf. Drumann II p. 88 n. 80; p. 514 n. 59; praeterea C. John in Mus. Rhen. XXXI p. 415 et in annal. philol. supplem. VIII p. 708.

pitis non Sallustius, ut nonnulli viri docti contenderunt[1]), sed Livius auctor agnoscendus est. Nam primum et Sallustius (Catil. 18. 19) et Dio (l. c.) nonnulla eaque gravia praebent, quae alter omittit; deinde Dio a Sallustii narratione eo discrepat, quod Autronium et Sullam, contra ille Catilinam et Autronium ad consules interficiendos et summam potestatem arripiendam coniurasse affirmat. Dionem autem, quippe qui cum Livii periocha 101[2]) de nominibus coniuratorum concinat, Livii vestigia premere elucet, praesertim cum Dio quosdam credidisse Cn. Pisonem in Hispania Pompeio auctore occisum esse, id quod Sallustius (l. c.) scripsit, silentio praetereat; quam famam si ab auctore suo traditam repperisset, qua solet esse malignitate, haud dubie commemorasset; itaque haec ipsa res ad Livium Pompei partibus faventem maximo opere spectat[3]).

Alibi (p. 7, 22—8, 9) Asconius agit de legibus a. P. Clodio tr. pl. a. 696/58 latis, quarum quamquam etiam Cicero frequentissime fecit mentionem[4]) idque ita, ut de lege frumentaria vel consensus[5]) quidam verborum inter utrumque intercedere videatur, tamen cum commentator, imprimis si legem alteram (Asc. p. 7, 27. 28) et quartam (p. 8, 5—9) respicias, multo plura oratore praebeat, praeter Ciceronem ei alterum auctorem ad manum fuisse abunde comprobatur. Iam vero quantopere Asconiana conspirent cum Dione, haec docent exempla:

Asc. p. 7, 21—8, 8:	Dio XXXVIII 13, 1. 2. 6:
Diximus ..... P. Clodium tr. pl. quattuor leges perniciosas populo Romano tulisse: annonariam ....., ut frumentum populo ..... gratis daretur[6]): alteram, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de caelo servaret; ..... tertiam de collegiis restituendis novisque instituendis[1]), ... quartam[2]), ne quem censores in senatu legendo praeterirent, neve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus et utriusque censoris sententia damnatus esset.	*ὁ οὖν Κλώδιος ..... τόν τε σῖτον προῖκα αὖθις διένειμε, τὸ γὰρ μετρεῖσθαι τοῖς ἀπόροις τοῦ τε Γαβινίου ἤδη καὶ τοῦ Πίσωνος ὑπατευόντων ἐσηγήσατο, καὶ τὰ ἑταιρικὰ κολλήγια ἐπιχωρίως καλούμενα, ὄντα ἐκ τοῦ ἀρχαίου, καταλυθέντα δὲ χρόνον τινά, ἀνενεώσατο· τοῖς τε τιμηταῖς ἀπηγόρευσε μήτ' ἀπαλείφειν ἔκ τινος τέλους μήτ' ἀτιμάζειν μηδένα, χωρὶς εἴ τις παρ' ἀμφοτέροις σφίσι κριθεὶς ἁλοίη. ..... ἐσήνεγκε μηδένα τῶν ἀρχόντων ἐν ταῖς ἡμέραις, ἐν αἷς ψηφίσασθαί τι τὸν δῆμον ἀναγκαῖον[3]) εἴη, τὰ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ γιγνόμενα παρατηρεῖν.*

Quibus de legibus cum nusquam alibi accuratiora tradita sint, quoniam neque Asconius eas e memoria tam diligenter reddere poterat et in fonte quodam historico mentionem earum factam esse probabile est, hunc et Dionem indidem sua mutuatos esse statuendum est; qui autem communis ille fons fuerit, iam examinandum est, quamquam hoc de Dionis libri XXXVIII capitibus 1—30 fieri posse Grasshofius (l. c. p. 18) negat.

Itaque cum neque de Sallustii historiis propter tempus, quo leges illae latae sunt, neque de Fenestella, quippe cuius ne levissima quidem apud Dionem sint vestigia[4]), cogitari possit, aut Livius aut ipsa 'acta' in censum veniunt. Quodsi eos libros respexeris, in quibus Dio se 'acta' inspexisse profitetur[5]), in posteriorum demum temporum historia narranda scriptorem illo fonte usum esse patet; maius illud est, quod tota Dionis narratio a sobrio referendi genere, quale in 'actis' fuit, adeo aliena est, ut ad scriptorem aliquem revocanda sit. Livii autem potissimum auctoritatem

[1]) Grasshof l. c. p. 10; Hermannus Haupt Philolog. XLI p. 145 sq.; H. Duebi l. c. p. 871.

[2]) 'Coniuratio eorum, qui in petitione consulatus ambitus damnati erant, facta de interficiendis consulibus oppressa est.'

[3]) cf. C. John annal. philol. supplem. VIII p. 707; Ern. Schmidt l. c. p. 9 sqq.

[4]) De har. resp. 27, 58; pro Sest. 25, 55; in Vat. 9, 23; de prov. cons. 19, 46; cf. Drumann II p. 238 sqq.; Fischer, roem. Zeittafeln p. 237 sqq.

[5]) cf. Asconium p. 7, 25. 26 cum Cicerone pro Sest. 25, 55.

[6]) Praeterea cf. Schol. Bob. p. 300, 31—301, 2.

[1]) Huc adde Asconium (p. 6, 20—22) scribentem: 'L. Iulio C. Marcio consulibus ..... senatus consulto collegia sublata sunt, quae adversus rem publicam videbantur esse' et (p. 6, 25. 26): 'Post VI deinde annos quam sublata erant P. Clodius tr. pl. lege lata restituit collegia'.

[2]) Scholiasta Bobiensis hanc legem p. 300, 26—28 significat.

[3]) Dionis *ἀναγκαῖον εἴη* Asconii voci 'liceret' non repugnare, sed ex errore aut neglegentia scriptoris profectum esse apparet: cf. L. Lange, de legibus Aelia et Fufia (Gissae 1861) p. 15.

[4]) cf. R. Wilmans, de fontibus et auctoritate Dionis Cassii (Berolini 1835) p. 25 sq.

[5]) cf. Dionem XLVII 11, 3; XLVIII 44, 4; LVII 12, 2; 21, 5; 23, 2; LX 33, 1; LXVII 11, 1—3.

Dionem amplexum esse iam inde colligo, quod et ea, quae hanc Dionis partem praecedunt (finis libri XXXVII), et ea, quae sequuntur (XXXVIII 31 sqq.), inde deprompta esse apparet[1]). Livii vestigia prodit etiam universus narrationis color Caesari valde iniquus, quem Dio virum imperii avidissimum describit, cum quacunque ratione consilia ambitiosa ad effectum perducere studeat. Etenim ut gravissima afferam, quo maiorem consequeretur auctoritatem potentiamque, cupidissime legibus multitudini aequis auram popularem captabat, nobilium gratiam promissis assentationibusque aucupabatur, denique equites rogationibus sibi obligavit (cap. 1. 2. 7), nec minus utilitatis suae studio adductus Cn. Pompeium et L. Pisonem affinitatis vinculo sibi conciliavit (cap. 9). Nec solum ipse, sed etiam ministrorum ope tanta licentia arrogantiaque usus est, ut solus gubernaculum rei publicae tenere videretur atque homines non Bibulum et Caesarem, sed C. Caesarem et Iulium Caesarem consules esse per ludibrium dicerent (cap. 8). Atque adeo magnanimum se et liberalem esse simulavit, sed ab iis, qui eum offenderant, plerumque postea necopinatis occasione data gravissimas poenas repetiit, veluti Clodium in Ciceronem incitavit atque omni modo adiuvit; Clodius autem Caesari, qui se adulterii non accusasset, Cicerone insectando mutuum praestitit officium (cap. 11. 12).

Adde, quod res apud Dionem et in Livii periocha (103) eodem ordine narrantur. Finem enim libri XXXVII, ubi de triumviratu agitur, initio libri XXXVIII aeque atque apud Livium excipit legum agrariarum narratio, quas invitis senatu et altero consule Bibulo latas esse periocha et Dio consentiunt. Deinde, quamquam nonnulla apud Dionem (cap. 8. 9) intercedunt, quae epitome utpote gravissima tantum referens omisit, uterque scriptor (Dio XXXVIII 10) C. Antonium proconsulem in Thracia parum prospere rem gessisse exhibet. Post haec, ut ea, quae Dio de Antonii iudiciis et de Caesaris natura moribusque exponit, omittamus, quippe quae epitomatori leviora visa et silentio praeterita esse verisimillimum sit, Dio (cap. 12—17 et 30) Clodii res et leges uberrime describit, quarum ex numero eam solam memoriae prodidit epitomator, qua Cicero in exsilium missus est; certe enim haec ei maxime memorabilis videbatur[2]). Denique Dio post Clodii facinora

[1]) cf. Grasshof l. c. p. 13 sqq.; Ern. Schmidt l. c. p. 8 sqq.

[2]) Sermones, qui inter Ciceronem exsulem et Philiscum quendam fiunt, utrum apud Livium adumbratos legerit Dio an aliunde arcessiverit, denique suone ingenio finxerit, quippe qui ipse arte rhetorica ex more illius aetatis

res a Caesare in Gallia gestas narrare incipit, quas in periocha quoque post legem Clodianam commemoratas reperimus[1]).

Nec minus memorabile est Appianum, qui (b. c. II 10—14) easdem res Caesari tam infesto animo narrat, ut capita illa non ad Asinium Pollionem, sed ad Livium praecipue redire videantur, eundem quem Dionem rerum ordinem servare; nisi quod bella civilia sola descripturus de C. Antonii rebus et iudiciis tacet.

Accedunt aliorum testimonia scriptorum, quos a Livio pendere aut certum aut, quoniam cum Dione congruunt, maxime verisimile est. Prioris generis auctorum Iulius Obsequens (122) similiter atque Dio (XXXVIII 10) sed brevius res a C. Antonio in Thracia infeliciter gestas, idemque (128) Ciceronem, priusquam in exsilium iret, in Capitolio parvam Minervae statuam collocasse[1]) (cf. Dionem l. c. 17, 5) testatur. Praeterea quod Lucanus I 111 sqq., ut iam supra dictum est, Iuliae morte belli civilis initium acceleratum esse canit, id optime consentit cum Dione (cap. 9) Caesarem, ne Pompeius sibi adversarius exsisteret, filiam matrimonio cum illo coniunxisse perhibente.

Sed multo plures inveniuntur loci, quibus maxime quidem probabilia apud Dionem Livii vestigia indicantur. Saepenumero enim Dio cum Plutarcho, Suetonio, Appiano, Floro, Velleio Paterculo consentit, quos omnes praeter alios fontes Livio usos esse constat; ubicunque igitur complures eorum ita cum Dione congruunt, ut aeque malignam Caesari narrationis indolem ostendant, Livianam originem statuere licebit:

1) Quae Dio (cap. 1—8) de Caesaris legibus agrariis et de lege Vatinia scripsit, ex Livio potissimum fluxisse imprimis e Suetonii (vit. Iul. Caes. c. 20 sqq.) et Dionis consensu demonstravit G. Dederdingus[2]).

2) Sicut Dio (cap. 9) ita Plutarchus (vit. Pomp. c. 47; vit. Caes. c. 5. 14), Suetonius (l. c. 21. 27), Appianus (b. c. II 14) de nuptiis Caesaris et Pompei illi infesta referunt.

3) Clodium Caesari, cum Ciceronem opprimeret, gratum facere voluisse, quod hic se non in adulterii crimen vocasset (Dio l. c. 12, 1), Appianus (l. c.) quoque scriptum reliquit atque simillime

hominum haud dubie fuerit imbutus, nihil attinet, quoniam illis omissis rerum contextus aut continuatio non disturbatur.

[1]) Cicero ipse hanc rem obiter tangit de dom. 57, 144; de leg. II 17, 42. Praeterea cf. Plut. vit. Cic. c. 31.

[2]) De Suetoni vita Caesaris I (Berolini 1871) p. 28—33.

Plutarchus (vit. Caes. c. 14), quae ratio inter Clodium et Caesaris uxorem fuerit, perstringens illum in Cicerone exigendo a Caesare adiutum esse refert.

Sed ut illa in Caesarem malignitas in omnibus appareat narratiunculis fieri non potest, velut in iis, quae sequuntur. Plutarchus enim (vit. Cic. c. 30) Clodium legibus suis consulum populique gratiam sibi conciliare studuisse (cf. Dionem l. c. 13, 1) nec minus Ciceronem a Clodio circumventum et ad concedendum dolo inductum esse (cf. Dionem l. c. 14, 3) testatur.

Tum Dio Ciceronem ipsum lege, qua exsul factus est, non nomine appellatum esse narrans (l. c. 14,4) congruit cum Velleio Paterculo (II 45, 1. 2) et Plutarcho (vit. Cic. c. 30), quoniam verba *αὕτη γὰρ ἦν ἡ κατηγορία καὶ ἐπὶ τοῦθ' ὁ Κικέρων ἐκαλεῖτο,* quae Plutarchus orationi addit, quam Caesar Cicerone neglecto de Clodii lege habuerat, ita tantum intellegi possunt, ut in Plutarchi fonte Ciceronem non nominatum fuisse statuamus. Contra Appiano (b. c. II 15) teste lex Ciceronis nomen dilucide continebat; hoc autem loco Appianum a narratione Livii, quem Ciceroni benevolum fuisse constat, recessisse apparet, quod Ciceronem veste mutata atque nimio angore maximum movisse risum addit; in hoc bene cadit, quod ne Dio quidem de hoc oratoris opprobrio quicquam refert. Eorum autem, quae apud Dionem in capitibus 16. 17 leguntur, nonnulla Plutarchus (vit. Cic. c. 31; vit. Pomp. c. 46) narrat atque alibi (vit. Crass. c. 13), quomodo Crassus eiusque filius in Ciceronem se gesserint, ita tradit, ut ei cum Dione conveniat.

Denique quae Dio (l. c. 30, 1. 2) de Tigranis filio per Clodii insidias ex custodia subrepto et de pugna ob hanc rem orta memoriae prodit, confirmant Asconius (p. 41, 24—42, 13) ipse et Plutarchus (vit. Pomp. c. 48), qui quidem rem magis adumbrat quam narrat; sed horum trium scriptorum concentu vix ullus alius auctor nisi Livius indicari videtur[1]).

Horum quae congessi exemplorum ratione habita Dionem etiam in Clodii legibus enarrandis Livio usum esse contendere ausim, praesertim cum apud Dionem Asconiumque duae leges ita definitae et conceptae sint, ut Livii legum scribendarum rationem vel primo aspectu agnoscamus[2]).

[1]) Cicero has res strictim commemorat de dom. 25, 66; ad Att. III 8, 3. Scholiasta Bobiensis p. 284, 6—16 ad Asconium redit: cf. Kiessling-Schoell praef. p. XX *n.* 1.

[2]) Nimirum Dionem, quippe qui litterarum maximae fuerit gnarus atque res ve e compluribus fontibus arcessitas scite conectere sciverit (cf. C. Peter, zur Kritik der Quellen der aelteren roem. Geschichte p. 138), in ea quoque parte, quam modo tractavimus, ad primarium auctorem supplendum aut corrigendum aliunde nonnulla accivisse mihi persuasi. Ne de orationibus dicam, ea imprimis huc referenda esse suspicor, quae de Cicerone et Lucullo et Bibulo ad Caesarem Pompeiumque necandos conspirantibus (Dio cap. 9: cf. Drumann II p. 233 sqq.) et de legatione Ciceroni a Caesare oblata (Dio cap. 15: cf. Drumann V p. 614 sq.) legimus. Quae autem scriptor in universum de Cicerone maligne scribit, eum ipsum, qua fuit in Ciceronem invidia (cf. Iul. Guil. Fischer, de font. et auctorit Cassii Dionis, Lipsiae 1870 p. 30), praesertim cum orationes quidem epistulasque legisse mihi videatur, de suo addidisse suspicor. Denique ipse ex aequalibus quoque quaerendo compererat (l. c. 13, 5: *γράφω δὲ τὰ λεγόμενα*), quae uberius de lege ad auspicia pertinente narrat; atque item saepius aequales videtur consuluisse: cf. Dionem XXXIX 38.

Quae cum ita sint, Asconium a P. Clodio legem esse propositam, qua libertini in rusticis quoque tribubus iudicium ferrent (Asc. p. 46, 20—23), deinde Clodium a L. Ninnio tr. pl. ludos Compitalicios facere prohibitum (Asc. p. 7, 5. 6), denique omnino de collegiis, ludis Compitaliciis, magistris collegiorum vicorumque (Asc. p. 6, 23—26) narrantem ad eundem scriptorem redire, quoniam haec omnia, quae artissime inter se cohaereant, unum fontem communem indicent, coniectura haud improbabili augurari possumus; quod autem Dio has res praeterit, quippe qui auctorem, quem adhibet, non cum pulvisculo excusserit[1]), sed graviora tantum et ad tradendum idonea elegerit, ad nostram opinionem infringendam nihil valet.

Porro quae commentator de C. Manilii tribuni plebis a. 688/66 legibus et de L. Domitio legem de libertinorum suffragiis prohibente tradit (p. 40, 1—6): 'eo tempore, cum C. Manilius[2]) tribunus plebis subnixus libertinorum et servorum manu perditissimam legem ferret, ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset, idque per tumultum ageret et clivum Capitolinum obsideret, discusserat perruperatque coetum Domitius ita, ut multi Manilianorum interficerentur' et (p. 58, 5—8): ⟨*altera fuit*⟩ (scil. Manilii) legum de libertinorum suffragiis, quae, cum S. C. damnata esset, ab ipso quoque Manilio ⟨*non*⟩ ultra defensa est: altera de bello Mithridatico . . .' breviter comprehensa legimus apud Dionem XXXVI 42 (25), 1—3 his verbis: *ἐγήνεγκε δὲ καὶ ὁ Γάιος ὁ Μάλλιος, ὅτε ἐδημάρχησεν. . . . . ὁ δὲ δὴ Μάλλιος καὶ δίκην ὀλίγου ὑπέσχε· τῷ γὰρ*

[1]) cf. Dionis fr. 1. 2 ed. L. Dindorf.

[2]) cod. S: 'C. Malius'; M: 'Cn. Mallius'; P: 'Cn. Manlius'.

ἔθνει τῷ τῶν ἀπελευθέρων ἔν τε τῇ ἐσχάτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ καὶ πρὸς ἑσπέραν, παρασκευάσας τινὰς ἐκ τοῦ ὁμίλου, ψηφίσασθαι μετὰ τῶν ἐξελευθερωσάντων σφᾶς ἔδωκεν. ἐπεὶ δὲ ἡ βουλὴ εὐθὺς τῇ ὑστεραίᾳ, ἐν αὐτῇ τῇ νουμηνίᾳ, ἐν ᾗ Λοίκιός τε Τούλλιος καὶ Αἰμίλιος Λέπιδος ὑπατεύειν ἤρξαντο, τὸν νόμον αὐτοῦ ἀπεψηφίσατο . . .

Sed primum, utrum tribunus plebis, quem scholiasta p. 40, 1 et p. 58, 6 nominat, unus idemque sit necne, videndum est. Homines docti enim alii [1]) priore loco Asconiano codicum auctoritatem secuti Cn. Manlium legunt, quem tribunum plebis una cum Clodio anno 696/58 fuisse putant, alii [2]) recte utroque loco C. Manilium tr. pl. a. 688/66 intellegunt. Quos iure codicum memoriam deseruisse censeo; nam etiam p. 56, 26 Asconii codices 'cū Mallio' (cod. M: 'manlio') praebent, ubi 'C. Manilio' scribendum esse constat atque eundem virum apud Dionem (l. c.) et Plutarchum (vit. Pomp. c. 30) *Μάλλιον*, altero vero Plutarchi loco (vit. Cic. c. 9) *Μανίλιον* scriptum legimus, ita ut huius nominis lectione nihil magis inconstans fuisse apertum sit. Deinde quod tribunum plebis, quem illi Cn. Manlium nuncupant, anno 58 eandem legem de suffragio libertinis dando tulisse contendunt, quam Clodius ferre proposuerit (Asc. p. 46, 20—23), probabile non est Asconium, cum utramque legem in eadem oratione illustranda commemoret, non duas sed unam eandemque fuisse ne ulla quidem mentione dignum habuisse. Nec minus falso Manlii vel potius Clodii legem eandem esse, quam Dio XXXVI 42 (25), 2 tangat, negatur [3]). Nam cum Dione teste C. Manilius eam tulerit legem, qua libertini *μετὰ τῶν ἐξελευθερωσάντων* suffragium ferrent, Manlium autem eam, 'qua libertini, qui non plus quam in ⟨*IV*⟩ tribubus suffragium ferebant, possent in rusticis quoque tribubus, quae propriae ingenuorum sint [4]), ferre' apud Asconium (p. 46, 20—23) legamus, quid inter has duas leges discriminis statui potest? Huc accedit, quod Dio C. Manilium multi-

[1]) Drumann III p. 19 n. 27; Orelli-Baiter ad Asc. p. 45 sq.; Fischer, roem. Zeittafeln p. 239; Beck l. c. p. 26; C. Halm ad Cic. pro Mil. 8, 22 (ed. 6); M. Hœlzl (fasti praetorii, Lipsiae 1876 p. 41 sq.); Halm (ed. 8) tribunum plebis anni 696/58 C. Manilium statuit.

[2]) Kiessling-Schoell ad Asc. p. 39, 26; 40, 1; Elberling, narratio de P. Clodio p. 33. Praeterea cf. Zumpt l. c. p. 505.

[3]) cf. Baiter l. c.; Hoelzl l. c.

[4]) Asc. p. 40, 3: 'ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset' (scil. Cn. Manlius tulerat).

tudine subnixum legem tulisse atque ob eam in summum discrimen venisse tradit, plane autem idem de Cn. Manlio Asconius scribit (p. 40, 1—6). Porro qui scholiastam eo ipso, quod altero loco (p. 58, 5. 6) legem 'non ultra defensam esse', altero (p. 40, 1—6) Manlium adversariis vehementissime restitisse tradat, leges illas diversas fuisse indicasse existimant, et neglexisse videntur Asconii (p. 58, 5. 6) verba 'quae (scil. lex) cum S. C. damnata esset' et Dionis narratione refelluntur, quippe quae haud dubie ad eam legem spectet, quam scholiasta p. 58, 5. 6 tangit. Deinde vero, si Cn. Manlium tr. pl. anni 58 a C. Manilio tr. pl. anni 66 discernimus, uterque eandem legem non solum eodem modo tulit, verum etiam ratione prorsus pari revocare coactus est, id quod ab omni probabilitate alienum est. Quae cum ita sint, nihil magis consentaneum esse puto quam commentatorem utroque loco de eodem C. Manilio tr. pl. anni 66 verba facere [1]).

Quae sententia eo comprobatur, quod verba, quibus Cicero (pro Mil. 8, 22) anno 52 ad L. Domitium Ahenobarbum [2]) se convertit 'dederas enim, quam contemneres populares insanias, iam ab adulescentia documenta maxima', multo melius quadrant ad annum 66 quam ad annum 58; tum Pompeius causae Milonis, a quo erat animo aversissimo [3]), vix L. Domitium, qui Clodio se praebuerat tam infestum, praefecisset, postremo Cicero certe hac re ad clientem suum commendandum vel maxime esset abusus.

Quodsi ea, quae Asconius et Dio exhibent, inter se comparamus, quamquam scholiasta copiosiora Graeco scriptore tradit, adeo tamen consentiunt, ut, praesertim cum excepta ea, quae ad Pompeium pertinet, lege [4]) nusquam alibi haec res commemoretur, his communem fontem esse admodum verisimile fiat.

Iam vero, etsi Grasshofius (p. 10) et H. Hauptius (l. c.) caput 42 (25) Dionem historiis Sallustii debere iudicant, tamen de Liviana potius origine cogitari posse dixerim. Nam cum res anno 66 gestas non iam a Sallustio enarratas esse constet et Manilii

[1]) De scholio Bobiensi p. 284, 24—33 ab Asconio p. 40, 1—6 discrepante infra videbimus.

[2]) Cum L. Domitius anno 58 praetor fuerit, apud Asconium p. 39, 26 pro 'praetura' cum Nipperdeio (leg. annal. p. 85) 'quaestura' restituendum est; certe quidem vox 'praetura 'lectione 'C. Manilius' recepta nullo modo stare potest.

[3]) cf. Asc. p. 33, 14—21.

[4]) cf. Fischer, rœm. Zeittafeln p. 212—214.

legum ea sola, quae ad libertinos spectat, in anni 67 historiam idque in ultimum eius anni diem incidat, hanc legem ex eodem, quo res sequentes, fonte, quae omnes artissime inter se coniunctae sint atque eandem indolem prodant, Livium [1]) dico, repetendam esse conicio, praeterquam quod in hoc Dionis capite nulla Sallustii vestigia relicta sunt.

Nec secus Asconius, cum (p. 81, 20—22) Lucretium Ofellam consulatum contra voluntatem Sullae petentem iussu Sullae tunc dictatoris a L. Bellieno occisum esse referat, ad verbum fere concinit cum Livii perioch. 89: 'Q. Lucretium Ofellam, adversus voluntatem suam consulatum petere ausum, iussit (scil. Sulla) occidi in foro[2])'.

Item Asconius (p. 61, 1 – 4) 'Qui (scil. M. Livius Drusus) cum senatus partes tuendas suscepisset et leges pro optimatibus tulisset, postea eo licentiae est progressus, ut nullam in his morem servaret' consentit cum his Livii perioch. 70. 71 verbis: 'senatus cum inpotentiam equestris ordinis in iudiciis exercendis ferre nollet, omni vi eniti coepit, ut ad se iudicia transferret, sustinente causam eius M. Livio Druso tribuno plebis, qui, ut vires sibi adquireret, perniciosa spe largitionum plebem concitavit. . . . . M. Livius Drusus tr. pl., quo maioribus viribus senatus causam susceptam tueretur, socios et Italicos populos spe civitatis Romanae sollicitavit, eisque adiuvantibus per vim legibus agrariis frumentariisque latis iudiciariam quoque pertulit, ut aequa parte iudicia penes senatum et equestrem ordinem essent.' Cum huius relationis sententia congruunt[3]) Velleius II 13. 14 et Florus II 5, 4 (III 17), cum Appianus (b. c. I 35) Drusum neutrius partis studiosum legibus senatum cum equitibus in gratiam restituere voluisse tradat. Denique quod scholiasta (p. 61, 4. 5) Philippum consulem Druso inimicum fuisse dicit, idem apud Valerium Maximum IX 5, 2, Florum II 5, 8, Aurelium, Victorem q. f. (de vir. illustr.) 66 significatum videmus; itaque quae apud Asconium p. 61, 1—7 exstant, ex Livio manasse suspicor.

[1]) cf. Grasshof p. 11 sqq.

[2]) Ofellae necem eodem modo plus minus copiose describunt Plutarchus (vit. Sull. c. 33) et Appianus (b. c. I 101), quibus locis Livium ab Appiano certo, a Plutarcho verisimillime adhibitum esse Elimarus Klebs (de scriptoribus aetatis Sullanae. Berolini 1876 p. 32 sq.) ostendit.

[3]) Praeterea cf. Cic. de orat. I 7, 24; III 1, 2; de leg. II 12, 31; Schol. Bob. p. 356, 6—8.

Nec minus scholiasta (p. 22, 6—8) P. Licinium Crassum Mucianum pontificem maximum fuisse et bello Aristonici in Asia dedisse operam, ut occideretur, adnotans cum hanc rem[1]) apud Valerium Maximum III 2, 12, Frontinum strat. IV 5, 16, Florum I 35 (II 20), Orosium V 10 ita relatam videamus, ut omnes haud dubie ad Livium redeant, eidem fonti sua debere in suspicionem venit.

Deinde Asconius (p. 57, 6—12; 22, 12—15) P. Sulpicium primo C. Caesari restitisse atque omnino ab initiis bonarum actionum ad perditas, ad ferrum armaque processisse narrans, praeterquam quod Cicero (de har. resp. 20, 43; Brut. 63, 226) haud dissimilia quidem, attamen non omnia quae scholiasta prodit[2]), ut huic alium quoque fontem ad manum fuisse pateat, consentit cum Velleio Paterculo, apud quem (II 18, 5) haec leguntur: 'P. Sulpicius, tribunus plebis, disertus, acer, opibus gratia amicitiis vigore ingenii atque animi celeberrimus, cum antea rectissima voluntate apud populum maxumam quaesisset dignitatem, quasi pigeret eum virtutum suarum et bene consulta ei male cederent, subito pravus et praeceps, *se* C. Mario . . . omnia imperia et omnis provincias concupiscenti addixit legemque ad populum tulit . . . . . aliasque leges perniciosas et exitiabiles neque tolerandas liberae civitati tulit.' Ex horum scriptorum concentu, praesertim cum ut Velleius II 18, 6 ita Livius (perioch. 77) Sulpicium 'perniciosas' tulisse leges scriptum reliquerit atque adeo in sequentibus Vellei capitibus cum Liviana narratione, ut Klebsius[3]) demonstravit, apertissimae inveniantur consensiones, de his quidem rebus[4]) Livium communem auctorem esse probabilitate quadam concludi potest.

Tum Asconius (p. 15, 21—26) L. Opimium in praetura Fre-

[1]) Aliter hanc rem exhibet Strabo XIV 38.

[2]) Praeterea cf. Cornif. rhet. ad Her. IV 22, 31: 'Sulpicio qui paulo ante omnia concedebant, eum brevi spatio non modo vivere, sed etiam sepeliri prohibuerunt'.

[3]) l. c. p. 5 sq.; nimirum, utrum Velleius Livium ipsum an eundem fontem atque ille compilaverit, Klebs in dubio relinquit; praeterea cf. Klebs p. 16—18.

[4]) Cum vero commentator (p. 22, 10—12) causam belli civilis fuisse contentionem, quae C. Iulio Caesari fuerit cum P. Sulpicio, scribat, quomodo hoc intellegendum sit, ipse, utpote qui p. 57, 6—11 recte legibus Sulpicii bellum civile motum esse tradat, dilucide ostendit. Idem de initio primi belli civilis referunt Livius (perioch. 77), Appianus (b. c. I 55 sqq.), Florus (II 9, 6. 7 [III 21]), alii: cf. Drumann II p. 435 sq.

gellas cepisse narrat, quo facto visus sit ceteros quoque nominis Latini socios male animatos repressisse eundemque in consulatu Fulvium Flaccum consularem et C. Gracchum tribunicium oppressisse, ob quam invidiam postea iudicio circumventus sit et in exsilium actus. Ex his scholiastae verbis quamvis eluceat eum Ciceronis sequi sententiam L. Opimium iniuria condemnatum esse scribentis [1]), tamen, cum plura oratore praebeat, alium quoque de illo viro inspectum esse auctorem in aperto est.

Sallustius quidem respici non potest, quod Opimium re vera a Iugurtha argento corruptum atque ob eam causam iure esse multatum refert [2]); eandem vero quam apud Asconium sententiam apud Velleium II 7, 3 deprehendimus: 'crudelesque mox quaestiones in amicos clientesque Gracchorum habitae sunt. Sed Opimium, virum alioqui sanctum ac gravem, damnatum postea iudicio publico memoria istius saevitiae nulla civilis persecuta est misericordia. Eadem Rutilium Popiliumque, qui consules asperrime in Tiberii Gracchi amicos saevierant, postea iudiciorum publicorum merito oppressit invidia'[3]).

Haec ex Livio arcessivisse Velleium cum per se admodum probabile est, tum idem II 6, 4 Fulvium Flaccum 'consularem atque triumphalem virum, aeque prava (scil. atque Gracchum) cupientem' describit, Livius (perioch. 61) 'socium eiusdem furoris' nominat, ita ut Velleium et Asconium Livio, qui in libris LX et LXI res ab Opimio gestas fuse narravit, usos esse suspicari liceat.

Fabiam, virginem Vestalem, 'causam incesti dixisse, cum ei Catilina obiceretur', atque absolutam esse Asconius (p. 82, 6—10) neque ex Cicerone, quem de hoc sororis Terentiae suae crimine

[1]) Cicero scribit (Brut. 34, 128): 'nam invidiosa lege Mamilia quaestio ⟨cum esset⟩, ... L. Opimium, Gracchi interfectorem, a populo absolutum, cum is contra populi studium stetisset, Gracchani iudices sustulerunt', sed altero loco (pro Sest. 67, 140): 'praeclare vir de re publica meritus, L. Opimius, indignissime concidit; . . . . . Atque hunc tamen flagrantem invidia propter interitum C. Gracchi semper ipse populus Romanus periculo liberavit: alia quaedam civem egregium iniqui iudicii procella pervertit.' Praeterea cf. Cic. apud Ascon. p. 15, 16–20; pro Planc. 28, 69—29, 70; in Catil. I 2, 4; Philipp. VIII 4, 14.

[2]) bell. Iug. 16. 40. Praeterea cf. Plut. vit. C. Gracch. c. 18.

[3]) Quod Velleius 'merito' illud factum esse scribit, proprium eius videtur esse iudicium neque eis repugnat, quae scholiasta exhibet.

nusquam uberius dixisse consentaneum sit, neque ex Sallustio, qui nomine omisso obiter hanc rem tangit (Catil. 15), nosse poterat. Iam vero, cum Orosius (VI 3) Livium illam causam [1]) enarrasse testis sit, ut ex hoc commentator sua hauriret factum esse potest.

Denique Asconius (p. 14, 15—17) Pompeium cos. II. elephantorum pugnam primum omnium dedisse in circo affirmans congruit cum Seneca (de brev. vit. 13), discrepat a Fenestella, qui (apud Plinium h. n. VIII 19) Claudium Pulchrum M. Antonio A. Postumio coss. in aedilitate hoc primum fecisse contendit[2]). Plutarchus (vit. Pomp. c. 52) pugnam, quam dedit Pompeius, commemorat atque *ἐκπληκτικώτατον θέαμα* nominat nec dissimilia leguntur apud Dionem XXXIX 38. Itaque neque ad Sallustium aut ad Fenestellam scholiastae relatio revocari potest et Asconii et Senecae narrationes indicia prae se ferunt auctoris, qui in laudem Pompei ludos ut magnificentissimos pingere studuerit, id quod in Livium omnium optime quadrat. Adde, quod eundem, quem Seneca, elephantorum numerum Dio prodit, ut, quoniam per totum librum XXXIX Livii vestigia reperiuntur [3]), hos Livio usos esse satis probabile sit [4]). Postremo Plutarchus, quem in vita Pompei nonnulla ex Livio delibasse constat, hanc prae ceteris pugnam praedicat.

Praeterea de lege Varia Asconius et Appianus et Valerius Maximus haud dissimilia tradunt: Asconius (p. 19, 22—25) haec: 'Italico bello exorto, cum ob sociis negatam civitatem nobilitas in invidia esset, Q. Varius tribunus plebis legem tulit, ut quaereretur de iis, quorum ope consiliove socii contra populum Romanum arma sumpsissent'; Appianus (b. c. I 37) haec: *οἱ ἱππεῖς ἐπίβασιν ἐς συκοφαντίαν τῶν ἐχθρῶν τὸ πολίτευμα αὐτοῦ τιθέμενοι, Κόιντον Οὐάριον δήμαρχον ἔπεισαν ἐσηγήσασθαι κρίσεις εἶναι κατὰ τῶν τοῖς Ἰταλιώταις ἐπὶ τὰ κοινὰ φανερῶς ἢ κρύφα βοηθούντων, ἐλπίσαντες τοὺς δυνατοὺς ἅπαντας αὐτίκα ἐς ἔγκλημα ἐπίφθονον ὑπάξεσθαι, καὶ δικάσειν μὲν αὐτοί, γενομένων δ' ἐκείνων ἐκποδὼν δυνατώτερον ἔτι τῆς πό-*

[1]) Hanc rem tangit etiam Plutarchus (vit. Cat. min. c. 19).

[2]) Asconii et Senecae auctor in errore esse videtur: cf. Drumann IV p. 524 n. 18.

[3]) Grasshof l. c. p. 27.

[4]) Quod Dio 'armatos', Seneca 'innoxios' (sic restituit Gertz) homines cum elephantis pugnasse narrat, nostrae opinioni nihil adversatur, cum apud Senecam alios, alios apud Dionem intellegendos esse contendens Drumann (IV p. 524 n. 17) errasse mihi videatur.

λεως ἐπάρξειν; Valerius Maximus (VIII 6, 4) haec: 'Q. autem Varius . . . tribunus plebis legem adversus intercessionem collegarum perrogavit, quae iubebat quaeri quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent.'

Quamquam Valerius auctoris, quo utebatur, verba neglegenter exscripsisse videtur, Appianus tamen isdem fere verbis legem definit eamque ad nobiles opprimendos latam esse asserit, cuius rei exemplum scholiasta sumit a M. Scauro, rei patre. Quibus scriptoribus hanc narratiunculam Livium suppeditasse suspicari in proclivi est.

Postremo Liviana fortasse agnoscas collatis eis, quae de M. Porcio Catone Asconius [1]) (p. 25, 23—27), Valerius Maximus (III 6, 7), Plutarchus (vit. Cat. min. c. 44) scripta reliquerunt, nec minus eis, quae de Q. Mucio Scaevola apud scholiastam[2]) (p. 13, 15—22) et Valerium Maximum (VIII 15, 6) legimus.

Huic disputationis parti hanc quasi appendicem addere liceat. Asconius p. 84, 4—8 Catilinam et Antonium Ciceronis orationi, quam in toga candida contra illos habuit, contumeliose respondisse et in novitatem eius invectos esse narrat[3]). Appianus (b. c. II 2) autem, postquam Catilinam anno $^{690}/_{64}$ consulatum petentem repulsam tulisse narravit, haec exhibet: *καὶ Κικέρων μὲν ἦρχεν ἀντ' αὐτοῦ* (scil. Catilinae), . . . *Κατιλίνας δ' αὐτὸν ἐς ὕβριν τῶν ἑλομένων ἐπέσκωπτεν, ἐς μὲν ἀγνωσίαν γένους καινὸν ὀνομάζων (καλοῦσι δ' οὕτω τοὺς ἀφ' ἑαυτῶν ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους), ἐς δὲ ξενίαν τῆς πόλεως ἐγκουϊλῖνον, ᾧ ῥήματι καλοῦσι τοὺς ἐνοικοῦντας ἐν ἀλλοτρίαις οἰκίαις.* Iam vero Johnius[4]) hanc Appiani relationem ad eandem orationem spectare, de qua Asconius l. c. verba faciat, neque aut ex Asconio aut ex Sallustio[5]) (Catil. 31, 7; 23, 5. 6) compilatam esse perspexit. Sed idem, cum Appiano eas Catilinae et Antonii orationes ad manus fuisse contendat, quas illorum nomine editas esse scholiasta commemorat, sic ad verbum scribit: 'Mœgen nun die unter ihrem Namen laufenden die æchten gewesen sein oder nicht — Quintilian IX 3, 94

[1]) cf. Madvig l. c. p. 69.

[2]) De Cicerone (ad Att. V 17, 2—5) similia tradente iam supra (p. 24) disputavimus. Praeterea cf. Drumann VI p. 53 n. 5.

[3]) Ad Asconium redit Scholiasta Bobiensis p. 363, 21—24.

[4]) Annal. philol. supplem. VIII p. 770.

[5]) Ex hoc Appianum sua finxisse opinatur Schliephacke l. c. p. 5.

erwæhnt die des Antonius, ohne etwas von Unæchtheit zu sagen, und Ascon ist etwas zu eingenommen fuer Cicero, um hier unbedingte Autoritæt zu sein —, so duerfte doch thatsæchlich der inquilinus neben dem homo novus in Catilinas Rede nicht gefehlt haben (vgl. Cic. pro Sull. 7, 22 sqq.).' At Asconius discernit orationes veras et subditicias testaturque Catilinam et Antonium re vera in Ciceronis novitatem invectos esse, a veris tamen illorum orationibus diversas fuisse eas, quae a Ciceronis obtrectatoribus editae sua aetate ferantur.

Itaque illos competitores re vera Ciceroni contumeliose respondisse aut ex ipsorum orationibus scivit commentator aut apud scriptorem aliquem legit; qui si orationes ipsas adiisset, ex more[1]) suo id significasset, atque cum idem in universum orationes, quae suis temporibus ferantur, non ab ipsis scriptas, sed nomine tantum illorum emissas esse expressis verbis affirmet, genuinae orationes tum omnino videntur iam periisse.

Asconium autem si quis nimio erga Ciceronem studio ita deceptum esse coniciat, ut illas orationes iniuria falsas esse diceret, ei obstet viri religiosissimi doctrina[2]). Nam etiamsi apud Quintilianum (l. c.) fragmentum illius C. Antonii orationis exstat, hoc suppositis orationibus tribuendum esse propter eius indolem Madvigius[3]) suspicatus est et ex iis, quae equidem disserui, elucet.

Iam quoniam Asconium de hac re scriptorem aliquem consuluisse videmus, ne Appianum quidem sua ex subditis orationibus — de quibus solis in illo historico cogitari possit — deprompsisse verisimile est; atque adeo utrumque auctorem ex communi fonte hausisse[4]) suspicor; qui tamen utrum Livius fuerit an alius, in dubio relinquendum est.

Caput III. De Sallustio.

Sallustianas historias ab Asconio, quamvis semel tantum una cum Livio et Fenestella Sallustii mentionem iniciat, non esse neglectas sed compluries adhibitas a scholiasta, quaecunque ad

[1]) cf. Asc. p. 23, 12; 36, 12; 54, 12—15; 82, 16. 17.

[2]) Idem iudicant Kiessling et Schoell praef. p. XII.

[3]) l. c. p. 75 sq. Praeterea cf. Spalding ad Quint. IV 1, 68; IX 3, 94.

[4]) Schliephacke l. c. hoc negat.

illius temporis historiam pernoscendam pertinerent, sedulo conquirente consentaneum est. Quamquam quod Wilmansius (l. c. p. 13), quem Grasshofius [1]) sequitur, ideo, quia Sallustius inter tres illos auctores primus nominatur [2]), commentatorem ex hoc plurima deprompsisse conclusit, id haud scio an temere fecerit; nam Sallustii nomen propterea primum locum occupare apparet, quia ex temporum ratione reliquos antecedit. Adde, quod in Cornelianae potissimum enarratione deprehenduntur Sallustii vestigia, quippe in qua oratione illustranda maxime omnium, quae quidem cum scholiastae commentariis servatae sunt, eae res tractandae fuerint, quas ille rerum scriptor enarraverat.

Ad exquirendum autem, ubi Asconius Sallustium consuluerit, ut in Livii reliquiis investigandis ita in hac quoque quaestione solvenda ansam praebet Dionis Cassii comparatio, quem de postrema liberae rei publicae aetate praeter ceteros Sallustio usum esse dudum est perspectum [3]); quamquam nonnulla sunt, quae Asconius e compluribus fontibus aeque facile arcessere potuerit [4]).

Aliquot locis Asconius tantopere cum Dione concinit, ut concentum communi auctori deberi in propatulo sit, veluti his, quos infra posui:

Asc. p. 50, 19—51, 7:

Cornelius *ea repulsa* offensus senatui questus est de ea *re in contio*ne: exhauriri provincias usuris; *provideri* ut haberent legati unde praesentia *munera* darent; promulgavitque legem qua *auctoritatem* senatus minuebat, ne qui nisi per populum legibus solveretur. Quod antiquo quoque iure erat cautum: itaque in omnibus S. C. quibus aliquem legibus solvi placebat adici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur: sed paulatim ferri erat desitum ...

Dio XXXVI 39 (22), 2:

ἀγανακτήσας οὖν ἐπὶ τούτοις ὁ Κορνήλιος γνώμην ἐποιήσατο μὴ ἐξεῖναι τοῖς βουλευταῖς μήτε ἀρχήν τινι ἔξω τῶν νόμων αἰτήσαντι διδόναι μήτ' ἄλλο μηδὲν τῶν τῷ δήμῳ προσηκόντων ψηφίζεσθαι· τοῦτο γὰρ ἐνενομοθέτητο μὲν ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου, οὐ μέντοι καὶ τῷ ἔργῳ ἐτηρεῖτο.

Dio ibid. 3. 4:

θορύβου τε ἐπ' αὐτῷ πολλοῦ συμβάντος, καὶ γὰρ ἀντέπρασσον τῶν τε ἄλλων τῶν ἐκ τῆς γερουσίας συχνοὶ καὶ ὁ Πίσων, τάς τε ῥάβδους αὐτοῦ ὁ ὄχλος συνέτριψε καὶ αὐτὸν διασπάσασθαι ἐπεχείρησεν. ἰδὼν οὖν τὴν ὁρμὴν αὐτῶν ὁ Κορνήλιος τότε μέν, πρὶν ἐπιψηφίσαι τι, διαφῆκε τὸν σύλλογον, ὕστερον δὲ προσέγραψε τῷ νόμῳ τήν τε βουλὴν πάντως περὶ αὐτῶν προβουλεύειν καὶ τὸν δῆμον ἐπάναγκες ἐπικυροῦν τὸ προβούλευμα.

[1]) Grasshof, l. c. p. 10.

[2]) cf. Asc. p. 59, 3. 4.

[3]) cf. Wilmans l. c. p. 13; Grasshof l. c. p. 9 sqq.

[4]) Sic Asconium (p. 70, 8—10) de lege Roscia ad Sallustium redire Wilmans (p. 12) ex Dione XXXVI 42 (25) iniuria colligit; etenim hanc legem notissimam etiam apud Livium (cf. perioch. 99) alibique commemoratam invenerat: cf. Drumann V p. 351 sq.

Asc. p. 51, 10—52, 1:

Indigne eam Corneli rogationem tulerant potentissimi quique ex senatu, quorum gratia magnopere minuebatur; itaque P. Servilius Globulus tribunus plebis inventus erat, qui C. Cornelio obsisteret. Is, ubi legis ferundae dies venit et praeco subiciente scriba verba legis recitare populo coepit, et scribam subicere et praeconem pronuntiare passus non est. Tum Cornelius ipse codicem recitavit. Quod cum improbe fieri C. Piso consul vehementer quereretur ⟨*tollique*⟩ tribuniciam intercessionem diceret, gravi convicio a populo exceptus est; et cum ille eos qui sibi intentabant manus prendi a lictore iussisset, fracti eius fasces sunt lapidesque etiam ex ultima contione in consulem iacti: quo tumultu Cornelius perturbatus concilium dimisit ..... Actum deinde eadem de re in senatu *est magnis* contentionibus. Tum Cornelius ita ferre *rursus* coepit, ne quis in senatu legibus solveretur nisi *CC non minus* adfuissent, neve quis, cum *quis*

ita solutus esset, intercederet, cum de ea re *ad populum* ferretur.

Asc. p. 52, 5—8:

Ali*am* deinde legem Cornelius, etsi nemo repugnare ausus est, multis tamen invitis tulit, ut praetores ex edictis suis perpetuis ius dicerent: quae res cunctam[1]) gratiam ambitiosis praetoribus, qui varie ius dicere assueverant, sustulit.

Dio XXXVI 40 (23), 1. 2:

οὕτως ἐκεῖνόν τε διενομοθέτησε καὶ ἕτερον τόνδε. οἱ στρατηγοὶ πάντες τὰ δίκαια, καθ' ἃ δικάσειν ἐμελλον, αὐτοὶ συγγράφοντες ἐξετίθεσαν· οὐ γάρ πω πάντα τὰ δικαιώματα τὰ περὶ τὰ συμβόλαια διετέτακτο. ἐπεὶ οὖν οὔτε ἐσάπαξ τοῦτ' ἐποίουν οὔτε τὰ γραφέντα ἐτήρουν, ἀλλὰ πολλάκις αὐτὰ μετέγραφον καὶ συχνὰ ἐν τούτῳ πρὸς χάριν ἢ καὶ κατ' ἔχθραν τινῶν, ὥσπερ εἰκός, ἐγίγνετο, ἐσηγήσατο κατ' ἀρχάς τε εὐθὺς αὐτοὺς τὰ δίκαια οἷς χρήσονται προλέγειν, καὶ μηδὲν ἀπ' αὐτῶν παρατρέπειν.

Nimirum de causa offensi Cornelii Asconius et Dio discrepare videntur, cum ille quidem p. 50, 11—19 scripserit Cornelium a senatu, qui eius relationem 'ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret' repudiasset, alienatum legem promulgasse 'ne qui nisi per populum legibus solveretur', Dio autem (XXXVI 38 (21), 3 sqq.) Cornelium hanc legem ferentem fecerit, quod, cum ipse consilium habuisset legem ferendi, qua severe in ambitus reos animadverteretur, consules (scil. Piso)[2]) ex senatus consulto eandem legem sed moderatiorem tulissent.

Etiam scholiasta p. 67, 12—14 C. Pisonis legem de ambitu commemorat; quod autem graviorem eam dicit, quam antea fuerat, non a Dione Cornelii legem severiorem fuisse tradente dissidet[3]),

[1]) Sic Baiter emendavit; codd. praebent 'eumaut'.
[2]) cf. Asc. p. 67, 12—14.
[3]) Hoc Wilmans (l. c. p. 12) falso contendit.

neque ita est intellegendus, ut Cornelii Pisonisque inter se comparet leges — Cornelii legem ambitus omnino reticet —, sed tantummodo in universum Pisonis legem graviorem quam quae antea esset lata fuisse refert[1]).

Quin etiam commentator (p. 61, 11—13) in illa lege de ambitu 'praeter alias poenas pecuniariam quoque poenam fuisse adiectam' narrans plane congruit cum Dione (XXXVI 38 (21), 1) haec scribente: *ἐνομοθετήθη πρὸς αὐτῶν τῶν ὑπάτων μήτ' ἄρχειν μήτε βουλεύειν σφῶν μηδένα, ἀλλὰ καὶ χρήματα προσοφλισκάνειν*, praeterquam quod Dio parum accurate utrumque consulem illius legis auctores fuisse narrat.

Contra Dio de Cornelii lege, quae ad pecuniam legatis exterarum nationum expensam pertinet, aut de S. C. illam relationem repudiante (Asc. p. 50, 12—19) nihil tradit, nisi quod fragm. 111, 3 (*οἱ γὰρ ἀπ' ἀρχῆς . . . . . προσυποπτεύσαντες τοὺς πρέσβεις* (scil. Cretensium) *ἐπιχειρήσειν τινάς, ὡς καὶ κωλύσοντας τὴν στρατείαν, διαφθεῖραι χρήμασιν, ἐψηφίσαντο ἐν τῇ βουλῇ μηδένα αὐτοῖς μηδὲν δανεῖσαι*) consentit cum Asconio narrante (p. 50, 17—19) ante pauculos annos[2]) quam Cornelius tr. pl. esset senatum decrevisse, 'ne quis Cretensibus pecuniam mutuam daret.'

Iam vero ea mihi intercedere videtur ratio inter Asconii et Dionis memoriam, ut fons, quem uterque adierit, Cornelii et de ambitu et de expensa pecunia legem tradiderit, quarum alteram ab altero omissam esse scriptore. In hanc opinionem etiam hoc cadit, quod scholiasta p. 52, 8—10 'alias quoque complures leges' a Cornelio promulgatas esse prodit.

Drumannus autem (II p. 612) a Dionis auctoritate temere re-

[1]) Haec sententia comprobatur his verbis scholiastae Bobiensis (p. 361, 30—362, 4): 'superioribus temporibus damnati lege Cornelia (scil. anni 573/181) hoc genus poenae ferebant, ut magistratuum petitione per decem annos abstinerent Aliquanto postea severior lex Calpurnia et pecunia multavit et in perpetuum honoribus iussit carere damnatos Habebant tamen licentiam Romae morandi. Postea iam damnatis Sylla et Autronio poenam de ambitu graviorem consules C. Antonius et Cicero sanxerunt, ut praeter haec veteribus legibus constituta etiam exilio multarentur.' Quae narratiuncula non modo optime cum Dione consonat, sed etiam vix aliunde atque ex Asconio ipso profecta est. Eodem modo lex Calpurnia cum eadem Ciceronis lege comparatur apud Schol. Bob. p. 269, 15—18; 309, 16—22; 324, 2. 3. His quoque locis Asconii vestigia exstare conicio.
[2]) Hoc anno 684/70 factum esse discimus ex Dione l. c.

cedit, cum legem de ambitu omnium Cornelii legum paene ultimam dicit, nec quicquam habet, quo suam confirmet sententiam. Immo, quoniam illis ipsis legibus repudiatis, etsi Asconius alteram, alteram Dio reticet, tribunum offensum senatus auctoritatem aliis legibus imminuere studuisse apud utrumque scriptorem legimus, illae una fere, certe quidem ante eas latae esse mihi videntur, quas commentator p. 51 et Dio XXXVI 39 (22), 2 sqq. describunt.

Adde, quod Dio XXXVI 39, 1 propter leges de ambitu tumultus ortos esse ita narrat, ut ei optime conveniat cum Asconio p. 67, 12—17. Itaque non de diverso, sed de communi scriptorum fonte cogitandum est, quem neuter totum exscripserit.

Ne de correcta quidem Cornelii lege Asconius p. 51, 23—52, 1 cum Dione XXXVI 39, 3. 4 omnino consentit. Nam cum uterque auctor sit, ut legibus aliquis solveretur, opus fuisse et senatusconsulto hanc rem commendante et comitiorum assensu, Dio omittit, quae scholiasta de numero senatorum, quos adesse necesse erat, et de vetita intercessione addit; quae discrepantia sine ulla difficultate ita explicatur, ut Dio rem illam satis intricatam et brevissime et minus accurate reddidisse videatur.

Praeterea conferendi sunt hi loci:

Asc. p. 64, 1—11:

L. autem Trebellius ⟨est⟩ tribunus plebis quem non nominat: quo perseverante intercedere, (nam senatui promiserat moriturum se ante quam illa lex [scil. Gabinia, qua Cn. Pompeio bellum adversus piratas datum est](perferretur) introvocare tribus Gabinius coepit, ut Trebellio magistratum abrogaret, sicut quondam Ti. Gracchus tribunus M. Octavio collegae suo magistratum abrogavit. Et aliquamdiu Trebellius ea re non perterritus aderat perstabatque in intercessione, quod id minari magis quam perseveraturum esse Gabinium arbitrabatur; sed postquam X et VII tribus rogationem acceperunt et una modo supererat, ⟨*ut*⟩ populi iussum conficeret, remisit intercessionem Trebellius.

Dio XXXVI 30 (13), 1. 2:

τοιαῦτα δὴ τοῦ Γαβινίου εἰπόντος ὁ Τρεβέλλιος ἐπειράθη μὲν ἀντειπεῖν. ὡς δ' οὐδενὸς λόγου ἔτυχεν, ἠναντιοῦτο τῷ μὴ τὴν ψῆφον δοθῆναι. ὁ οὖν Γαβίνιος ἀγανακτήσας τὴν μὲν περὶ τοῦ Πομπηίου διαψήφισιν ἐπέσχεν, ἑτέραν δὲ περὶ αὐτοῦ ἐκείνου ἀντεσήγε· καὶ ἔδοξεν ἑπτακαίδεκα φυλαῖς ταῖς πρώταις χρηματισάσαις ἀδικεῖν τε αὐτὸν καὶ μηκέτι χρῆναι δημαρχεῖν. μελλούσης οὖν καὶ τῆς ὀκτωκαιδεκάτης τὰ αὐτὰ ψηφιεῖσθαι μόλις ποτὲ ὁ Τρεβέλλιος ἐσιώπησεν.

Iam vero, cum in Dionis libri XXXVI cap. 1—37 tam certa Sallustii vestigia compareant[1]), ut eum huius partis praecipuum auctorem fuisse statuendum sit, etiam iis locis cum Asconio congruis, qui paulo post sequuntur, eundem fontem subesse contenderunt Wilmansius (l. c. p. 11 sq.) et Grasshofius[2]). Fugit tamen hos viros doctos, quantopere narrationis Asconianae indoles cum alibi Sallustianum iudicium sapiat tum in argumento Cornelianae orationis, ubi scholiasta Cornelii causae favere se indicat, contra senatui et omnino nobilibus admodum infeste se gerit, quorum potentiae cupiditatem ac licentiam non sine voluptate quadam detegit et Cornelii legibus imminutam et repressam esse tradit.

Denique quod commentator (p. 67, 12—17) C. Pisonem, cum legem de ambitu ferret et propter multitudinem divisorum, qui per vim adversarentur, e foro eiectus esset, maiore manu stipatum ad legem perferendam descendisse perhibet, id haud scio an eodem iure Sallustio tribuere possimus.

Sed Asconium non solum historias Sallustii, verum etiam de coniuratione Catilinaria librum adiisse collatis iis, quae apud Asconium p. 82, 28—83, 6 et Sallustium (Catil. 18. 19) leguntur, demonstrari potest:

Asc. l. c.:

Fuit enim opinio Catilinam et Cn. Pisonem, adulescentem perditum, coniurasse ad caedem senatus faciendam ante annum quam haec dicta sunt, Cotta et Torquato coss., eamque caedem ideo non esse factam, quod prius

Sall. l. c.[3]):

Cum hoc (scil. Cn. Pisone) Catilina et Autronius circiter nonas Decembris consilio communicato parabant in Capitolio kalendis Ianuariis L. Cottam et L. Torquatum consules interficere, ipsi fascibus correptis Pisonem cum exer-

[1]) cf. Grasshof l. c. p. 3—8.
[2]) l. c. p. 9 sq.; praeterea cf. H. Haupt Philolog. XLI p. 143 sqq.
[3]) Utor editione ab Henrico Iordan (Berolini 1887) parata.

quam parati essent coniuratis signum dedisset Catilina. Piso autem, cum haec dicerentur, perierat, in Hispaniam missus a senatu per honorem legationis, ut ab urbe ablegaretur; ibi, dum iniurias provincialibus facit, occisus erat, ut quidam credebant, a Cn. Pompeii clientibus Pompeio non invito.

citu ad optinendas duas Hispanias mittere. Ea re cognita rursus in nonas Februarias consilium caedis transtulerant; iam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur. Quodni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die post conditam urbem Romam pessumum facinus patratum foret..... 19: Postea Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est adnitente Crasso, quod eum infestum inimicum Cn. Pompeio cognoverat. Neque tamen senatus provinciam invitus dederat, quippe foedum hominem a re publica procul esse volebat..... Sed is Piso in provincia ab equitibus Hispanis.... occisus est. Sunt qui ita dicant, imperia eius iniusta superba crudelia barbaros nequivisse pati, alii autem equites illos, Cn. Pompei veteres fidosque clientis, voluntate eius Pisonem aggressos.

Consentiunt igitur inter se, nisi quod Asconius non cum Sallustio de caede consulum, quam Catilina molitus sit, sed de caede senatus verba facit. Nihilo autem minus ex Sallustio, nullo quidem pacto ex Livio narrationem interpretis fluxisse eo comprobari puto, quod aeque atque Sallustius commemorat quosdam credidisse Pisonem a Cn. Pompei clientibus Pompeio non invito occisum esse, id quod ipsum obstat, ne de origine Liviana

cogitemus. Huc accedit, quod Dio XXXVI 44 (27), quem hoc ipso loco sua ex Livio mutuatum esse supra (p. 33 sq.) demonstravimus, quamquam Pisonis mortem commemorat, de hoc rumore Pompeio tam infesto tacet.

Ut autem de caede senatus Asconio cum Sallustio non conveniret, ita factum videtur, ut scholiasta Ciceronis verba 'cum Cn. Pisone socio..... caedem optimatium facere voluisti', quae modo scripserat, nimis presserit[1]). Etiam Sallustius ipse (Catil. 18, 7) illos iam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinatos esse significat.

Caput IV. De Fenestella.

Quid et quantum Asconius Fenestellae debeat, cuius librorum perpaucae reliquiae aetatem tulerunt, difficillimum est cognitu. Nam si ab iis locis recesseris, quibus Fenestella expressis verbis a scholiasta laudatur, ne unius quidem origo rationibus certis ab illo derivari potest; quamquam, cum Fenestellam ita cum Sallustio Livioque componat, ut hos scriptores maxime secutum se esse indicet (p. 59, 1—5), nec raro mentionem eius faciat, ut Livium Sallustiumque ita Fenestellam quoque a commentatore multo saepius inspectum esse quam nominatum suspicari licet. Accedit, quod huius 'diligentissimi scriptoris'[2]) annales — nam de his tantum posse cogitari ex fragmentis elucet — cum antiquiora urbis tempora[3]) tum memoriam cadentis liberae rei publicae tam copiose et accurate narratam continebant, ut etiam singularum Ciceronis orationum[4]) ratio haberetur et scriptori curioso, qualis est Asconius, ampla suppeditaretur materia.

Nominat commentator Fenestellam his locis: p. 4, 20; 27, 14; 59, 4; 76, 9; 77, 10, denique apud Gellium XV 28, 4, ita plerumque, ut illum impugnet; quod eum iure fecisse argumentis examinatis constat[5]).

Ac Drumannus quidem, cum poneret (II p. 63 n. 41) aut Asconium vel potius Fenestellam, ipsius Pisonis, contra quem oratio est, socerum

[1]) cf. C. John in annal. philol. supplem. VIII p. 712.
[2]) Lact. instit. div. I 6, 14.
[3]) cf. Mercklin, de Fenestella historico et poeta p. 5; Poeth l. c. p. 13 sqq.
[4]) cf. Fenestellam apud Asc. p. 76, 9 et apud Gell. XV 28, 4.
[5]) cf. supra p. 25 n. 2.

Rutilium Nudum appellantem (p. 4, 19. 20), a veritate discedere. aut illum Pisonem novum matrimonium iniisse, cum alio loco[1]) Calventius alio Rutilius Nudus socer appelletur, Ciceronis et Asconii verba falso interpretatus est; nam dilucide significatum est priore loco Pisonem patrem, altero Pisonem filium intellegendum esse.

Praeter eos, quos supra enumeravi, locos duo exstant apud scholiastam, quibus homines docti Fenestellae nomen periisse existimant. Quorum alter legitur p. 1, 7, ubi nomen eius desideratur, cui orationem in Pisonem L. Domitio Appio Claudio coss. ultimam esse habitam dicenti commentator obloquitur. Kiesslingius et Schoellius[2]), cum in codice lacuna quattuor litterarum hiet, aut Tironis aut Nepotis nomen suppleri iubent; verum quoniam Nepotem ne semel quidem, Tironem rarissime, contra Fenestellam saepius atque ita commemorat Asconius, ut eum redarguat, Fenestellam fuisse commemoratum Poethio (l. c. p. 48) et H. Petero[3]) assentior.

Paulo aliter iudicandum est de exemplo altero (p. 62, 8. 9). Constat quidem nomen auctoris, qui a Scipione Africano II. cos. et collega eius Sempronio Longo in ludis ante populi consessum senatui locum tributum esse scripserit, intercidisse, sed quale fuerit illud, adeo incertum est, ut utrum Marklandus[4]) ex Livio (XXIX 22, 10) Clodium Licinium (immo Licinum) probabilius restituerit, an scholiastae editores Fenestellae nomen, vix ac ne vix quidem diiudicari possit.

Restat, ut ea afferam, quae auctoris nomine non addito non sine veri specie ad Fenestellam referri posse videantur:

Asconius in commentanda oratione Miloniana praeter hanc ipsam et 'acta' — nam liber 'de optimo genere oratorum' hoc loco omitti potest — annales quoque se expilasse ipse testatur (p. 26, 3–7), eosque non unius sed complurium, certe duorum historicorum fuisse inde colligendum est, quod et Fenestellam ipse nominat (p. 27, 14) et Livium ab eo inspectum esse Dio nos docuit. Accedit aliud. Etenim praeter plurimas res, quae apud Dionem aut desunt aut aliquanto brevius quam a scholiasta narrantur,

[1]) cf. Ciceronem apud Asc. p. 4, 17. 18.
[2]) Praef. p. XIII et ad Asc. l. c.
[3]) Historicorum Romanorum fragmenta praef. p. XXIV.
[4]) Praef. ad Cic. IV oratt. post red. in sen. hab. p. LXX (Wolf).

uno loco Asconius tantopere cum Appiano et Plutarcho congruit, ut eum cum his scriptoribus ex communi fonte pendere appareat; quod quo clarius fiat, ipsa verba conferam:

Asc. p. 31, 13 16: 'Inter haec cum crebresceret rumor Cn. ⟨*Pompeium*⟩ creari dictatorem oportere neque aliter mala civitatis sedari posse, visum est optimatibus tutius esse eum consulem sine collega creari . . . .'

App. b. c. II 20: *καὶ πολλοὶ τοῦτο ἐς ἀλλήλους διελάλουν, ὅτι μόνον ἂν γένοιτο φάρμακον ἐπὶ τοῖς παροῦσι κακοῖς ἡ μόναρχος ἐξουσία, χρῆναι δ' ἑλέσθαι δυνατὸν ὁμοῦ καὶ ἤπιον, ἐνσημαινόμενοι τὸν Πομπήιον . . .* ibid. 23: *ἡ βουλὴ δὲ συνήει μετὰ δέους, καὶ ἐς τὸν Πομπήιον ἀφεώρων ὡς αὐτίκα σφῶν ἐσόμενον δικτάτορα· χρήζειν γὰρ αὐτοῖς ἐφαίνετο τὰ παρόντα τοιᾶσδε θεραπείας.*

Plut. vit. Caes. c. 28: *πολλοὶ δὲ ἦσαν οἱ καὶ λέγειν ἐν μέσῳ τολμῶντες ἤδη πλὴν ὑπὸ μοναρχίας ἀνήκεστον εἶναι τὴν πολιτείαν, καὶ τὸ φάρμακον τοῦτο χρῆναι τοῦ πρατοτάτου τῶν ἰατρῶν ἀνασχέσθαι προσφέροντες, ὑποδηλοῦντες τὸν Πομπήιον.*

Iam vero, cum Appianum in hac historiae Romanae parte Asinium Pollionem a Graeco quodam historico transscriptum secutum esse supra[1]) demonstraverimus, non modo Plutarchum, qui in singulis rebus vel ad verbum cum Appiano II 19. 20. 23 consentit, verum etiam Asconium[2]), quippe qui l. c. adeo a Dionis (XL 50, 3) auctore 'alios Caesarem consulem, alios Pompeium dictatorem creandum esse putasse' referente discrepet, ex illo scriptore sua hausisse consequens est.

Sed cum neque Asinius Pollio a commentatore usquam inter auctores commemoretur et Fenestella, quem illa tempora copiosissime enarrasse constat, in argumento ipso (p. 27, 14) citetur, per hunc a scholiasta Asinium Pollionem adhibitum esse suspicor.

Caput V. De actis p. R.

Asconius se acta populi Romani et inspexisse et excerpsisse ipse testatur his quinque locis:

1) p. 17, 1—3: 'postulatus ⟨*est*⟩ (scil. M. Scaurus) apud M. Catonem praetorem repetundarum, ut in Actis scriptum est

[1]) p. 32.
[2]) Praeterea cf. Asc. 29, 10. 11.

postridie[1]) Nonas Quintil. post diem tertium quam ⟨*C.*⟩ Cato erat absolutus.'

2) p. 27, 12—16: 'a. d. XIII. Kal. Febr. (Acta etenim magis sequenda et ipsam orationem, quae Actis congruit, puto quam Fenestellam, qui a. d. XIV. Kal. Febr. tradit) Milo Lanuvium .... profectus est ...'

3) p. 39, 3—16: 'Sed ego, ut curiosius aetati vestrae satisfaciam, Acta etiam totius illius temporis persecutus sum, in quibus cognovi pridie Kal. Mart. S. C. esse factum, P. Clodi caedem et incendium curiae et oppugnationem aedium M. Lepidi contra rem p. factam; ultra relatum in Actis illo die nihil; postero die, id est Kal. Mart., ⟨*T.*⟩ Munatium in contione exposuisse populo quae pridie acta erant in senatu: in qua contione haec dixit ad verbum: Cum Hortensius dixisset, ut extra ordinem quaereretur apud quaesitorem, aestimare futurum, ut, cum pusillum edissent dulcedinis, largiter acerbitatis devorarent: adversus hominem ingeniosum non ingenio usi sumus; invenimus Fufium, qui diceret „Divide“[2]); reliquae parti sententiae ego et Sallustius intercessimus.'

4) p. 41, 12—21: 'Obsessus est (scil. Pompeius) etiam a liberto Clodi Damione, ut ex Actis eius ⟨*anni*⟩ cognovi, in quibus XV. Kal. Sept. L. Novius, tribunus plebis, collega Clodi, cum Damio adversum ⟨*L.*⟩ Flavium praetorem appellaret tribunos et tribuni de appellatione cognoscerent, ita sententiam dixit: Et⟨*si ab*⟩ hoc apparitore P. Clodi vulneratus sum, et hominibus armatis praesidiis dispositis a re publica remotus Cn. Pompeius obsessus⟨*que*⟩ est: cum appeller, non utar eius exemplo, quem vitupero, et iudicium tollam, et reliqua de intercessione.'

5) p. 43, 17—22: 'Hoc significat eo die quo Clodius occisus est contionatum esse mercennarium eius tribunum plebis. Sunt autem contionati eo die, ut ex Actis apparet, C. Sallustius et Q. Pompeius, utrique et inimici Milonis et satis inquieti. Sed videtur mihi Q. Pompeium significare; nam eius seditiosior fuit contio.'

'Acta' quae Asconius dicit, nulla fuisse possunt nisi acta populi, quae teste Suetonio (vit. Caes. c. 20) ut publicarentur Cae-

[1]) codd. 'pridie'; de hac re postea disputandum erit.

[2]) cf. Schol. Bob. p. 281, 34—282, 15.

sar a. 695/59 consul factus primus omnium instituit. Nam quae Lieberkuehnius[1]) sibi finxit acta forensia, nulla umquam fuerunt[2]). De senatus vero actis propterea cogitandum non est, quoniam neque haec usquam[3]) simpliciter 'acta' nominantur, nec vero ea, quae tamquam ex 'actis' hausta laudantur, in 'senatus actis' scripta fuisse possunt. Accedit, quod commentator, si etiam 'senatus acta' compilasset, quin utrumque 'actorum' genus inter se distincturus fuerit, dubium vix est.

De 'actorum populi' indole atque argumentis, quae quam varia fuerint et Cicero compluries testatur et ex ipsis reliquiis elucet[4]), pauca praemittenda sunt. Cicerone auctore 'acta' continebant omnia senatus consulta, edicta, fabulas, rumores, quam quisque sententiam dixisset, ludorum explosiones et funerum et ineptiarum plura, denique quaecunque in re publica agebantur[5]). Nam inter 'commentarios' illos privatos, quos Cicero affert (l. c.), et 'acta populi' nihil fere discriminis esse Huebnerus[6]) demonstravit.

Ac primum quidem ex 'actorum' reliquiis et apud Asconium et alibi servatis apparet illa meras rerum atque orationum relationes exhibuisse, nihil vero proprii iudicii eius sive eorum, qui 'acta' componebant[7]), additum habuisse, unde certis finibus terminantur, quae ex Asconio 'actis' tribuere licet et oportet. Accedit alterum: certae scilicet 'actorum' reliquiae omnes continent dies iudiciorum (p. 17, 2) sive contionum (p. 41, 14; 43, 19) sive senatus consultorum (p. 39, 5) sive aliarum rerum (p. 27, 12), deinde nomina hominum, qui in agendis rebus publicis alicuius momenti erant, veluti Damionis, Clodii liberti (p. 41, 12. 13) et oratorum qui in contione exstiterant (p. 39, 8; 41, 15), denique partes orationum ipsarum ad verbum descriptas (p. 39, 10 sqq; 41, 17 sqq.). Iam vero cum consentaneum sit relationes modo allatas, quippe quae ad res minutas spectent et fusiores sint quam pro rerum gravitate par fuerit, in annalibus esse non potuisse,

[1]) De diurnis Romanorum actis (Vimar. 1840) p. 3 sq.

[2]) cf. E Huebner, de senatus populique Romani actis (annal. philol. supplem. III) p. 562 sq.

[3]) cf. E. Huebner l. c. p. 566—569.

[4]) E. Huebner l. c. p. 596 sqq.; p. 619.

[5]) Cic. ad fam. VIII 1, 1. 2; 11, 4; XII 28, 3; cf. Huebner l. c. p. 595.

[6]) l. c. p. 596. Praeterea cf. W. A. Schmidt, das Staatszeitungswesen der Rœmer (Zeitschr. f. Geschichtswissensch I 1844) p. 321. 326.

[7]) cf. Schmidt l. c. p. 326; H. Peter, die Quellen Plutarchs p. 42.

etiam ubi 'acta' non citantur, sicubi similia occurrunt, dies inquam iudiciorum, contionum vel aliarum actionum, numeri nominaque accusatorum, defensorum, iudicum et absolventium et condemnantium, orationes, denique quaecunque in contionibus aut in iudiciis memorabilia agebantur, haec ad 'acta' referenda esse probabiliter suspicabimur.

Qua de causa ex 'actis' fluxisse existimo in oratione Scauriana: summum iudicii Scauriani diem fuisse a. d. IV. Non. Sept. (Asc. p. 16, 5), itemque eodem anno Vatinium a Cicerone defensum esse (p. 16, 3. 4), praesertim cum dies iudicii Vatiniani et Scauriani, ut ex Cicerone ad Quint. fr. II 16, 3 eminet, haud multum ut inter se distarent.

Cum autem Asconius (l. c.) 'hanc quoque orationem eisdem consulibus' Ciceronem dixisse quibus pro Vatinio scribat, vox 'quoque' indicat scholiastam etiam illam orationem [1]) antea illustrasse, ut certe de huius quoque die 'acta' inspexerit.

Quod ad argumentum ipsum attinet, Asconius haud dubie nonnulla et in oratione et in 'actis' invenit, velut Scaurum ex praetura provinciam Sardiniam obtinuisse (p. 16, 12–14), pro C. Catone ita dixisse, ut is absolveretur (p 16, 16—18), denique, querentibus de eo Sardis, a P. Valerio Triario apud M. Catonem praetorem repetundarum esse accusatum (p. 16, 20: 17, 1). Contra quo die C. Cato esset absolutus (p. 16, 18), Scaurus ad consulatus petitionem Romam rediisset (p. 16, 19), plenum Triarii accusatoris nomen (p. 16, 20), Scaurum postulatum esse postridie Non. Quint., nomina subscriptorum (p. 17, 1—5) ex 'actis' solis cognovit.

De Catonis absolutione Cicero in epist. ad Att. IV 15, 4 haec scribit: 'a. d. III. Non. Quint. Sufenas et Cato absoluti'; qui locus, sive Asconius eum legit sive 'acta' sola de illa die secutus est, quin Ciceronis verba, quae in illa epistula exstant, ad Asconii memoriam (p. 16, 18) restituendam plurimum valeant, dubium esse non potest.

Etenim cum epistulae lectioni 'a. d. III. Nonas Quint.' Asconiana codicis P memoria [codd. S et M: a. d. IV. Non. Quint.] congruat, hanc veram Catonis absoluti diem esse puto: nec tamen, quod

[1]) De hac oratione Vatiniana cf. Drumann VI p. 36 et fragmenta, quae leguntur in Ciceronis editione, quam curavit C. F. W. Mueller, IV 3 p. 284 sq.

scholiasta (p. 17, 1—3) Scaurum post diem tertium quam C. Cato esset absolutus, accusatum esse scribit, hoc pridie Non. Quint., ut commentator (p. 17, 2) exhibet, fuisse potest. Contra si pro 'pridie' substituerimus vocem 'postridie'[1]), nihil erit, quo offendamur. Asconium enim ut in annis ita etiam in diebus numerandis terminum, a quo numerare inciperet, excludere solere intellexit C. Johnius[2]). Dierum[3]) tamen hanc computationem scholiastam iniisse negavit H. Gaumitzius[4]) nixus in Asconio p. 47, 28 collato cum Cicerone pro Mil. 16, 44 atque in Asconio p. 31, 17—20 eodemque p. 39, 5. Quorum exemplorum prius ideo nihil valet, quod illo loco scholiasta non ipse in die definienda calculum ponit, sed Ciceronis (pro Mil. l. c.) ipsius verba citat; altero vero loco (p. 31, 17—23) haec commentator scribit: 'Pompeius ab interrege Servio Sulpicio V. Kal. Mart. mense intercalario consul creatus est statimque consulatum iniit' atque sic pergit: 'deinde post diem tertium de legibus novis ferendis rettulit: duas ex S. C. promulgavit, alteram de vi, qua nominatim caedem in Appia via factam et incendium curiae et domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit, alteram de ambitu'; quibuscum comparanda sunt p. 39, 4—7: 'in quibus (scil. 'actis') cognovi pridie Kal. Mart. S. C. esse factum, P. Clodi caedem et incendium curiae et oppugnationem aedium M. Lepidi contra rem p. factam'.

Cum autem mensis, de quo agitur, intercalaris esset, ille dies erat dies mensis Febr. XXVII.

Iam vero Gaumitzius sic interpretatur:

I. V. Kal. Mart. (= die XXIV. mens. Febr.) Pompeius consul creatur,

II. post diem tertium (= die XXVI. mens. Febr.) refert in senatu de legibus novis ferendis,

III. prid. Kal. Mart. (= die XXVII. mens. Febr.) leges ex S. C. promulgantur.

[1]) Sic etiam Orelli nonnullos veteres editores secutus causis non additis scribit.

[2]) Annal philol. supplem. VIII p. 785. Praeterea cf. E. v. Stern l. c. p. 173 sq.; Aug. Kuehn, quo die Cicero primam in Catil. orationem habuerit (Vratisl. 1885) p. 5 sq.; A. Nohl Wochenschr. f. class. Phil. 1886 No. 7 p. 196 sqq.

[3]) De annis viri docti omnino consentiunt; cf. Asc. p. 50, 8. 9; 57, 7—9; 61, 20. 21; 68, 7–9; 71, 22; 79, 8. 9; C. John Philolog. Rundschau, V. Jahrg. 1885 p. 1298.

[4]) Leipz. Studien II p. 251 sqq.

Nescio tamen, unde concluserit Gaumitzius Pompeium iam die XXVI. mensis Febr. in senatu de legibus ferendis rettulisse et postero demum die (prid. Kal. Mart.) S. C. promulgatum esse. Nonne ex Asconii (p. 31, 19 – 24) verbis colligendum est uno eodemque die leges a Pompeio et relatas et promulgatas esse?

Neque hoc omnino fieri potuisse quisquam negabit, nec, si promulgatio sequente demum die facta esset, hoc scriptor, qua est in his rebus enarrandis diligentia, omisisset.

Itaque cum Asconius pridie Kal. Mart. tertium esse diem dicat post consulatum initum (V. Kal. Mart.), ita calculum posuit, ut non, qui in universum Romanorum mos erat, utrumque numerandi terminum includeret, sed, quo modo nostrates faciunt, alterum excluderet.

Quod autem nuper ipse Johnius [1]), cum in Scaurianae argumento Ciceronis memoria neglecta a. d. IV. Non. Quint. et (p. 17, 2) pridie Non. Quint. legeret, illam numerandi rationem scholiastae de diebus in dubitationem vocavit, haec dubitatio, quoniam iis, quae de illis locis exposui, testimoniorum concentus facile efficitur, sublata esse mihi videtur.

Nec minus ad 'acta' redire puto omnia, quae legimus p. 24, 24 – 25, 22, exceptis iis, quae, quoniam ab 'actorum' referendi genere abhorrent, uncis [2]) inclusi rotundis. Asconius praebet haec: 'Laudaverunt Scaurum consulares novem, L. Piso, L. Volcatius, Q. Metellus Nepos, M. Perpenna, L. Philippus, M. Cicero, Q. Hortensius, P. Servilius Isauricus pater, Cn. Pompeius Magnus. Horum magna pars per tabellas laudaverunt quia aberant: inter quos Pompeius quoque; (nam quod erat pro cos. extra urbem morabatur.) Unus praeterea adulescens laudavit, frater eius, Faustus Cornelius Syllae filius. (Is in laudatione multa humiliter et cum lacrimis locutus non minus audientes permovit quam Scaurus ipse permoverat.) Ad genua iudicum, cum sententiae ferrentur, bifariam se diviserunt, qui pro eo rogabant: ab uno latere Scaurus ipse et M.' Glabrio, sororis filius, et Paulus et P. Lentulus [3]), Lentuli Nigri flaminis filius, et L. Aemilius Buca

[1]) Philol. Rundschau l. c. p. 1297 – 1299.

[2]) Isdem in hac disputationis parte utar, ubi Asconium ad verbum describam, nonnulla autem, sive propter narrandi colorem sive quod illa actate omnibus erant nota, aliis fontibus reddenda videbuntur.

[3]) Omnes codices praebent: 'P. Lentulus'. Iam Manutius et Beierus (cf. Cic. ed. Or. V 2 p. 29 n. 5), quos Hoelzl (l. c. p. 97) sequitur, 'L. Lentulus' restituendum esse intellexerunt, ea respicientes, quae Cicero in epist. ad

filius et C. Memmius, Fausta natus, supplicaverunt; ex altera parte Sylla Faustus, frater Scauri, et T. Annius Milo, (cui Fausta ante paucos menses nupserat dimissa a Memmio), et C. Peducaeus et C. Cato et M. Olenas Curtianus.

Sententias tulerunt senatores duo et XX, equites tres et XX, tribuni aerarii XXV: ex quibus damnaverunt senatores IV, equites II, tribuni II.

Cato praetor cum vellet de accusatoribus in consilium mittere multique e populo manus in accusatores intenderent, (cessit imperitae multitudini ac) postero die in consilium de calumnia accusatorum misit. P. Triarius nullam gravem sententiam habuit; subscriptores eius M. et Q. Pacuvii fratres denas et L. Marius tres graves habuerunt.'

Denique suspicari licet indidem sumptam esse materiem huius narrationis Asconianae (p. 17, 5—12): 'Qui (scil. accusatores vel subscriptores) inquisitionis in Sardiniam itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperunt, neque profecti sunt ad inquirendum: cuius rei hanc causam reddebant, quod interea comitia consularia futura essent; timere ergo se, ne Scaurus ea pecunia, quam a sociis abstulisset, emeret consulatum et, sicut pater eius fecisset, antequam de eo iudicari posset, magistratum iniret ac rursus ante alias provincias spoliaret, quam rationem prioris administrationis redderet.' Nam in 'acta' orationes quoque recepta esse constat [1]). Sed cum illa verba in orationibus quoque accusatorum ipsis fuisse potuerint, quas tum editas esse imprimis eo fragmento, quod apud Valerium Maximum VIII 1, 10 exstat, verisimile fit, rem in suspenso relinquam.

Sequitur, ut in iis, quae Asconius ad orationem Milonianam adnotavit, 'actorum' vestigia indagemus. Qua in re cavendum est,

Quint. fr. III 1, 15 (falso legimus ap. Or. I 1, 15) ponit: 'Gabinium tres adhuc factiones postulant: L. Lentulus, flaminis filius, qui iam de maiestate postulavit' et ad Att. IV 16, 9 (= IV 18, 11) praebet, quam lectionem neque Orellium neque recentiores editores in contextum recepisse mirum est. Nam cum Lentulo, flaminis filio, Lucii praenomen fuisse Cicero bis (l. c.) testetur, et ad Att. II 24, 2. 3; XII 7; in Vat. 10, 25 eundem virum praenomine omisso simpliciter Lentulum nominet, ita ut flamini etiam alterum filium fuisse negandum sit, lectionem 'L. Lentulus' Asconio reddendam esse iudico.

[1]) cf. Asc. p. 39, 10—16; 41, 16—21.

ne iusto plura ex 'actis' derivemus, cum de illis temporibus annales quoque, id quod in Livio, Dione, Appiano, Plutarcho vidimus, satis accurate rettulisse videantur.

Ac primum quidem scholiasta (p. 26, 2) ex 'actis' cognovit, quo die Cicero pro Milone dixerit; nam in eo, quod Cicero ait pro Mil. 35, 98: 'centesima lux est haec ab interitu P. Clodii et, opinor, altera'[1]), iam idcirco commentator acquiescere non potuit, quod verbum 'opinor' Ciceronem ipsum de hoc dierum numero dubium fuisse indicare videtur.

In iis, quae sequuntur (p. 26, 3—7), quamquam Asconius in auctoritate orationis ipsius, annalium, quin etiam Ciceronis libri 'de optimo genere oratorum'[2]) nititur, tamen 'actorum' nullam fieri mentionem certe perquam mirum est, praesertim cum 'acta' omnibus reliquis fontibus frequentius nominet. Quocirca de 'nova forma iudicii', de exercitu in foro et in omnibus templis, quae circum forum erant, collocato, de praesidiis circa omnes fori aditus dispositis (Asc. p. 26, 3. 4; 36, 1—3) re vera in 'actis' nihil scriptum fuisse pro certo habeo.

Quibus de rebus ut 'acta' silerent, verisimillime Pompei opera et auctoritate factum est, quippe cuius interesset, ne id, quod parum legitime instituisset, in 'actis' legeretur neve posterorum memoriae traderetur.

Sed de caede ipsa et de iis, quae eam sequebantur, rebus 'acta' uberrime rettulisse consentaneum est. Milonem a. d. XIII. Kal. Febr. Lanuvium profectum 'actis' tradi scholiasta ipse (p. 27, 12) testatur; utrum autem causa profectionis Milonianae (p. 27, 16) ibidem scripta an auctoritate ac voluntate Pompei, qui necem Clodii consulto a Milone factam accipi voluisset, omissa fuerit, in dubio relinquam[3]).

Contra in hora, qua Clodius Miloni occurrebat, indicanda — 'circa horam nonam' scribit — quin Asconius (p. 27, 17) 'acta' consuluerit, cum a Cicerone (pro Mil. 10, 29) 'horam fere undecimam' nominante discrepet, eo minus dubium esse potest, quod de hac potissimum re in iudicio plurima verba esse facta consentaneum est. In sequentibus 'acta' eo indicari arbitror, quod Cicerone et annalibus,

[1]) cf. Cic. pro Mil. 10, 27.

[2]) Cic. de opt. gen. orat. 4, 10.

[3]) Certe quidem hanc rem Asconius in oratione ipsa (10, 27; 17, 45. 46) invenit.

quantum quidem videmus, tacentibus Asconius summatim quidem Clodii numerum servorum exhibet (p. 27, 19—24) atque Milonis comitatum prorsus aliter ac Cicero in oratione (10, 28; 21, 55) describit, praeterea autem non modo Milonis aut Clodii amicorum, qui in comitatu erant, sed etiam singulorum gladiatorum nomina accuratissime recenset (p. 27, 21—28, 4; 28, 10. 11), quos omnes viros annalibus traditos fuisse vix licet conicere.

Quod autem ad ea pertinet, quae Asconius (p. 28, 1—29, 11. 17—20) praebet, cum haud pauca in oratione[1]) ipsa legamus, plurima, ut Plutarchus, Appianus, Dio docuerunt, annalibus, nonnulla, velut quae apud Asconium p. 28, 7—10 exstant, adeo his solis tradita esse constet, quid ex 'actis' solis sumptum sit, certis quidem finibus terminare nequimus; 'acta' tamen de his quoque rebus ab Asconio, qui 'acta totius illius temporis' se persecutum esse profiteatur (p. 39, 3. 4), esse accita pro explorato habendum est.

Deinde haec (Asc. p. 29, 27—30, 12) ad 'acta' respicere iudico: 'Postulaverunt apud eum (scil. Pompeium) familiam Milonis, item Faustae uxoris eius exhibendam duo adulescentuli, qui Appii Claudii ambo appellabantur; qui ⟨*filii*⟩ erant C. Claudi, qui frater fuerat Clodi, et ob id patrui sui mortem velut auctore patre persequebantur. Easdem Faustae et Milonis familias postulaverunt duo Valerii, Nepos et Leo, et L. Herennius Balbus. P. Clodi quoque familiam et comitum eius postulavit eodem tempore Caelius;

[1]) Quod Asconius (p. 28, 20—23) scribit uno die post, quam Clodius occisus erat, complures notos homines elisos esse, inter quos C. Vibienum senatorem, hoc cum iis pugnat, quae legimus apud Ciceronem (pro Mil. 14, 37) illum senatorem vitam amisisse, cum Q. Hortensius in Clodium adesset Ciceroni. Quod quomodo explicandum sit, hominum doctorum dissident sententiae. Ego neque editoribus Halmio Richterove (adnot. ad Cic. l. c.) illo loco Ciceronem aut consulto aut invitum errasse putantibus assentior, cum et hoc Ciceronis mendacium statim cognitum Miloni magis obfuturum fuerit quam profuturum, et ea quoque, quam scholiasta tuetur, narratione orator ad clientem suum commendandum, Clodii partes criminandas facillime uti potuerit, neque Rinkesium (Mnemos. X p. 216 sq.), qui voce 'elisi' mutata in 'visi' verba 'inter quos . . . senator' ut interpolata proscribit, probo, quod sive 'elisi' sive 'visi' legimus, nomen aliquod illorum notorum hominum desideratur, ita ut iis, quae Rinkes vult, verbis deletis ea, quae antecedunt, supervacanea videantur. Equidem hanc Ciceronis et Asconii discrepantiam codicum lectione non sollicitata sic expediverim, ut commentatorem, cum in 'actis' illo die turbulentissimo complures homines esse elisos et simillimum in modum Vibienum periisse in oratione legisset, has duas res inter se diversas confundentem errasse coniciam.

familiam Hypsaei et Q. Pompeii postulavit . . . . . Adfuerunt Miloni Q. Hortensius, M. Cicero, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cato, Faustus Sylla. Verba pauca Q. Hortensius ⟨*fecit*⟩ dixitque liberos esse eos, qui pro servis postularentur; nam post recentem caedem manu miserat[1]) eos Milo sub hoc titulo, quod caput suum ulti essent. Haec agebantur mense intercalari.'

Porro Asconius (p. 31, 17—27; 33, 22—25) 'actis' edoctus dixisse videtur senatus consulto Pompeium ab interrege Servio Sulpicio V. Kal. Mart. mense intercalario consulem creatum esse statimque consulatum iniisse, deinde post diem tertium duas leges ex S. C. promulgasse, alteram de vi, alteram de ambitu. Quodsi negaverit quispiam scholiastam de his rebus 'acta' adiisse, cum (ut Dio XL 50 sqq. et Plutarchus vit. Pomp. c. 54; vit. Caton. min. c. 47 ostendunt) annales illa S. C. satis fuse enarraverint, tamen 'acta' quoque a Ciceronis interprete esse adhibita propterea teneo, quod bis, quo die singula facta sint, accuratissime traditur.

Contra, quae commentator (p. 32, 12—27) exhibet: '⟨*T.*⟩ Munatius Plancus tr. pl. produxerat in contionem M. Aemilium Philemonem, notum hominem, libertum M. Lepidi, ⟨*qui*⟩ se dicebat pariterque secum quattuor liberos homines iter facientes supervenisse, cum Clodius occideretur, et ob id cum proclamassent, abreptos et per duos menses in villa Milonis praeclusos fuisse; eaque res seu vera seu falsa magnam invidiam Miloni contraxerat. Itemque Munatius et Pompeius tribuni plebis in rostra produxerant triumvirum capitalem eumque interrogaverant, an Galatam Milonis servum caedes facientem deprehendisset. Ille dormientem in taberna pro fugitivo prehensum et ad se perductum esse responderat. Denuntiaverunt tamen triumviro, ne servum remitteret: sed postera die Caelius tr. pl. et ⟨*Q.*⟩ Manilius Cumanus collega eius ereptum e domo triumviri servum Miloni reddiderant', utrum ex 'actis' petita sint an, cum Philemonis testimonium reo magnam contraxisse invidiam atque in universum de his rebus se 'ita comperisse' scholiasta (p. 32, 27. 28) scribat, aliunde fluxerint, disceptari non potest, quamquam concedendum est inter omnes, de quibus hic cogitari potest, fontes nullius plura quam 'actorum' vestigia occurrere. Mihi quidem res ita expediri posse videtur, ut

[1]) Milonem post caedem servos manu misisse, quod caput suum ulti essent, significatum videmus etiam apud oratorem (pro Mil. 21, 57—22, 58). Praeterea cf. Asc. p. 34, 15—18; 31, 2. 3.

Asconius hoc quoque loco, quae in annalibus adumbrata invenerat, ex 'actis' suppleverit. Quodsi quis statuere maluerit commentatorem orationes illorum virorum ipsas exscripsisse, id ideo mihi minus placet, quod has omnes orationes editas esse neque usquam traditur neque per se probabile est.

Praeterea Q. Pompeium Rufum et C. Sallustium Crispum et T. Munatium Plancum[1]) tr. pl. inimicissimas in Milonem et Ciceronem habuisse contiones in 'actis' legisse scholiastam (p. 33, 1—4; 37, 5—7. 12—17; 44, 7—10; 45, 12—19; 46, 14—17) iis confirmatur, quae Asconius p. 43, 16—22 et p. 39, 7—16 praebet.

Quod autem (p. 34, 2—6) Milonem nova lege postulatum esse a duobus Appiis Claudiis adulescentibus isdem, a quibus antea familia eius fuisset postulata, itemque de ambitu ab isdem Appiis et praeterea de vi a Q. Patulcio et L. Cornificio, de sodaliciis etiam a P. Fulvio Nerato, quamquam accusationes ipsas alibi quoque commemoratas esse et ex Asconii[2]) et ex Dionis XL 53, 2 verbis[3]) recte concludi potest, tamen nomina, quae multa affert, aliunde atque ex 'actis' transscribere vix potuit.

Denique in argumento eodem iure plurima eaque gravissima eorum, quae Asconius p. 34, 10—35, 5; 35, 15—27; 36, 4—8 narrat, 'actis' tribuenda esse, quamvis nonnulla ex his rebus alibi[4]) quoque legerit, color totius narrationis apertissime indicat. Asconiana enim haec sunt (p. 34, 10—35, 5): 'Divinatio de ambitu accusatorum facta est quaesitore A. Torquato, atque ambo quaesitores, Torquatus et Domitius, prid. Non. April. reum adesse iusserunt. Quo die Milo ad Domiti tribunal venit, ad Torquati amicos misit; ibi postulante pro eo M. Marcello obtinuit, ne prius causam de ambitu diceret, quam de vi iudicium esset perfectum. Apud Domitium autem quaesitorem maior Appius postulavit a Milone servos exhiberi numero IV et L, et cum ille negaret eos qui nominabantur in sua potestate esse, Domitius ex sententia iudicum pronuntiavit, ut ex servorum suorum numero accusator quot vellet ederet. Citati deinde testes secundum legem

[1]) Practerea cf. Schol. Bob. p. 280, 1—8.

[2]) Asc. p. 34, 6—9: 'Postulatus autem erat et de sodaliciis et de ambitu ea spe, ⟨*quod*⟩ primum iudicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatum iri confidebant nec postea responsurum.'

[3]) Quod Dio l. c. *ὁ Μίλων ἐπὶ μὲν τούτῳ* (scil. de ambitu) *οὐκ ἐσήχθη, τὸ γὰρ τοῦ φόνου ἔγκλημα μεῖζον εἶχεν* scribit, ea, quae apud auctorem, quo utebatur, legerat, non recte reddidit; cf. Asc. p. 34, 10—15; 48, 4—11.

[4]) cf. Cic. pro Mil. 17, 46; 22, 58. 59; Dionem XL 52, 2.

quae, ut supra [1]) diximus, iubebat, ut prius quam causa ageretur testes per triduum audirentur, dicta eorum iudices confirmarent, quarta die adesse omnes in diem posterum iuberentur ac coram accusatore ac reo pilae, in quibus nomina iudicum inscripta essent, aequarentur; dein rursus postera die sortitio iudicum fieret unius et LXXX: qui numerus cum sorte contigisset, ei protinus sessum irent; tum ad dicendum accusator duas horas, reus tres haberet, resque eodem die illo iudicaretur; prius autem quam sententiae ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus reiceret, ita ut numerus iudicum relinqueretur qui sententias ferrent quinquaginta et unus. Primo die datus erat in Milonem testis 〈*C.*〉 Causinius Schola, qui se cum P. Clodio fuisse, cum is occisus esset, dixit, atrocitatemque rei factae quam maxime potuit auxit.'

Praeterea est in argumento (p. 30, 14—31, 5) oratio, quam tricesimo fere die post Clodium occisum in senatu habuit Q. Metellus Scipio, reddita his verbis: 'falsum esse dixit (scil. Scipio), quod Milo sic se defenderet * * * et [2]); Clodium Aricinos decuriones alloquendi gratia abisse, profectum cum sex ac XX servis; Milonem subito post horam quartam, senatu misso, cum servis amplius CCC armatis obviam ei contendisse et supra Bovillas inopinantem 〈*in*〉 itinere aggressum; ibi P. Clodium tribus vulneribus acceptis Bovillas perlatum; tabernam in quam perfugerat expugnatam a Milone; semianimem Clodium extractum . . . . . in via Appia occisum esse anulumque eius ei morienti extractum; deinde Milonem, cum sciret in Albano parvolum filium Clodi, venisse ad villam, et cum puer ante subtractus esset, ex servo Halicore quaestionem ita habuisse, ut eum articulatim consecarent; vilicum et duos praeterea servos iugulasse; ex servis Clodi, qui dominum defenderant, undecim esse interfectos, Milonis duos solos saucios factos esse: ob quae Milonem postero die XII servos, qui maxime operam navassent, manu misisse populoque tributim singula milia aeris ad defendendos de se rumores dedisse' [3]). Haec oratio res singulas accuratissime describens prima specie 'senatus actis' reddenda videtur; sed cum Asconium ea non exscripsisse viderimus (p. 58 sq.), sic ad 'acta populi' eam redire suspicor, ut aut ex 'senatus

[1]) cf. Asc. p. 31, 20—27; Dionem l. c.

[2]) C. Halm post 'defenderet' haec fere verba 'ut insidias sibi factas esse diceret' intercidisse iure opinatur.

[3]) Praeterea cf. Asc. p. 29, 16. 17.

actis' in 'diurna' recepta aut in actione quoque ipsa commemorata fuerit, velut (Asc. p. 39, 7 sqq.) 'actis' testibus T. Munatius Kal. Mart. in contione ea exposuit, quae pridie in senatu acta erant.

In ipsa Milonianae enarratione ex 'actis' scholiasta (p. 37, 25. 26) comperisse videtur post biduum medium, quam Clodius occisus esset, interregem primum proditum esse M. Aemilium Lepidum. Quod autem Asconius sequentibus verbis [1]) (p. 37, 28—38, 10) de domo interregis frustra oppugnata [2]) narrat, quamquam iam inde, quod oppugnationem aedium illarum contra rem publicam factam esse senatum decrevisse Asconio ipso teste (p. 39, 3—7) 'acta' praebebant [3]), hanc rem ipsam fusius in 'actis' fuisse relatam conicere possumus, tamen, cum in commentatoris verbis insint, quae ab 'actorum' narrandi ratione sunt aliena, ut graviora solum moneam, 'recentem invidiam Milonis fuisse' et Corneliae, Lepidi uxoris, 'castitatem pro exemplo esse habitam' (Asc. p. 37, 28. 29; 38, 5. 6), hoc loco de alio praeterea fonte cogitandum est [4]).

Similiter, si, quae interpres p. 41, 7—11 praebet 'Pisone et Gabinio coss. pulso Cicerone in exilium, cum III. Idus Sextiles Pompeius in senatum venit, dicitur servo P. Clodi sica excidisse, eaque ad Gabinium consulem delata dictum est servo imperatum a P. Clodio, ut Pompeius occideretur. Pompeius statim domum rediit' cum Ciceronis [5]) (pro Mil. 7, 18. 19; de har. resp. 23, 49; pro Sest. 32, 69; in Pis. 12, 28) narratione comparamus, quoniam Asconius certum diem, quo illud factum sit, nominat atque etiam plura quam Cicero praebet, de his quoque rebus 'acta', praesertim cum paulo infra (p. 41, 13) expresse laudentur, adhibita esse probabile est. At ex illo die Pompeium domi se tenuisse (p. 41, 11. 12) vix in 'actis' scriptum fuerit [6]).

Postremo quin omnia, quae legimus apud Asconium p. 45, 6—46, 2; 47, 16—23; 48, 3 usque ad finem huius commentarii ab 'actis' fere solis originem duxerint, universa narrationis indole examinata non dubitamus. Verba haec sunt:

[1]) Praeterea cf. Asc. p. 29, 6—8.

[2]) Etiam scholiasta Bobiensis haec narrat p. 281, 9—14.

[3]) Cicero haec tangit pro Mil. 5, 13.

[4]) Quae scholiasta Bobiensis p. 280, 33—281, 14 exhibet, ex Asconio ipso fluxisse videntur: cf. Kiessling-Schoell praef. p. XX n. 1.

[5]) Praeterea cf. Plut. vit. Pomp. c. 49.

[6]) cf. Cic. pro Mil. 7, 18. 19; pro Sest. 32, 69; 39, 84; Plut. l. c.; Schol. Bob. p. 344, 21—26.

1) Asc. p. 45, 6 sqq.: 'dixerat (scil. Q. Pompeius Rufus tr. pl.) in contione paucis post diebus quam Clodius erat occisus: Milo dedit quem in curia cremaretis: dabit, quem in Capitolio sepeliatis. In eadem contione idem dixerat — habuit enim eam a. d. VIII. Kal. Febr. — cum Milo pridie, id est IX. Kal. Febr., venire ad Pompeium in hortis eius voluisset, Pompeium ei per hominem propinquum misisse nuntium, ne ad se veniret. Prius etiam quam Pompeius III. consul crearetur, tres tribuni, Q. Pompeius Rufus, C. Sallustius Crispus, T. Munatius Plancus, cum quotidianis contionibus suis magnam invidiam Miloni propter occisum Clodium excitarent, produxerant ad populum Cn. Pompeium et ab eo quaesierant, num ad eum delatum esset illius quoque ⟨*rei*⟩ indicium, suae vitae insidiari Milonem. Responderat Pompeius: Licinium quendam de plebe sacrificulum, qui solitus esset familias purgare, ad se detulisse servos quosdam Milonis itemque libertos[1]) comparatos esse ad caedem suam, nomina quoque servorum edidisse; ⟨*se*⟩ ad Milonem misisse, ut eos in potestate sua haberet; a Milone responsum esse, ex iis servis quos nominasset partim neminem se unquam habuisse, partim manumisisse; dein, cum Licinium apud se haberet, ... Lucium quendam de plebe ad corrumpendum indicem venisse; qua re cognita in vincla eum publica esse coniectum. Decreverat enim senatus, ut cum interrege et tribunis plebis Pompeius daret operam, ne quid res publica detrimenti caperet.'

2) Asc. p. 47, 16 sqq.: 'Peracta utrimque causa singuli quinos accusator et reus senatores, totidem equites ⟨*et*⟩ tribunos aerarios reiecerunt, ita ut unus et L sententias tulerint. Senatores condemnaverunt XII, absolverunt VI; equites condemnaverunt XIII, absolverunt IV; tribuni aerarii condemnaverunt XIII, absolverunt III. Videbantur non ignorasse iudices inscio Milone initio vulneratum esse Clodium, sed compererant post quam vulneratus esset iussu Milonis occisum'.

3) Asc. p. 48, 3 sqq.: 'Damnatum autem (scil. Milonem) opera maxime Appi *Claudi* pronuntiatum est. Milo postero die *nova lege* factus reus ambitus[2]) apud Manlium Torquatum absens damnatus est. Illa quoque lege accusator fuit eius Appius Claudius, et cum ei praemium lege daretur, negavit se eo uti. Subscripserunt

[1]) Servos tantum nominat Cicero pro Mil. 24, 65.

[2]) Praeterea cf. Asc. p. 34 4—9; Dionem XL 53, 2.

ei ⟨*in*⟩ ambitus iudicio P. Valerius Leo et Cn. Domitius Cn. f. Post paucos dies quoque Milo apud M. Favonium quaesitorem de sodaliciis damnatus est accusante P. Fulvio Nerato, cui e lege praemium datum est. Deinde apud L. Fabium quaesitorem iterum absens damnatus est de vi: accusavit L. Cornificius et Q. Patulcius. Milo in exilium Massiliam intra paucissimos dies profectus est. Bona eius propter aeris alieni magnitudinem semuncia venierunt.

Post Milonem eadem lege Pompeia primus est accusatus M. Saufeius M. f., qui dux fuerat in expugnanda taberna Bovillis et Clodio occidendo[1]). Accusaverunt eum L. Cassius, L. Fulcinius C. f., C. Valerius; defenderunt M. Cicero, M. Caelius, obtinueruntque ut una sententia absolveretur. Condemnaverunt senatores X, absolverunt VIII; condemnaverunt equites Romani IX, absolverunt VIII; sed ex tribunis aerariis X absolverunt, VI damnaverunt: (manifestumque odium Clodi saluti Saufeio fuit, cum eius vel peior causa quam Milonis fuisset, quod aperte dux fuerat expugnandae tabernae). Repetitus deinde post paucos dies apud C. Consilium[2]) quaesitorem est lege Plautia de vi, subscriptione ea quod loca *publica* occupasset et cum telo fuisset; nam *dux fuerat* operarum Milonis. Accusaverunt C. Fidius, Cn. Aponius Cn. f., M. Seius ..... Sex. ⟨*f.*⟩; defenderunt M. Cicero, M. Terentius Varro Gibba. Absolutus *est sententiis* plenius quam prius: graves habuit XIX, absolutorias duas et XXX; sed e contrario hoc ac priore iudicio accidit: equites enim ac senatores eum absolverunt, tribuni aerarii damnaverunt.

Sex. autem Clodius, quo auctore corpus Clodi in curiam illatum fuit[3]), accusantibus C. Caesennio Philone, M. Alfidio, defendente T. Flacconio, magno consensu damnatus est, sententiis sex et XL; absolutorias quinque omnino habuit, duas senatorum, tres equitum.

Multi praeterea et praesentes et cum citati non respondissent damnati sunt[4]): ex quibus maxima pars fuit Clodianorum.'[5])

Caput VI. De reliquis fontibus.

Praeterea Asconius consuluit Tironis 'vitam Ciceronis', cuius librum IV se inspexisse profitetur p. 43, 10. 11. Quo Cice-

[1]) cf. Asc. p. 28, 6—11.

[2]) cf. Kiessling-Schoell praef. p. XLII.

[3]) cf. Asc. p. 7, 2—5; 29, 2. 3.

[4]) cf. Dionem XL 55, 1.

[5]) 'Actorum' vestigia fortasse agnoscas etiam in iis, quae leguntur apud Asc. p. 42, 20—27 et apud Schol. Bob. p. 330, 20—23; 336, 26—337, 2.

ronis liberti testimonio quod Kiesslingius Schoelliusque scholiastam ita usum esse scribunt[1]), ut illius auctoritati non nimium tribuisse videatur, vereor ut recte iudicaverint, cum in ipsis Asconii verbis nullam huius suspicionis ansam animadverterim.

Porro duo loci, quamquam ad Tironis fidem a commentatore non diserte revocantur, tamen ex illius 'vita Ciceronis' petiti videntur. Tradit enim Asconius p. 4, 20—22 'Ciceronem filiam post mortem Pisonis generi P. Lentulo collocavisse, apud quem illa ex partu decesserit' isdem fere verbis quibus Plutarchus in Ciceronis vit. cap. 41: *γήμαντι δ' αὐτῷ* (scil. Ciceroni) *μετ' οὐ πολὺν χρόνον ἡ θυγάτηρ ἀπέθανε τίκτουσα παρὰ Λέντλῳ, τούτῳ γὰρ ἐγαμήθη μετὰ τὴν Πείσωνος τοῦ προτέρου ἀνδρὸς τελευτήν*, ubi Tironianam Ciceronis vitam pro fonte habendam esse paene certum est, quippe quam Plutarchum in hoc libello praeter Ciceronis librum *περὶ ὑπατείας* maxime exscripsisse probabile sit[2]). Nam etsi paulo supra (p. 4, 20) Fenestellam laudat scholiasta, tamen hoc loco, praesertim cum non raro vel paucos versus ex compluribus fontibus congessisse videatur, eundem ab eo arcessitum esse minime necesse est[3]). Altero loco (p. 14, 1—8) traduntur haec: 'Fuit .... Pupius Piso eisdem temporibus quibus Cicero, sed tanto aetate maior, ut adulescentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quod in eo et antiquae vitae similitudo et multae erant litterae: orator quoque melior quam frequentior habitus est[4]). Biennio tamen serius quam Cicero consul fuit; triumphavit procos. de Hispania, Q. Hortensio Q. Metello Cretico coss., * *[5]) ante Ciceronis consulatum.' Quamquam enim Cicero ipse (Brut. 68, 240; 90, 310) se cum M. Pupio Pisone cum amicitia tum studiis exercitationibusque coniunctum fuisse scribit, tamen Asconius, cum plura praebeat, alium quoque fontem de his rebus inspexerit oportet; hanc autem narrationem ex Ciceronis vita Tironiana originem ducere, si res ipsas contemplamur, verisimile est.

[1]) Praef. p. XIII.

[2]) cf. H. Peter, die Quellen Plutarchs p. 129 sqq.

[3]) Quod nonnulli putarunt ea, quae Asconius et Plutarchus de P. Lentulo, Ciceronis genero, tradunt, cum Cicero ipse (ad Quint. fr. II 4; II 5; ad fam. I 7, 11) Crassipedem quendam ut sponsum filiae suae commemoret, a veritate abhorrere, tamen quoniam de illis nuptiis ipsis nihil usquam legitur, desponsam modo Tulliam ante Ciceronis in Ciliciam profectionem, numquam collocatam fuisse Crassipedi statuendum est: cf. Madvig l. c. p. 68.

[4]) Ea, quae interpres de Pisonis doctrina et fama oratoria scribit, cum Ciceronis iudicio consentire supra (p. 18) demonstravimus.

[5]) Post vocem 'coss.' verba 'annis VI' inserenda esse opinor.

T. Pomponii Attici annalem, quamquam bis (p. 12, 10. 11; 68, 17) tantum a scholiasta commemoratur, tamen saepius ab eo adhibitum esse ex ratione, qua laudatur, concludere licet. Asconius p. 68, 15 sqq. Tuditano, Attico, Livio auctoribus primum duos solos tribunos plebis esse creatos, Livio tamen et Tuditano testibus tres praeterea ab illis duobus sibi collegas cooptatos esse narrat atque illos duos, qui primi creati essent, L. Sicinium L. f. Velutum, L. Albinium C. f. Paterculum fuisse. Haec nomina non ex Livio, quippe qui II 33 'C. Licinium' et 'L. Albinum' commemoret, 'Sicinium' autem cooptatum esse narret, sumpsit Asconius, sed ex Attico aut Tuditano, qui hoc uno loco citatur[1]).

Aut isdem scriptoribus aut alteri utri debere videtur Asconius, quod pontificem maximum, per quem decem tribuni plebis creati essent, M. Papirium fuisse (Asc. p. 69, 7. 8) tradit, siquidem Livius nullam huius mentionem fecit; sed nomina trium consularium legatorum ad plebem placandam missorum (Asc. p. 69, 6. 7), quippe quae etiam a Livio III 50, 15 commemorata sint, fortasse apud omnes tres scriptores tradita repperit.

M. Terentium Varronem, cuius librum III de vita populi Romani laudat Asconius p. 12, 12, et ipse adiit et apud Iulium Hyginum in libro priore de viris claris exscriptum legit (p. 12, 4—7).

De M. Aemilio Scauro, qui pater illius erat, quem Cicero defendit, Asconius haec narrat (p. 18, 20—19, 5): 'Cn. Domitius, qui consul fuit cum ⟨*C.*⟩ Cassio, cum esset tribunus plebis, iratus Scauro, quod eum in augurum[2]) collegium non cooptaverat, diem ei dixit apud populum et multam irrogavit, quod eius opera sacra multa populi Romani deminuta esse diceret. Crimini dabat sacra publica populi Romani deum penatium, quae Lavini fierent, opera eius minus recte casteque fieri. Quo crimine absolutus est Scaurus quidem, sed ita, ut a tribus tribubus damnaretur, a XXXII

[1]) De primis tribunis plebis cf. Mommsen, Roem. Staatsrecht II[3] p. 274 sqq.; Becker, Handbuch der roem. Alterthuemer II 2 p. 250 sqq.

[2]) Ab Asconio discrepat Suetonius, qui (vit. Neron. c. 2) Cn. Domitium in tribunatu, pontificibus offensiorem, quod alium atque se in patris sui locum cooptassent, ius sacerdotum subrogandorum a collegiis ad populum transtulisse memoriae prodit: cf. Drumann III p. 15 n. 99; C. Bardt l. c. p. 22.

absolveretur, et in his pauca puncta inter damnationem et absolutionem interessent'.

Asc. p. 19, 11—17: 'Q. Servilius Caepio Scaurum ob legationis Asiaticae invidiam adversus leges pecuniarum captarum reum fecit repetundarum lege quam tulit Servilius Glaucia. Scaurus tanta fuit continentia animi et magnitudine, ut Caepionem contra reum detulerit et breviore die inquisitionis accepta effecerit, ut ille prior causam diceret; M. quoque Drusum tribunum plebis cohortatus sit, ut iudicia commutaret.'

Asc. p. 19, 22—20, 9: 'Italico bello exorto, cum ob sociis negatam civitatem nobilitas in invidia esset . . . . . Q. Caepio vetus inimicus Scauri sperans se invenisse sequestrem opprimendi eius egit, ut Q. Varius tr. pl. belli concitati crimine adesse apud se Scaurum iuberet annorum LXXII. Ille per viatorem accersitus, cum iam ex morbo male solveretur, dissuadentibus amicis, ne se in illa valetudine et aetate invidiae populi obiceret, innixus nobilissimis iuvenibus processit in forum, deinde accepto respondendi loco dixit: „Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus socios in arma ait convocasse; M. Scaurus princeps senatus negat; testis nemo est: utri vos, Quirites, convenit credere?" Qua voce ita omnium commutavit animos, ut ab ipso etiam tribuno dimitteretur.'

Asc. p. 20, 18—23: 'Scaurus ita fuit patricius, ut tribus supra eum aetatibus iacuerit domus eius fortuna. Nam neque pater neque avus neque etiam proavus (ut puto, propter tenues opes et nullam vitae industriam) honores adepti sunt; itaque Scauro aeque ac novo homini laborandum fuit.'

Asc. p. 24, 11—13: 'Paternus avus proavusque Scauri . . . . . humiles atque obscuri fuerunt.'

Videmus igitur orationem ita compositam, ut omnia ad Scauri laudem spectent. Nam hunc a Cn. Domitio et a Q. Caepione propterea tantum in crimen vocatum esse legimus, quod illi inimicitia, ira, odio incensi Scaurum se ita facile oppressuros esse sperabant. Deinde eius continentia animi et magnitudo, industria et contentio honorum nimiis laudibus tolluntur, denique quanta apud suos floruerit auctoritate praedicatur atque ad verbum praeclara illa defensio redditur, quam apud Q. Varium auctore Q. Caepione accusatus habuit. Propter hunc ipsum narrationis colorem Asconius ab ea mihi

pendere videtur 'vita', quam ille Scaurus de se ipse composuit[1]), cui sententiae haud mediocriter ea res patrocinatur, quod idem Scaurus a Sallustio (bell. Iug. 15, 3; 28—30; 40, 4. 5) et Plinio (h. n. XXXVI 113) tamquam vir maxime improbus describitur.

Neque alia nos deficiunt argumenta. Etenim ad ea, quae scholiasta de paupertate et ignobilitate Scauri patris et avi et proavi scribit, optime quadrat, quod Valerius Maximus IV 4, 11 Scaurum in 'vita' sua de patris egestate verba fecisse testatur. Quocum consonat Aurelius Victor q. f. (de vir. ill. 72): 'Marcus Aemilius Scaurus (scil. rei pater) nobilis, pauper; nam pater eius, quamvis patricius, ob paupertatem carbonarium negotium exercuit', idemque scriptor (l. c.) illam defensionem[2]) simillime atque Asconius (Asc. p. 20, 5—8) sic exhibet: 'Varius Sucronensis Aemilium Scaurum ait socios ad arma coegisse, Scaurus negat; utri potius credendum putatis?'

Hunc quoque scriptorem de Scauro ipsius 'vitam' sane alio intercedente auctore compilasse W. S. Teuffelius[3]) suspicatus est.

Asconium tamen sua non ex illa 'vita' ipsa, sed alio auctore interposito sumpsisse inde concludo, quod Scaurum vix effugisse damnationem in illa 'vita' certe non legebatur.

Itaque nunc quaestio est, quem scriptorem scholiasta ducem secutus sit. Sallustium respiciendum non esse iam supra diximus neque magis de Livio cogitandum esse crediderim. Valerius Maximus quidem, si non ipse 'vitam' inspexit, id quod

---

[1]) cf. Cic. Brut. 29, 112; Hermannum Peter, veterum historicorum Rom. reliquiae I p. CCLIX; historic. Rom. fragm. p. 118—120.

[2]) Valerius Maximus III 7, 8 Scaurum sic causam dicentem facit: '...Varius Severus Sucronensis Aemilium Scaurum, regia mercede corruptum, imperium populi Romani prodidisse ait. Aemilius Scaurus huic se affinem esse culpae negat: utri creditis?' Nimirum Valerius, cum Scaurus praeterea ab eodem Q. Caepione postulatus esset, quod in Asiatica legatione pecuniam accepisset, his duobus iudiciis confusis Scaurum illa verba repetundarum reum edidisse refert: cf. Kempf ad Val. Max. l. c. Etiam Quintilianus V 12, 10 illam defensionem ('Q. Varius Sucronensis ait Aemilium Scaurum rem publicam populi Romani prodidisse, Aemilius Scaurus negat'), sed brevissime atque ita conceptam tradit, ut 'rhetore dignior sit quam principe senatus populi Romani': cf. Spalding ad Quint. l. c. Idem etiam in Valerii relationem cadere mihi videtur; nam ut Quintilianus, ita ille quoque defensionis verba ex fonte rhetorico videtur hausisse, nisi forte Valerius haec ab eodem, a quo Scauri 'vitae' mentio fit, auctore mutuatus rhetorum more transformavit.

[3]) Pauly Real-Encyclop. I p. 372.

a Kempfio (praef. p. 19) iure negatur, Livium certe non usurpavit, quod hunc annales tam diligenter aut accurate conscripsisse, ut etiam singulorum 'vitas' pervolveret — nedum illam vitam laudaret —, veri est dissimillimum.

Omnino autem, cum ab Asconio, Valerio Maximo, Aurelio Victore res minutissimas levissimasque de Scauro traditas videamus, has ex Livio aut ex alio eiusdem generis historico accitas esse negandum est, quippe qui, etiamsi per alium scriptorem illam 'vitam' adhibuissent, in historia tot saeculorum enarranda res unius viri tam copiose ac fuse persequi non possent.

Aurelius vero ipse praeter alias causas[1]) ideo 'vitam' exscripsisse non putandus est, quod Scaurum 'Iugurthae pecunia victum esse' tradit.

Quam ob rem illorum scriptorum is fuit auctor qui non integram memoriam populi Romani tractaret, sed singulorum tantum virorum excellentium vitas componeret. Quorum in numero, quoniam Varro, Santra, Nepos, Hyginus soli sunt respiciendi[2]), de Hygino potissimum cogitandum esse conicio, cuius librum 'de viris claris' ab Asconio compilatum esse certum est. Quae opinatio ad verum eo propius accedere videtur, quod ab Aurelio praecipue Hyginum ipsum vel potius eum auctorem adhibitum esse, qui illius libros retractavit, egregie, ut arbitror, Hildesheimerus (l. c. p. 23—25) demonstravit atque ipsum Valerium Maximum praeter alia etiam Hygini opera excerpsisse pro explorato habendum est[3]).

Nec non Valerii Antiatis vestigia inveniuntur, cuius annales Asconius bis (p. 12, 1; 61, 22) citat.

Quorum locorum alterum, quoniam plenius de eo disputandum est, ne quid obscuri relinquatur, totum exscribam. Asconius (p. 12, 1—4) haec praebet: '〈M.〉 Valerio Maximo, ut Antias tradidit, inter alios honores domus quoque publice aedificata est in Palatio,

[1]) cf. H. Hildesheimer, de libro, qui inscribitur de viris illustr. urbis Romae, quaestiones histor. (Berolini 1880) p. 12 sqq.

[2]) Hos et Suetonium apud Romanos de viris illustribus scripsisse tradit Hieronymus (proleg. ad Dextrum in libr. de vir. ill. t. II. p. 821 ed. Vall. = Sueton. reliqu. ed. Reiffersch. p. 3); cf. Hildesheimer l. c. p. 23.

[3]) cf. Kempf praef. p. 21.

cuius exitus, quo magis insignis esset, in publicum versus declinaretur, hoc est, extra privatum aperiretur.'

Tum scholiasta (p. 12, 4—11) sic pergit: 'Varronem[1]) autem tradere M. Valerio, quia Sabinos vicerat, aedes in Palatio tributas, Iulius Hyginus dicit in libro priore de viris claris, 〈*et*〉 P. Valerio Volesi filio Publicolae aedium pub*lice*[2]) *lo*cum sub Veliis, ubi nunc aedis Victoriae est, populum ex lege quam ipse tulerat concessisse. Tradunt et Antiochi regis filio obsidi domum publice aedificatam, inter quos Atticus in annali.'

H. Peterus[3]) verba Asconii: 'P. Valerio Volesi filio — concessisse', cum ea dependentia faceret a sequente voce 'tradunt' et conferret cum Plutarcho (vit. Publ. c. 10) tradente: *ἐδέχοντο γὰρ οἱ φίλοι τὸν Οὐαλέριον, ἄχρι οὗ τόπον ἔδωκεν ὁ δῆμος αὐτῷ καὶ κατεσκεύασεν οἰκίαν ἐκείνης μετριωτέραν ὅπου νῦν ἱερόν ἐστιν Οὐίκας πότας ὀνομαζόμενον* — quam Plutarchi narratiunculam ex Antiate manasse opinatur —, ad eundem scriptorem referenda esse iniuria contendit.

Nam primum errat cum Orellio (ad Cic. l. c.) illa verba ad vocem 'tradunt' pertinere putans, cum hac lectione recepta et comparatio M. et P. Valeriorum tollatur et P. Valerius inepte cum Antiochi regis filio conferatur. Deinde quae commentator de P. Valerio exhibet, ea omnino non congruunt cum Plutarchi memoria, siquidem hic P. Valerio et aedium locum a populo datum et domum ipsam esse aedificatam, ille locum tantum aedium publice Valerio tributum esse tradit.

Itaque rectius totam enuntiationem ('P. Valerio — concessisse') non ad 'tradunt', sed ad 'Varronem tradere Hyginus dicit' spectare iam Rinkesius intellexit, neque tamen particulam 'et' ante verba 'P. Valerio' iure inseruisse mihi videtur, cum asyndeton nihil duri aut molesti habeat.

Quod scholiasta Antiate auctore de M. Valerio narrat, isdem fere verbis descriptum[4]) apud Plutarchum (vit. Publ. c. 20) et apud Dionysium Halicarnasseum V 39 recurrit, ut Dionysius quoque An-

[1]) Praeterea Asconius (p. 12, 11—15) compilavit Varronis librum III 'de vita populi Romani'.

[2]) Sic restituit Rinkes Mnemos. X p. 202. Cod. S: 'repul . . . cum'; codd. M et P: 'repul . . . . . cum'.

[3]) Die Quellen Plutarchs p. 46.

[4]) cf. H. Peter l. c.

tiatem[1]) secutus esse videatur. Utrum autem ea, quae Plutarchus vit. Publ. c. 10 de P. Valerio[2]) scribit a Varrone discrepans, ab Antiate originem ducant, quod H. Peterus statuit, — cum Plutarcho congruit Livius II 7, qui eodem modo quo Plutarchus deam 'Vicam Potam' nominat et (II 8) Publicolae nomen explicat — an aliunde fluxerint, in ambiguo relinquendum est.

Cicero (de har. resp. 8, 16)[3]) cum P. Valerio 'locum' tantum aedium, sibi contra 'parietes atque tectum' publice data esse glorietur, Varronem sequitur, Plinius (h. n. XXXVI 112) contra P. et M. Valeriis hunc honorem tributum esse et utriusque Valerii domum exitu fuisse insignem scribit. Iam vero Plinium, qui Antiatis et Varronis relationes confudit, Varronem solum exscribere et apud hunc Antiatis narrationem repperisse verisimillimum est[4]); Varro igitur Valerii Antiatis sententiam ita commemoraverat, ut suam ei opponeret[5]).

Denique Asconius certis auctoribus non nominatis 'annales eorum, qui Punicum bellum secundum scripserunt', de coloniis Placentia et Cremona se consuluisse affirmat p. 2, 24. 25. Livius quidem (XXI 25) ei hoc loco ad manum non fuisse mihi videtur, cum permirum esset, si Asconius (p. 3, 8. 9) Livio inspecto de nominibus III virorum ab illo varie traditis nulla fecisset verba.

Neque vero ad sententiam Kiesslingii Schoelliique accedere possum scribentium[6]) 'si ex his annalibus sumptum est quod paulo post (p. 3, 9) legitur: eamque coloniam LIII . . . deductam esse invenimus, diversi fuisse debent ab annalibus Livii, in quibus numeri locum, quem colonia deducta secundum temporum

[1]) Iniuria Mommsen (C. I. L. I p. 285) Dionysium et Plutarchum a Varrone pendere contendit.

[2]) Praeterea cf. Plut. qu. Rom. 91; Aur. Vict. 15; Serv. ad Aen. IV 410.

[3]) Adde Cic. de rep. II 31, 54.

[4]) Plinium praecipue in libro XXXVI Varrone usum esse contendit A. Furtwaengler, Plinius und seine Quellen ueber die bildenden Kuenste (annal. philol. supplem. IX) p. 71—74. Praeterea cf. Urlichs, die Quellenregister zu Plinius' letzten Buechern (Virceburg. 1878) p. 15.

[5]) Si ea, quae Plutarchus de P. Valerio tradit, re vera ex Antiate fluxerunt, facillime illud explicatur, quod Varronis verba apud Asconium p. 12, 8 'ubi nunc aedis Victoriae est' similiter apud Plutarchum et Livium redeunt.

[6]) Praef. p. XIII.

ordinem obtinet, indicantes non adduntur'. Nam si Livii verba cum nostro scriptore et Polybio III 40 comparamus, illum satis breviter de hac re narrare videmus, ut ea, quae recentiores illi editores in Livii verbis desiderant, item ut numerum colonorum aliaque ab eo omissa quidem, tamen in fontibus inventa esse veri non dissimile sit.

Huc accedit, quod Livius iam in libro XX, ut ex periocha apparet, hanc rem narraverat, ubi fortasse tempus[1]) coloniarum deductarum non minus accurate quam apud Asconium definitum erat. Hoc autem constare videtur, Asconium de illis coloniis non Livium (XXI 25) ipsum ante oculos habuisse, id quod nos non impedit, quominus nonnullos annales, quibus Livius usus sit, commentatorem quoque exscripsisse sumamus, eos dico, quos Livius (l. c.) significat verbis 'Lutati nomen haud dubium est; pro Annio Servilioque M.' Acilium et C. Herennium habent quidam annales, alii P. Cornelium Asinam et C. Papirium Masonem.'

Totus enim Asconii locus, quod ad nomina III virorum attinet, mirum quantum corruptus est, maximeque suspecta esse nomina Cn. Pompei Magni et Cn. Cornelii Scipionis auctoribus Perizonio et Madvigio recte Kiesslingius et Schoellius adnotaverunt, quae ex antecedentibus versibus (p. 2, 27. 30) falsum in locum irrepsisse iustaque sustulisse nomina mihi videntur.

Itaque loco horum duorum nominum lectio 'C. Lutatius'[2]) restituatur necesse est, quod nomen et a Livio ut certissimum et a Polybio traditur, nec minus P. Papirium Masonem, quod nomen apud Asconium p. 3, 8. 9 legimus, secundum Livianam memoriam mutem in C. Papirium Masonem.

Quod si ita statuimus, Polybium quoque, quippe cui cum scholiasta prorsus conveniat, etsi pauca eaque levia omittat aut addat, ex isdem quibus Asconium hausisse fontibus suspicari licet[3]).

Quorum vero illi annales fuerint, quamquam accuratius ex-

[1]) Sed si O. Hirschfeld (zur Geschichte des latin. Rechts p. 5) locum Asconii recte restituit, scholiasta omnino non de temporum ordine deductarum coloniarum verba fecit; cf. supra p. 25 n. 3.

[2]) C. Lutatium requiri iam Kiessling et Schoell adnotaverunt ad Asconium p. 3, 9.

[3]) cf. C. Boettcher in annal. philol. supplem. V p. 379.

pediri non potest, tamen praeter ceteros de Coelio Antipatre [1]) cogitamus, qui clarissimus huius libelli auctor habetur et a Livio sine dubio adhibitus est [2]).

Inter diversas diversorum hominum orationes, quas Asconius in usum vocavit, primum eam commemorat, quam M. Iunius Brutus pro Milone [3]), etsi non habuit, attamen edidit, quasi egisset (Asc. p. 36, 11. 12). Scholiastam illam orationem revera legisse eo probabile fit, quod Bruti rationem Milonis defendendi Ciceroni opponit et, quae fuerit differentia [4]), explicat.

Orationem a P. Cominio habitam in C. Cornelium, quem Cicero defendit, ita laudat p. 54, 12—15, ut illam 'sumere in manus' 'non solum propter Ciceronis orationes', 'sed etiam propter semet ipsam' 'aliquod operae pretium' esse scribat.

Quid autem Asconius ex illa oratione depromere potuerit, quamquam nonnulla iam supra p. 10 sq. adumbravimus, nunc breviter attingam.

Totius igitur causae Cornelianae historiam cum respexeris, in oratione Cominii [5]) Asconium non modo ea, quae Cornelio crimini

[1]) Fortasse addere licet Silenum et L. Calpurnium Pisonem Frugi: cf. Boettcher l. c. p. 370 sq.; Ludw. Keller, der zweite Pun. Krieg und seine Quellen p. 180 sqq.

[2]) Similiter atque commentator p. 3, 6—8 'deducendi (scil. colonias) fuit causa, ut opponerentur Gallis, qui eam partem Italiae tenebant' scribit Tacitus hist. III 34: 'condita erat (scil. Cremona) Ti. Sempronio P. Cornelio consulibus, ingruente in Italiam Hannibale, propugnaculum adversus Gallos trans Padum agentes et si qua alia vis per Alpes rueret'.

[3]) De oratione, quam Cicero re vera pro Milone habuit, iam disputavimus p. 5 n. 6.

[4]) Eandem Bruti orationem Quintilianus III 6, 93; X 1, 23 citat; Spalding, cum ad Quintilianum III 6, 93 adnotet nusquam alibi huius orationis mentionem fieri, erravit, Asconii et scholiastae Bobiensis (p. 276, 14—17) oblitus. Quin etiam similiter atque Asconius exponit Quintilianus, quae inter illorum rationem defendendi fuerit diversitas.

[5]) Asconius p. 52, 14. 15 nomina duorum fratrum Cominiorum, qui Cornelium reum fecerant, Publium et Gaium fuisse tradit, Cicero ipse (pro Cluent. 36, 100) Publium et Lucium. Beck (l. c. p. 9) Ciceronem sequitur, quoniam Asconius multo facilius quam orator eodem anno 66 Cluentium defendens errare potuit; Drumann (II p. 613) et Brueckner (l. c. p. 163) Asconianam lectionem sequuntur. Fortasse altera utra discrepantia librariorum neglegentiae debetur, sed cum utrumque nomen semel modo traditum sit, utra germana sit lectio, incertum est.

dabantur (Asc. p. 51, 13—16), sed etiam prius iudicium, quod Manilius disturbaverat, perstrictum repperisse consentaneum est. Inde igitur eas scholiastae narrationes derivabimus, quibus res Cornelio Manilioque infestae vel Cominio faventes continentur, velut quae Asconius tradit P. Cassium [1]) praetorem decimo die, quo reum adesse iusserat, ipsum non adfuisse, sive avocatum propter publici frumenti curam sive gratificantem reo, accusatores vero a Manilii ducibus operarum ita oppressos esse, ut accusatione desistere et nocte se occultare, denique per tecta ex urbe profugere cogerentur (Asc. p. 52, 15—23; 53, 2. 3).

Nec minus opprobrium acceptae pecuniae Cominius refellere debuit, quam infamiam probabiliter tollere studebat, cum se reverti postero die, quo P. Cassius adsedisset, non ausum esse atque in altero iudicio novos timuisse tumultus, tum demum Manilio condemnato animum accusationis repetundae sibi rediisse diceret (Asc. p. 52, 24—27; 53, 1—6), id quod Asconii verba 'recreavit se Cominius' et quae sequuntur ostendere mihi videntur. Praeterea accusatorem et de iudicio, quo absens Manilius condemnatus est, et de hoc viro ipso, quem quasi satellitem Cornelii et administrum effinxit [2]), fusius disseruisse, imprimis autem nomina testimoniaque eorum, qui in Cornelium infesti dixerunt, commemorasse, praesertim cum in summa eorum auctoritate ac dignitate vel maxime niti posset, non modo Ciceronis [3]) verbis 'num in eo, qui sint hi testes, haesitatis?', sed etiam eo confirmatur, quod scholiasta (p. 53, 20—24) Ciceronem ita dixisse scribit, 'ut et dignitatem clarissimorum civium (scil. testium) .... non violaret et tamen auctoritate eorum laedi reum non pateretur'. E quibus rebus cum commentator nonnullas apud defensorem quoque legisse, ut supra diximus, certe utriusque narrationes inter se comparavit et,

[1]) Hunc P. Cassium eundem esse arbitrati atque Ciceronis competitorem, quem Asconius p. 73, 10 et Q. Cicero de pet. cons. 2, 7 L. Cassium dicunt, viri docti (Drumann II p. 160; Haakh in Pauly Real-Encycl. II p. 200; Hoelzl l. c. p. 35; Beck l. c. p. 10 auctoribus Manutio et Sigonio) praetorem quoque L. Cassium scribendum esse statuerunt (Hoelzl l. c.: Lucii nomen 'si non statueremus, aut quando L. Cassius Longinus praetura functus esset aut qui P. Cassius, praetor a. 688, fuisset plane nesciremus'). Sed cum praetori praenomen Publii fuisse apud Asconium bis (p. 52, 15. 24) scriptum sit, alium praetorem alium Ciceronis competitorem asseclamque Catilinae fuisse proclivis est suspicio.

[2]) Apud Asc. p. 56, 25—57, 5.

[3]) cf. Cic. apud Asc. p. 70, 24—27; 71, 11—18.

quae ei proxime ad veritatem accedere videbantur, proprio iudicio adhibito transscripsit.

L. Lucei in Catilinam orationes ita nominat Asconius p. 82, 16, ut eas ab ipso lectas esse appareat. Singula autem, quae his Asconius debeat, iam propterea enucleare nequimus, quod de Catilina apud Ciceronem, quaecunque voluit, legere potuit.

Denique C. Caesaris orationes, quas in Cn. Dolabellam scripsit, se legisse etsi non aperte Asconius profitetur, tamen, cum filios suos eas legere adnotet, dilucide significavit p. 23, 11. 12.

Postremo ea afferam, quae Asconius de suis ipsius temporibus scribit. Narrat enim p. 23, 22—24, 3 domum [1])M. Scauri, quem Cicero defendit, sua aetate possidere Largum Caecinam, qui consul fuerit cum Claudio (scil. imperatore a. 42 p. Chr.). Tum sic pergit: 'In huius domus atrio fuerunt quattuor columnae marmoreae insigni magnitudine, quae nunc esse in regia theatri Marcelli dicuntur. Usus erat iis aedilis . . . in ornatu theatri, quod ad tempus perquam amplae magnitudinis fecerat'. Iam vero Plinius (h. n. XVII 5 sqq.) Largum Caecinam quendam sibi iuveni lotos ostentasse scribit, quae in domo fuerint, quam aliquando L. Crassus orator possederit, praeterea in hac Crassi domo quattuor (Urlichs: sex; cf. Plin. h. n. XXXVI 7) columnas Hymettii marmoris stetisse, quibus ille aedilis theatrum excoluerit.

Largum autem Caecinam, quem scholiasta et Plinius commemorant, unum eundemque esse inde evinci mihi videtur, quod nusquam alibi alterius mentio fit, deinde vero, quod Plinius eo anno, quo Caecina Asconianus consul erat, vicesimum annum egit, quae res optime quadrat ad Plinii verba se in iuventute sua lotos apud Caecinam vidisse tradentis.

Sed idem Plinius XXXVI 7 etiam M. Scauri domus mentionem facit idque ita, ut et Scauri et Crassi domum in Palatio neque tamen eandem fuisse pateat. Itaque cum Largi Caecinae utramque domum fuisse vix statuere liceat, aut commentator erravit aut Plinius, quorum huic potius id accidisse crediderim, cum eum memoria multo facilius deciperet quam Asconium, qui de novissimis [2]) suis temporibus disputat. Nec difficile, quomodo illa

[1]) Eandem domum de M. Scauro emisse P. Clodium refert Asconius p. 28, 23. 24. Praeterea cf. Friedlaender, Sittengeschichte III[5] p. 81 n. 2.

[2]) Asc. p. 23, 25: 'nunc possidet'; paulo infra idem: 'quae nunc esse in regia theatri Marcelli dicuntur' de columnis ibi commemoratis.

confusio apud Plinium exorta sit, explicatur, quoniam utraque domus in Palatio erat atque in atrio eas habebat columnas, quibus Crassus et Scaurus in aedilitate ad scaenam ornandam usi erant.

Hoc constat [1]), in Crassi domo fuisse lotos et quattuor sive sex columnas Hymettii marmoris easque haud ita longas, in Scauri contra aedibus positas fuisse quattuor columnas insigni magnitudine, quas ex Luculleo marmore constitisse Plinius XXXVI 5—7 expressis verbis tradit.

Epimetrum.

Non modo de C. Manilio ipso [2]), sed etiam de litibus, quibus ipse implicitus est, homines docti inter se dissident. Testimonia veterum haec sunt:

C. Manilium apud se praetorem de pecuniis repetundis a. 688/66 postulatum esse testatur Cicero apud Asconium p. 55, 5. 6. Deinde Manilium quendam, qui iudicium per operarum duces turbaverat, absentem damnatum esse a. 689/65 refert Asconius p. 52, 2—5. Denique in universum Cicero de disturbato iudicio Maniliano loquitur apud scholiastam p. 58, 9—14. Praeterea Cassius Dio XXXVI 44 (27) Manilium apud Ciceronem praetorem paulo ante finem anni 66 repetundarum accusatum, causam autem ipsam propter tumultum non esse peractam exhibet. Hanc rem esse eandem, quam Cicero apud Asconium p. 55, 5. 6 et Plutarchus (vit. Cic. c. 9) narrant, quamvis hic Manilium κλοπεῆς in ius vocatum esse falso tradat, inde elucet, quod apud Ciceronem praetorem Manilium postulatum esse Plutarchus quoque scribit [3]).

Scholiasta Bobiensis p. 284, 27—32 praebet haec: 'cum C. Manilius post annum tribunatus sui, quem turbulentissime egerat, causam de maiestate dicturus esset, accusante Cn. Municio, id egit per multitudinem conspiratam, ut obsideret eundem Cn. Municium accusatorem suum; cui obsesso auxilium tulit aggregata bonorum multitudine L. hic Domitius'.

His igitur veterum testimoniis usi homines docti diversa statuerunt: Hoelzlius (l. c. 40 sqq.) C. Manilium, cum actio de repetundis a. 688/66 Dione et Plutarcho testibus ad finem non per-

[1]) Ad haec cf. Val. Max. IX 1, 4; Quint. V 13, 40.

[2]) cf. supra p. 39 sqq.

[3]) cf. C. John annal. philol. supplem. VIII p. 713; Beck l. c. p. 25.

ducta esset, insequente anno Cicerone defendente apud C. Attium Celsum[1]) iterum repetundarum reum fuisse, praeterea autem Asconii (p. 40, 1—7) et scholiastae Bobiensis (l. c.) verbis adductus, Cn. Manlium (vel Manilium vel Mallium), qui tr. pl. a. 696/58 fuerit, anno sequente maiestatis accusatum esse contendit. Sed haec sententia cum propterea displicet, quod Asconium p. 40 de C. Manilio, non de Cn. Manlio verba facere cognovimus, tum quod ne exilissima quidem exstant indicia, quibus C. Manilium bis repetundarum reum fuisse comprobetur[2]). Langius[3]), quae de C. Manilio tradita sunt[4]), ita interpretatur, ut C. Manilium tribunum plebis repetundarum a. 66 apud Ciceronem ultima mensis Decembris die postulatum, iudicium tamen M. Manlio auctore per operarum duces disturbatum esse contendat. At ne huic quidem viro doctissimo assentiri licet, quoniam Manilium, quem Asconius p. 53, 2 commemorat et Langius codicis P auctoritatem secutus M. Manilium esse putat, nullum alium nisi C. Manilium ipsum esse ipsis rebus docemur.

Beckium (l. c. p. 24 sqq.) si audis, C. Manilius a. 66 de repetundis, a. 65 de maiestate accusatus erat, sive propter legem perniciosam, quam tulerat tribunus plebis, seu, quod Beckio verisimilius videtur, propter iudicium Cornelianum disturbatum (Asc. p. 53, 2. 3). Ad hanc autem causam contra Manilium de maiestate institutam Beckius Asconii verba, quae exstant p. 53, 3. 4; 58, 9—14, referenda esse existimat[5]). Praeterea in eadem causa accusatorem Cn. Municium, defensorem Ciceronem fuisse Beckius (l. c. p. 30) dicit atque sic pergit: 'neque tamen Ciceronis arte et industria reus absolutus est; cum enim iudicio conspirata multitudine disturbato non respondisset, absens condemnatus est'[6]); quae unde sumpserit nescio, praesertim cum C. Johnius, quocum se congruere Beckius praedicat, aliter de hac re iudicet. Hic enim tria posuit iudicia; primum videlicet Manilium repetundarum accusatum esse (Asc. p. 55), quae causa Dione et Plutarcho

[1]) cf. Asc. p. 57, 18—20.
[2]) cf. C. John l. c. p. 712 sqq.
[3]) R. A. III² p. 223.
[4]) Apud Asc. p. 53. 58.
[5]) Ibi Beck (p. 30) hanc lectionem proponit: 'cum prima parte anni C. Manilius, qui iudicium per operarum duces turbaverat, non respondisset absensque esset damnatus, deinde quod ex S. C. ambo consules praesidebant ei iudicio, recreavit se Cominius .... ac repetiit Cornelium lege maiestatis'.
[6]) Similiter iudicat Zumpt l. c. p. 505 sqq.

auctoribus non peracta esset; deinde Manilium, maiestatis reum, prius iudicium per operarum duces turbavisse, altero absentem condemnatum esse. Nimirum L. Domitium C. Manilio non maiestatis reo, sed legem de libertinorum suffragiis ferenti[1]) adversatum esse et Beckius et Johnius contendunt, cum scholiastam Bobiensem res inter se confudisse recte statuant.

Ego vero ne Johnii quidem opinioni, quamquam sagacissime est excogitata, adstipulari possum. Quicumque enim in hac quaestione versati sunt, omnes Asconii verba (p. 53, 2. 3) 'Manilius, qui iudicium per operarum duces turbaverat' parum recte interpretati esse mihi videntur; nam haec ad prius Cornelii iudicium (Asc. p. 52, 12—27) revocanda esse arbitror[2]), siquidem commentator de hoc ipso iudicio scribens isdem verbis utitur p. 52, 18 'circumventi sunt ante tribunal eius accusatores a notis operarum ducibus'[3]), deinde nisi hic Manilius prius iudicium Cornelianum impedivisset, Cominium illo condemnato se recreavisse scholiasta (p. 53, 5) nullo pacto scribere potuit; denique si res aliter se haberet, quod Manilius in altero iudicio Cornelii tam saepe nominabatur, res esset alienissima.

Quoties enim Cicero Manilium in defensione tangat, ex fragmentis affatim apparet; hoc autem oratorem numquam facturum fuisse nisi coactum a Cominio accusatore, qui Manilium vehementissime aggressus socium Cornelii descripsisset[4]), consentaneum est.

Manilium igitur, quippe qui, ne causa Corneliana ageretur, tumultu effecisset, in eo iudicio, quo absens condemnatus est, non repetundarum, sed maiestatis reum fuisse iam nemo negabit. Quod autem ad disturbatum iudicium Manilianum attinet, cuius meminit Asconius p. 58, 1, hoc, quoniam Manilius causam, in qua maiestatis reus erat, omnino non disturbaverat — sed absens condemnatus erat —, ad nihil aliud spectare potest nisi ad accusationem repetundarum. Hoc iam Langius (l. c.) perspexit, sed eo nomine erravit, quod etiam ea, quae apud Asconium p. 53, 1—5 leguntur, ad eandem causam referebat. Ac sententia mea aliis quoque rationibus commendatur. Etenim, cum Asconius praeter unam causam maiestatis solam repetundarum accusationem commemoret

[1]) cf. Asc. p. 39, 26—40, 7.
[2]) Solus Beck (p. 24. 26) hoc persensit.
[3]) Cicero quoque 'operarum duces' commemoravit; cf. Cic. pro Corn. I fr. 15 p. 244 ed. C. F. W. Mueller IV 3.
[4]) cf. imprimis Ciceronem apud Asc. p. 56, 25 sqq.

(p. 55, 5), disturbatum iudicium, nisi ad hanc pertineret, aliud intellegendum esset, cuius neque commentator ipse neque Cicero fecisset mentionem [1]). Iam hoc in Asconio viro diligentissimo incredibile videtur, qui, si Manilius re vera bis maiestatis accusatus fuisset, hoc certe dilucide adnotasset. Accedit alterum: Dio scilicet causam repetundarum non peractam esse expressis verbis testatur, id quod a Plutarcho (vit. Cic. c. 9) nihil de exitu iudicii referente confirmatur. Hoc enim auctore Manilius exeunte anno 66 apud Ciceronem praetorem repetundarum postulatus est; cum autem Cicero Manilium prid. Kal. Ian. anni 65 adesse iussisset — uno die postquam compellatus erat — populus, quoniam in decimum diem rei fere citari solebant, maxime indignatus est; tum praetor a tribunis in contionem vocatus se Manilium, ne res, cui magnopere faveret, sequente anno apud alium praetorem ageretur, iam in posterum, qui postremus esset sui magistratus, diem citasse asseveravit; quibus verbis auditis populus summo elatus gaudio Ciceronem, ut Manilium defendendum susciperet, oravit, quod se facturum esse ille pollicitus est. Haec Plutarchus habet, quae omnia a. d. II. Kal. Ian. anni 65 acciderunt.

Quamquam autem iudicium ipsum omnino non exercitum esse Plutarchus silentio praeterit, Dio illud propter tumultum (*τάραχός τις*) quendam impeditum esse scribit, quem cum coniuratione, quam primam vocant Catilinariam, ratione quadam coniunctum fuisse etiam Dio et scholiasta (p. 58, 9—15) indicant. Itaque iudicium, etsi nulla eius reperiuntur vestigia, prid. Kal. Ian. re vera esse institutum, sed auctore Manilio, qui perturbatione — sive haec a coniuratis [2]) ipsis facta sive detecta coniuratione orta erat — callide utebatur, turbatum esse conicere licet.

Quae cum suspicemur, iure opposuerit quispiam Ciceronem, quippe qui prid. Kal. Ian. anni 65 nondum a magistratu abierit, se pro Manilio dicturum esse polliceri non potuisse; quam difficultatem ita expediverim, ut Manilium iam tum maiestatis accusatum eique in initium anni 65 diem dictum fuisse atque Ciceronem eum maiestatis reum se defensurum esse tribunis orantibus promisisse sumam. Neque igitur Dio, quem totam rem admodum contraxisse et Ciceronem actionem in posterum diem differentem [1]) facere manifestum est, neque Plutarchus fontis sui verba, quae ad defensionem pertinent, recte intellexerunt aut ea parum accurate reddiderunt, nisi forte iam in auctore, quem compilabant, narrationem de hac re subobscuram reppererunt.

Huc accedit, quod Ciceronis verba (apud Asc. p. 58, 10—14), ut ad hoc ipsum iudicium optime quadrant, ita, si ad aliud referenda essent, neutiquam explicari possent. Nam iudicium disturbatum 'suis alienissimum rationibus' fuisse Cicero ideo queritur, quod ipse tum praetor huic iudicio praesidebat.

Quid? quod idem 'magnos homines' 'exemplum disturbandorum iudiciorum' 'temporibus suis accommodatissimum' cupivisse dicit, nonne ad nullum alium nisi ad auctores primae coniurationis Catilinariae spectare potest, qui iam postero die (Kal. Ian.) consules necaturi erant?

Denique quod Dio iudicium propter tumultum statim exortum, quem ad illam conspirationem refert, impeditum esse narrat [2]), cum Cicero quoque (l. c.) inter disturbatum iudicium et coniurationem certum conexum fuisse significet, id in nostram sententiam praeclare cadit. Itaque Johnio assentiri nequeo, qui Asconium 'magnos homines', quos Cicero tangit, L. Catilinam et Cn. Pisonem intellegentem recte interpretatum esse negat his commotus causis:

Primum Cicero Catilinam et Pisonem sceleratissimos illos homines numquam cum honore 'magnos' appellasset neque suam condicionem illorum rationibus opposuisset. At mea quidem opinione, ut Manilium quam maxime insontem pingeret, eum ministrum tantum magnorum hominum fuisse ostendere Cicero debuit. Cur autem orator suas cum illis comparaverit rationes, iam exposuisse mihi videor.

Tum Johnio auctore Manilius numquam ab iis, qui partem diversam sequerentur, consilium aut auxilium petivisset. Postremo vero Catilina, si ipse in disturbando iudicio dux multitudinis armatae fuisset, non tam 'auctor furoris' [3]) quam unus ex illis operarum ducibus fuisset.

[1]) Scholiastae Bobiensis (l. c.) Manilium maiestatis reum iudicium suum disturbasse tradentis, quoniam eum etiam de L. Domitio resistente Manilio vehementer errasse John et Beck agnoverunt, nulla ratio habenda est, praesertim cum ipsum historiae ignarum fuisse, cui, nisi ad Asconium rediret, nulla fides tribuenda esset, Madvig (l. c. p. 150—152) demonstraverit; scholiastam autem Bobiensem, sive aliunde illa hausit (cf. Kiessling-Schoell praef. p. XX) sive de suo adnotavit, id quod mihi verisimilius videtur, res Manilianas satis intricatas inter se confudisse facile est intellectu.

[2]) cf. Cic. in Catil. I 6, 15.

[1]) Dio: *καὶ μόλις αὐτὸν . . . ἐς τὴν ὑστεραίαν ἀνεβάλετο.*

[2]) Dio l. c.: *τάραχος δέ τις εὐθὺς ἐπιγενόμενος ἐκώλυσε τὸ δικαστήριον συναχθῆναι.*

[3]) cf. Cic. ap. Asc. p. 58, 10. 11.

At Johnius verba Ciceronis nimis premere mihi videtur. Etenim quod orator Manilium in illum furorem a magnis hominibus impulsum esse dicit, hoc minime ita intellegendum esse censeo, ut illi Manilium re vera consilio auxiliove adiuverint, sed, cum Manilius perturbatione, quae coniuratione facta erat, manifesto usus esset, Cicero ut astutus causarum actor Manilium Catilina et Pisone auctoribus egisse simulat.

Iam vero Johnius[1]) iudicium, cum Asconius p. 58, 16 'eodem illo tempore' repetundarum reum Catilinam, altero vero loco (p. 76, 6) anno 65 accusatum esse referat, anno 65 disturbatum esse non sine veri specie contendit, id quod cum nostra opinione magnopere pugnat. Attamen primum scholiastae vox 'eodem illo tempore' ad disturbatum iudicium, quod Cicero tangit, referri necesse esse negem, cum facillime ad ea, quae sequuntur, spectare possit. Deinde, etiamsi illis verbis iudicii tempus significatur, quo modo 'reus' intellegendus sit, commentator, cum Catilinam tum (scil. eodem tempore, quo reus erat) provinciam Africam obtinuisse et consulatus candidatum se ostendisse' adnotet, meo quidem arbitrio dilucide indicat. Nam haec verba ad ipsum anni 66 finem optime quadrant, quoniam etiam Asconio teste (p. 79, 28 sqq.) Catilina illo tempore ex Africa provincia redierat atque consulatum se petere professus erat; praeterea idem scholiasta legatos Afros etiam absente Catilina in senatu de illo questos et Catilinam, cum Romam advenisset i. e. extremo anno 66, iam ita repetundarum quaesitum esse tradit, ut a petitione desistere cogeretur[2]).

Ergo confitendum est Asconium, cum Catilinam iam tum 'reum' fuisse referat, parum accurate scripsisse.

Quod autem commentator illo loco etiam P. Clodium accusatorem commemorat, qui hoc munus a. 65 demum suscepit (Asc. p. 76, 6—9), ne hoc quidem nostrae sententiae adversatur, quia eodem loco rem ita narrat, quasi Catilina eodem anno 66 ex Africa revertisset et a Clodio accusatus esset. Itaque cavendum est, ne priore loco (p. 58) scholiastae verba nimis anxie interpretemur.

Quibus rebus disputatis 'iudicium disturbatum' idem videbitur esse, in quod Manilius repetundarum postulatus fuit.

[1]) C. John l. c. p. 714 et in Mus. Rhen. XXXI p. 418 sqq.
[2]) Asc. p. 75 23 sqq.; 79, 28 sqq.

ERRATA.

P.	2	n. 3	lege	*spicilegium.*
„	3	v. 1	„	*enarravit.*
„	7	v. 28	„	*Gaumitz.*
		v. 30	„	*Milonianae.*
„	8	v. 20	„	*Maximum.*
„	24	n. 8	„	*spicilegium.*
„	30	n. 1	„	*nilo* pro *milo.*
„	38	n. 2	„	*maxime.*
		n. 2	„	*vel.*
„	42	v. 30	post	*Aurelium* virgula delenda.
„	56	v. 1	dele	punctum post *discedere.*
		v. 29	„	„ „ *acta.*
„	60	v. 12	vocula	*ut* delenda.
„	80	v. 2	pro	*huius libelli* lege *illius belli.*

Druck von Fr. Aug. Eupel in Sondershausen.

Druck von Fr. Aug. Eupel in Sondershausen.

Wojew. i Miej. Bibl. Publ. CZYTELNIA w Opolu

Wojewódzka Biblioteka
Publiczna w Opolu
2338/II S
001-002339-02-0